




M. T. CICERONIS
OPERVM
TOMVS XVII.

EPISTOLARVM FAMILIARIVM
LIBER XIII. XIV. XV. ET XVI.

Cicero

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM

LIBRI XVI.

AD FAMILIARES


(VT VVLGO VOCANTVR)

EX RECENSIONE IO. GEORGII GRÆVII

CVM NOTIS VARIORVM

Editio novissima post Grævianam locupletior.

TOMVS IV.



NEAPOLI MDCCLXXVII.

Typis, ac sumtibus IOSEPH MARIÆ PORCELLI Bibliopolæ

AVCTORITATE PVBLICA.

M. T. CICERONIS EPISTOLARUM AD C. MEMMIUM, ET CETEROS.

LIBER TERTIUS DECIMUS.

EPISTOLA I.

ARGUMENTUM.

EXsulabat C. Memmius de ambitu biennio ante damnatus, accusante Q. Curtio, quod ex epist. 2. lib. III. ad Q. Fr. cognoscitur. Eum Cicero, ad Ciliciae administrationem proficiscens, cum Athenis non reperisset (nam pridie Mitylenas profectus erat), petiit ab eo per litteras, ut rediret in gratiam cum Patrone Epicureo, eique locum, ubi habitaverat Epicurus, concederet. Ser. Sulpicio Ruso, M. Claudio Marcello Coss.

Cum haec epistola ceteris omnibus commendatitiis, quae in hoc libro continentur, ordine & subtilitate antecellat; utpote quam ipse Cicero, in quadam ad Atticum epistola, scriptam accurate fateatur; gratam studiosis operam nos esse navaturos existimavimus, si, distributo in partes argumento, quid artificii singulae partes habeant, quid in singulis animadverti cognoscique expediat, ostenderemus.

Acturus cum C. Memmio de parietinis Epicuri, Philosopho Epicureo Patroni concedendis, oratorio more, prius quam aggrediatur, ejus gratiam & benevolentiam insinuatione quadam aucupatur. Quae vero ad conciliandam benevolentiam & gratiam causae valent, earum duas elicit ex amo-

re suo, quas priore loco ponit, duas ex judicio, quas proxime subjungit. Amorem declarat significatio vel molestiæ, vel voluptatis. Nam & voluptate afficitur, qui amicum videt; & molestia, qui eumdem videt exsulantem. Iudicium ostenditur in eo, quia cum duo nobis optanda magnopere sint, unum, ut culpa vacemus, alterum, ut adversa modice feramus; utrumque Memmio tribuit: cum & injuriam appellat ejus casum; & sapientiam in ferendo laudat. Nec vero argumentum illud amoris obscurum est, quod ait: Vidisse te mallem: *nec mediocre illud;* Non dubitabo dare operam, ut te videam. *Collecta Memmii gratia, aggreditur ea, quæ ad impetrandum pertinent. Nam cum ait:* Per litteras agam, quod, ut arbitror, confici potest: *æquitatem petitionis indicat; cum infert,* A te illud primum rogabo, ne quid invitus mea causa facias, *& quæ sequuntur, inutili modestia non utitur; magis enim apud bonum & sapientem virum proficit verecundia petentis, quam contentio. Hoc usus exordio, transit ad narrationem: ea quatuor habet partes, omnes (ut opinor) observatione dignas; quando non ita videmur natura præstare, ut, imitatione nulla, possimus excellere; quamquam nec imitationi & studio, si absit naturæ vis, quidquam tribuerim. Primum de ipso Patrone, qui commendatur, sermo inducitur; deinde res exponitur: tum, quasi nec in homine, nec in re multum ponatur, Attici voluntas & studium ostenditur: extremum petitio locum obtinet. Hanc divisionem sequitur alia, quæ nascitur e singulis partibus: singulæ enim habent, quod considerari utiliter possit. In prima commendandi causas Cicero justas proponit, quod eum commendet, quicum sibi omnia sint; eum, qui se coluerit in primis; eum, quem ipse cum aliis quidem, præcipua tamen cura defenderit; ut in eo nunc tuendo & commendando non solum amicitiæ, verum etiam constantiæ suæ rationem habere videatur. Nec vero illud otiosum est, aut inculcatum temere, quod ipsum quoque Memmium a Patrone ait observatum esse. Nam ea commemoratio alienatum ejus animum fortasse ad lenitatem revocare potest. Denique fidem agi suam ostendit: cum sibi a Phædro*

dro

dro philosopho, viro bono & suavi & officioso, traditus olim Patro commendatusque sit. Hactenus de homine: de re subjunguntur, quæ placare Memmium, & id, quod petitur, impetrare possint. Ad placandum quid valet? supplex voluntas ejus, qui læsit; extenuatio culpæ; intercessio communis amici. Voluntas Patronis exstat in iis verbis: Cum ad me litteras misisset, uti te sibi placarem. *Extenuatio culpæ colligitur ex tribus caussis. Prima ostenditur in eo:* Si qua offensiuncula facta est animi tui: *quo delictum levissimum demonstratur. Altera;* Perversitate aliquorum: *non enim parvi refert, utrum improbitate, an perversitate peccetur: cum perversitas ad stultitiam quamdam, improbitas ad vitiosam voluntatem referatur. Tertia:* novi gentem illam; *non enim unius hominis propria, sed omnium est culpa communis. Accedit intercessio Ciceronis; quæ nec ipsa caret artificio; nam & petitionem & suasionem continet: rursus petitio non est simplex, sed constat ex tribus partibus, quarum prima,* Velim des te ad lenitatem; *ipsa per se non ita multum valet, sed quasi vires auget accessione proximarum,* Vel propter tuam summam humanitatem, vel honoris mei caussa. *Suasio petitionem adjuvat; affert enim rationem, cur negari non possit. Hoc, inquit, si a te nec humanitas tua, nec impetrat honor meus; impetret ratio. Siquidem id quod ut adsequatur Patro contendit, ejusmodi non est, ut repugnare debeas. Laborare autem sine causa, tibi multo minus, quam illi conceditur: quamquam ille, cur laboret, causam habet, levem quidem opinione nostra, illius tamen judicio satis gravem: de parietinis enim illis ideo laborat, quia sibi honorem, officium, testamentorum jus, Epicuri auctoritatem, vestigia summorum virorum tuenda esse dicit. At in hoc ipso peccat, quod hæc tanti facit (id enim objicere Memmius poterat); sit ita: verumtamen ignoscere fortasse debemus ei, qui etiamsi peccat, magis ineptiis quam improbitate peccat: ut omittam, quod si errorem societas minuit, quosdam homines, quibus non valde inimici sumus, eadem illa delectant. Hæc neque ad impetrandum levia sunt, & graviora fiunt accedente Attici voluntate: is*

enim & Ciceroni vehementer Patronis negotium commendaverat; & ei Cicero petenti, quem sic amaret ut fratrem, negare nihil poterat. Claudit epistolam brevis & modesta petitio. Brevitas excusatur, quia plura verba res non desiderat; cum satis multa dicta jam sint. Modestia vero tantum abest ut nocere possit, ut etiam suffragetur; & eo magis, quod ex iis, quæ dicta sunt, cupiditas apparet.

M. T. C. C. MEMMIO S. P. D.

ETsi non satis mihi constiterat, cum aliqua ne animi mei molestia, an potius libenter te Athenis visurus essem, quod injuria, quam accepisti, dolore me afficeret; sapientia tua, qua fers injuriam, lætitia: tamen vidisse te mallem. Nam quod est molestiæ, non sane multo levius est, cum te non video: quod esse potuit voluptatis, certe, si vidissem te, plus fuisset. Itaque non dubitabo dare operam, ut te videam, cum id satis commode facere potero. Interea quod per litteras & agi tecum, &, ut arbitror, confici potest, agam nunc. Ac te illud primum rogabo, ne quid invitus mea causa facias: sed id, quod mea intelliges, tua nullam in partem multum interesse, ita mihi des,

EPISTOLA I.

C. *MEMMIO*) C. Memmius Gemellus cum peteret consulatum cum Domitio Messala & Scauro, ambitus, Q. Pompeio accusante, & Cicerone defendente, condemnatus, Patras in exsilium abiit. CORR. Ciceronem non defendisse Memmium Manutius ostendit. GRÆV.

Etsi non satis mihi constiterat) Ubi duæ res concurrunt, quæ diversa possent efficere, dubitanter ita loquuntur, uti Noster XI. ep. 27. ibi vide. Quod vero hic *cum molestia* & *libenter* nomen & Adverbium componat, de eo vide notas infra ad ep. 69. CORT.

Athenis) Quo postridie, quam tu Mitylenas es profectus, veni. CONRADUS.

Quod injuria) Damnatio injusta. IDEM.

Ut te videam) In Ciliciam proficiscens. IDEM.

Sed id quod mea intelliges, tua nullam in partem multum interesse) Sic Gebhardus secutus Victorium, duos Palatinos, ac tres Guilielmii, edidit. Nec dissentiunt, quos ego consului, Amstelod. Mentel. & meus. Et recte quidem; sententia est, in hac re, quam a te peto, sic mihi indulgeas, si senseris, mea multum interesse illam rem sic, ut vellem, confici, tua vero non multum interesse, sic ne fiat, an non fiat. Poteris hoc mihi dare, si id facere poteris tuo incommodo. GRÆV. Puto tamen excidisse connectendi particulam, & scribendum: *Sed id quod mea intelliges, & tua nullam in partem multum interesse, ita mihi des*. Facile præcedentis dictionis λήξις copulam potuit absorbere. Vulgatum ante fuit, ex conjectura puto, *sed id quod intelliges multum, tua nullam in partem interesse*. IDEM *in altera Edit. Quod intelliges tua nullam in partem, mea multum interesse*. Hic est ordo ver-

des, si tibi ut id libenter facias ante persuaseris. Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt: nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio. Sed & initio Romæ, cum te quoque, & tuos omnes observabat, me coluit in primis: & nuper, cum ea, quæ voluit, de suis commodis & præmiis consecutus est, me habuit suorum defensorum & amicorum fere principem: & jam a Phædro, qui nobis, cum pueri essemus, ante quam Philonem cognovimus, valde ut philosophus, postea tamen ut vir bonus, & suavis, & officiosus probabatur, traditus mihique commendatus est. Is igitur Patro, cum ad me Romam litteras misisset, uti te sibi placarem, peteremque, ut nescio quid illud Epicuri parietinarum sibi concederes: nihil scripsi ad te ob eam rem, quod ædificationis tuæ consilium mea commendatione nolebam impediri. Idem, ut veni Athenas, cum idem ut ad te scriberem rogasset, ob eam causam impetravit, quod te abje-

verborum in regiis MSis melior quam in vulgatis, in quibus omittitur vox *multum*. LALL.

Cum Patrone Epicureo omnia mihi communia sunt) Nos *communia* delevimus; vocem a nobis in nullis antiquis inventam. Scimus autem hanc esse familiarem Ciceronis locutionem, ut *omnia cum aliquo sibi esse* dicat, cum inter eos omnia intercedunt officia. In epist. ad C. Marcellum: *Si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos a quibus intelligis me precipue diligi*. Et ad Atticum lib. XIV. *Bruto certe meo nullo loco deero, idque etiam si mihi cum illo nihil fuisset, facerem propter ejus singularem incredibilemque virtutem*. VICTOR. Vocem *communia*, quæ est post *omnia*, quamque P. Victorius, quorumdam veterum codicum auctoritatem secutus, delevit, ego in uno reperi. Verumtamen assentiatur Victorio licet, si quis volet, & sequatur plurium codicum auctoritatem, non repugnabo. Sed audebo dicere, esse a librario omissam, & esse necessariam. LAMB. Sed Lambinum hic hallucinari docent exempla a Victorio & Manutio, qui & ipse Victorii lectionem amplectitur, allata. GRÆV. *Mihi omnia sunt*. Idem velle, atque idem nolle. Vide omnino V. ep. 21. CORT.

In Philosophia vehementer ab eo dissentio) Ut Academicus ab Epicureo. CORRAD.

Tuos omnes observabat) Pal. sext. *observabit*; scripsit Cicero forte, *tuos omnes observavit*. GRÆV.

Et jam a Phædro) Epicureo, quem cum Attico frequenter audivi. CORR.

Antequam Philonem cognovimus) Bruto LXXXIX. *Eodemque tempore cum princeps Academiæ Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset, Romamque venisset, totum me ei tradidi*. Manutius Epicureum facit. IO. FR. GRON. *Philonem*) Academicum, ep. 8. lib. IX. CORR. *Cognovimus*) Romæ, cum Mithridatico bello cum Atheniensium optimatibus domo profugisset, Romamque venisset. Al. *cognorimus*, alii legunt, *cognovissemus*. IDEM. Eleganter Cicero proponit Phædrum sibi pro *Philosopho* cultum esse, antequam Philonem cognovisset; postea tamen ut virum bonum & suavem sibi probatum fuisse, etsi *philosophiam* ejus spreverit: nam Philoni adhæsit *Academico*, quem male Cellarius & Manutius pro Epicureo habent. Cic. Bruto c. 89. CORT.

abjecisse illam ædificationem constabat inter omnes amicos tuos. Quod si ita est, & si jam plane tua nihil interest, velim, si qua offensiuncula facta est animi tui perversitate aliquorum, novi enim gentem illam, des te ad lenitatem, vel propter tuam summam humanitatem, vel etiam honoris mei causa. Equidem si, quid ipse sentiam, quæris: nec, cur ille tantopere contendat, video; nec cur tu repugnes: nisi tamen multo minus tibi concedi potest, quam illi, laborare sine causa. Quamquam Patronis & orationem, & causam tibi cognitam esse certo scio: honorem, officium, testamentorum jus, Epicuri auctoritatem, Phædri obtestationem, sedem, domicilium, vestigia summorum hominum, sibi tuenda esse dicit. Totam hominis vitam rationemque, quam sequitur in philosophia, derideamus licet, si hanc ejus contentionem volumus reprehendere. Sed, mehercules, cum illi, ceterisque, quos illa delectant, non valde inimici sumus, nescio an ignoscendum sit huic, si tantopere laborat: in quo etiam si peccat, magis ineptiis, quam improbitate peccat. Sed ne plura; dicendum enim aliquando est: Pomponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem: nihil est illo mihi nec carius, nec jucundius. Is, non quo sit ex istis; est enim omni liberali doctrina politissimus: sed valde diligit Patronem, valde Phædrum amavit, sic a me hoc contendit homo minime ambitiosus, minime in rogando mo-

Abjecisse illam ædificationem) Recte quidem Cellarius exponit per *consilium ædificandi* abjectum; sed non in verbo *abjicere* figura quærenda est, verum in nomine *ædificatio*. Talia sunt supra VIII. epist. 3. VI. ep. 7. Sic Claudian. Cons. Olybr. v. 248. Spart. Nigro c. 4. IDEM.

Gentem illam) Græcam. CORT.

Des te ad lenitatem) Supra VIII. ep. 15. Domitii se *male dent*. Sic *dare se salutationi*, *in viam*, & alia Noster dixit. Plaut. Asin. A. III. Sc. II. v. 28. CORT.

Testamentorum jus) Epicurus enim Hermodoro, & successoribus omnibus Epicureis, hortum, & quæ in illo erant, legavit. CORT.

Vestigia sum. hom.) Eorum ex Epicuri sectatiis, qui jam idem fecissent. CORT.

Quos illa delectant) Epicurea. CORRADVS.

Magis ineptiis) Cultum & observantiam Epicuri, nec non morem in domicilio & horto illius succedendi ita vocat. CORT.

Non quo sit ex istis) Iocatis tamen sæpe Cic. illum Epicureum appellat. CORR.

Minime ambitiosus) Qui pro aliis rogaret *ambitionis* tantum causa, ut alios sibi devinciret, aliis ostenderet, quot habeat clientes, & quantum gratia valeat. Sic VI. ep. 13. *Ambitiosæ rogationes*; & eodem libro ep. 6.

do molestus, ut nihil umquam magis: nec dubitat quin ego a te nutu hoc consequi possem, etiam si ædificaturus esses. Nunc vero si audierit, te ædificationem deposuisse, neque tamen me a te impetrasse, non te in me illiberalem, sed me in se negligentem putabit. Quamobrem peto a te ut scribas ad tuos, posse tua voluntate decretum illud Areopagitarum, quem ὑπομνηματισμὸν illi vocant, tolli. Sed redeo ad prima: Prius velim tibi persuadeas, ut hoc mea causa libenter facias; quam ut facias: sic tamen habeto, si feceris, quod rogo, fore mihi gratissimum. Vale.

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Antequam Cicero Athenis discederet, scripsit ad Memmium de Evandro quoque statuario, rogans ut ei, de habitatione accommodaret.

CICERO MEMMIO SAL.

CAio Aviano Evandro, qui habitat in tuo sacrario, & ipso multum utor, & patrono ejus M. Æmilio familiarissime. Peto igitur a te in majorem modum, quod sine tua molestia fiat, ut ei de habitatione accommodes. Nam propter opera instituta multa multorum, subitum est ei remigrare

migrare

ep. 6. *inanes & ambitiosæ voluntatis.* CORT.

EPISTOLA II.

C*Aio Aviano Evandro*) Videtur idem esse in epist. 21. & 27. hujus libri, quamvis hic Evander, ibi Hammonius dicatur. CORRAD. *C. Avieno*, hic, & infra legendum arbitror, auctoribus veteribus monumentis. VASINVS.

In tuo sacrario) *Sacrarium* differebat a *Larario*, & modo locus est singulari cuidam Deo consecratus: vide Struv. Antiq. Rom. c. 11. p. 311. modo etiam ubi *sacra* reponebantur. Et talia privata sacraria unusquisque domi sibi habebat: vide Guther. de vet. jure Pontif. III. c. 9. CORT.

Et ipso multum utor) *Ipso* addidit, cum nomen ejus præcesserit, quia *ipsum* & *patronum* ejus conjungit. Vide super hoc pleonasmo III. ep. 2. & XII. ep. 9. IDEM.

Vt ei de habitat. accommodes) Cic. IV. ad Heren. *Ait se ædes suas cuidam amico ad nuptias accommodasse*. GRÆV.

Subitum est ei remigrare) Al. *emigrare*; *demigrare* fortasse esset magis proprium. CORRAD. Stewech. Amstelod. meus secundus, *subitum est ejus remigra-*

migrare Kal. Quint. Impedior verecundia, ne te pluribus verbis rogem. Neque tamen dubito, quin, si tua nihil aut non multum intersit, eo sis animo quo ego essem, si quid tu me rogares: mihi certe gratissimum feceris.

EPISTOLA III.

Argumentum.

Fusium commendat, quem antea quoque præsens præsenti commendarat. Non videtur eodem anno scripta, sed sequenti: cum ad urbem Cicero revertisset, Memmiumque Athenis in reditu allocutus esset.

M. T. C. C. MEMMIO S. P. D.

AVlum Fusium, unum ex meis intimis, observantissimum studiosissimumque nostri, eruditum hominem, & summa humanitate, tuaque amicitia dignissimum, velim ita tractes, ut mihi coram recepisti. Tam gratum mihi id erit, quam quod gratissimum. Ipsum præterea summo officio & summa observantia tibi in perpetuum devinxeris. Vale.

EPISTOLA IV.

Argumentum.

Volaterranos accurate commendat; Q. Fabio Max. C. Trebonio Coss. reverso ex Hispania Cæsare post devictos Pompeii liberos: quod ex eo loco sequentis epistolæ cogno- *sci-*

grare: forte, *subitum est ei rus migrare*. In villam voluisse migrare potuit. Sed vulgata non est sollicitanda. Graev.

Kal. Quint.) Quod tempus finiendis locationibus constitutum fuisse videtur. Corr.

Epistola III.

IPsum p. summo officio) Ipsum ita tibi devinxeris, ut summum ejus officium & summa observantia in perpetuum tibi sint præsto futura. Idem notares, si diceres: *ad summum officium devinxeris*. Pluribus illustratur genus dicendi ad Sall. Iug. c. 52. Cortius.

Devinxeris) Quod de se bene meritos omnes quovis officiorum genere & singulari observantia prosequi solet. Fvnc.

Epi-

stitur: Hoc tempore eum Cæsar in senatum legit: *senatum enim reversus ex Hispania Cæsar supplevit*, *ut auctor est Dio*.

M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ LEG. PROPRÆT. S. D.

CVm municipibus Volaterranis mihi summa necessitudo est: magno enim meo beneficio affecti, cumulatissime mihi gratiam retulerunt: nam nec in honoribus meis, nec in laboribus umquam defuerunt. Cum quibus si mihi nulla causa intercederet, tamen, quod te vehementissime diligo, quodque me a te plurimi fieri sentio, & monerem te & hortarer, ut eorum fortunis consuleres; præsertim cum prope præcipuam causam haberent ad jus obtinendum. Primum quod Sullani temporis acerbitatem deorum immortalium benignitate subterfugerunt: deinde, quod summo studio populi R. a me in consulatu meo defensi sunt: cum tribuni pl. legem iniquissimam de eorum agris promulgavissent: faci-

EPISTOLA IV.

ORCÆ) Titulum epistolarum ad *Quintum Valerium*, nos ex antiquis codicibus accepimus, ne parva quidem re ab illis discrepantes; quod præcipue notavimus, quia alii dixerunt veterem codicem semper *Ortæ* habere, nos autem in cunctis *Orcæ* legimus uno modo, & Mediceo & reliquis. VICTOR. Sic & Pal. sex. Primus & Amstelod. *Orce*. GRÆV.

Nec in honoribus meis laboribus umquam defuerunt) Prætuli hanc lectionem ex editione Victorii: ideo quod verissima & maxime genuina videtur, tum quod non longe abeunt alii MSi Palatinus primus, Strewechianus, Pechio excerpta, editio princeps, *nec in honoribus meis laboribusque umquam defuerunt*: ut illud *que*, copulatio ab sciolo & ad sensum non penetrante adjectum videatur. Facessant ergo aliorum conjectationes, *nec in laboribus umquam mihi defuerunt*. Editum antehac est: *Nam nec in honoribus meis, nec in laboribus umquam defuerunt*. GERHARD. Certum est copulam non posse abesse; nec dubito quin in editione Victorii sit negligentia librariorum omissa, non studio. Sine illa enim sensus non constat. Firmatur quoque Amstelod. & Mentel. cod. & meo secundo hæc scriptura. Sic inferius epist. 29. *In omni genere & honorum & laborum meorum*. Et in ep. 7. *Nullum umquam fuisse tempus neque honorum, neque laborum meorum*. GRÆV.

Numquam defuerunt) Suffragiis. Quamvis enim municipes essent, qui jus suffragii non habent, quia tamen donati civitate fuerant, suffragium ferebant. CORR.

Sullani temporis acerbitatem) Quo cum Sulla agros divideret, Volaterranum publicavit quidem, sed neque dividere, neque Volaterranis civitatem eripere potuit: cum etiam tum essent in armis, & biennium cum proscriptis obsessi fuissent. IDEM.

Defensi sunt) Cicero consul obstitit, ne lex Agraria ferretur a tribunis plebis promulgata, qua lege Volaterranorum agri divisioni subjiciebantur. Vide Att. I. 19. LALL.

Tribuni plebis). Rullus, & collegæ. CORRAD.

Primo

facile S. P. Q. R. persuasi; ut eos cives, quibus fortuna pepercisset, salvos esse vellent. Hanc actionem meam C. Cæsar primo suo consulatu lege in Agraria comprobavit, agrumque Volaterranum & oppidum omni periculo in perpetuum liberavit: ut mihi dubium non sit, quin is, qui novas necessitudines adjungat, vetera sua beneficia conservari velit. Quamobrem est tuæ prudentiæ aut sequi ejus auctoritatem, cujus sectam atque imperium summa cum tua dignitate secutus es: aut certe illi integram omnem causam reservare. Illud vero dubitare non debes, quin tam grave, tam firmum, tam honestum municipium tibi tuo summo beneficio in perpetuum obligari velis. Sed hæc, quæ supra scripta sunt, eo spectant, ut te horter & suadeam. Reliqua sunt, quæ pertinent ad rogandum: ut non solum tua causa tibi consilium me dare putes, sed etiam quod mihi opus sit, me a te petere & rogare. Gratissimum igitur mihi feceris, si Volaterranos omnibus rebus integros incolumesque esse volueris. Eorum ego domicilia, sedes, rem, fortunas, quæ a diis immortalibus, & a præstantissimis in nostra rep. civibus, summo S. P. Q. R. studio, conservatæ sunt, tuæ fidei, justitiæ, bonitatique commendo. Si pro meis pristinis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere possem Volaterranos, quemadmodum consuevi tueri meos, nullum officium, nullum denique certamen, in quo illis prodesse possem, prætermitterem. Sed, quando apud te nihilo minus hoc tempore valere me confido, quam valuerim semper apud omnes: pro nostra summa

Primo suo consulatu) Cum Bibulo. IDEM. Non dubito vero quin *primo*, quod multi libri veteres ignorant, ex interpretatione magistri irrepserit. GRAVIVS.

Lege in Agraria) Glossema hæc verba sapiunt Cl. Bengelio, qui putat in margine adnotatum fuisse: *lege in Agraria*, Ciceronis; nempe, in Oratione de L. Agraria. CORR.

Novas necessitudines adjungat) Novis beneficiis homines sibi obliget: novos clientes & devinctos agro dividendo acquirat. Cœlius VIII. ep. 4. Cic. V. ep. 7. adde Sall. Iug. c. 14. IDEM.

In perpetuum obligare velis) Tres Guilielmii libri, & tres, quibus ego utor, Amstelodami. Mentel. & meus secundus, *in perpetuum obligari velis*. Hæc lectio reponenda cum Manutio & aliis; male recentiores mutarunt. GRÆV.

Pro m. prist. opibus) Cum insignis mea esset in rep. auctoritas: quæ jam superatis bellis civilibus, quod Cæsar rerum potiretur, amissa erat. FVNC

Nos

ma necessitudine parique inter nos & mutua benevolentia abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut existiment, eum quasi divino consilio isti negotio præpositum esse, apud quem unum nos, eorum perpetui defensores, plurimum valere possumus.

EPISTOLA V.

ARGVMENTVM.

Et rogat, & rationibus etiam persuadere conatur, agrum Curtii non esse dividendum. Eodem anno.

M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ LEG. PROPRÆT. S. P. D.

NOn moleste fero, eam necessitudinem, quæ mihi tecum est, notam esse quam plurimis: neque tamen ob eam causam, quod tu optime existimare potes, te impedio, quo minus susceptum negotium, pro tua fide & diligentia, ex voluntate Cæsaris, qui tibi rem magnam difficilemque commisit, gerere possis. Nam cum multi a me petant multa, quod de tua erga me voluntate non dubitent, non committo, ut ambitione mea conturbem officium tuum. C. Curtio ab ineunte ætate familiarissime sum usus. Ejus & Sullani temporis injustissima calamitate dolui: & cum iis, qui similem injuriam acceperant, amissis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam voluntate omnium concedi vide-

Nos, eorum perp. defens.) *Ego perpetuus defensor*, qui apud te plurimum valeo. Sic Capitolin. in Marco c. 19. Sed hoc forsitan sequioris ætatis videbitur. Observavit tamen etiam Charis. Lib. IV. p. 241. *& nos gessimus* ἀντὶ τοῦ *& ego gessi*. CORT.

EPISTOLA V.

EX *volunt. Cæsaris*) *Secundum*, ut supra II. ep. 15. Sall. Cat. c. 26. CORTIVS.

Ut ambitione mea conturbem officium tuum) *Ambitio* hoc loco est gratia & demonstratio studii in clientes, ut epist. 17. hujus libri: *Faciamque id, quod debent facere ii, qui religiose & sine ambitione commendant*: superius lib. V. ep. 20. ubi vide notas. GRÆV.

Ejus & Sullani temporis calam.) Eleganter *Ejus* præposuit, ut quod ad *incolumitatem* etiam pertinet: prius autem membrum dictum est; ut pro Sextio: *Superioris anni reip. naufragium*. Vide ad X. ep. 3. II. ep. 13. scripta. CORTIVS.

Amissis omnibus fortunis) In proscriptione Sullana. CORRADI

Cæsar)

videretur, adjutor incolumitatis fui. Is habet in Volaterra
no possessionem, cum in eam tamquam e naufragio rel
quias contulisset. Hoc autem tempore eum Cæsar in sen
tum legit: quem ordinem ille, ista possessione amissa, tu
ri vix potest. Gravissimum autem est, cum superior f
ctus sit ordine, inferiorem esse fortuna: minimeque conv
nit, ex eo agro, qui Cæsaris jussu dividatur, eum mov
ri, qui Cæsaris beneficio senator sit. Sed mihi minus lib
multa de æquitate rei scribere, ne causâ potius apud
valuisse videar, quam gratia. Quamobrem te in majore
modum rogo, ut C. Curtii rem meam putes esse: quidqui
mea causa faceres, ut id C. Curtii causa cum feceris, ex
stimes, quod ille per me habuerit, id me habere abs te.
Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA VI.

ARGVMENTVM.

Cuspii amicos omnes generatim commendat, nominatim L
Julium & P. Cornelium. Incerto anno.

M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ, PROCOS
S. P. D.

S. V. B. E. V. Credo te memoria tenere, me & coram
P. Cuspio tecum locutum esse, cum te prosequerer pa
ludatum: & item postea pluribus verbis tecum egisse, ut
quoscumque tibi ejus necessarios commendarem, haber
eos in numero meorum necessariorum. Id tu pro tua sum

n

Cesar) Senatores bellum civile abstulerat, in quorum locum legit ex sua secta etiam peregrinis adicitis. Sueton. CELLAR.

Tueri vix potest) Census Senatorius erat octingentorum millium, antequam ab Augusto varie mutaretur, qui est nostra moneta 20000. scutatorum. Vide Sueton. Aug. c. 41. Manut. de Senatu Rom. c. 2. CORT.

EPISTOLA VI.

P. *Cuspio*) Legendum *Cispio*: ita
nim habent veteres libri, &
pinor *Cispiam* familiam eam esse, q
in argenteis denariis CILIA nominatu
vetere quadam scribendi ratione *S* li
tera explosa. VRSIN. Sic & *L. Cis*
meminit Hirtius de bello Africano
GVILIELM.

Soci

ma erga me benevolentia, perpetuaque obſervantia, mihi liberaliſsime atque humaniſsime recepiſti. Cuſpius, homo in omnes ſuos officioſiſsimus, mirifice quoſdam homines ex iſta provincia tuetur & diligit, propterea quod fuit in Africa bis, cum maximis ſocietatis negotiis præeſſet. Itaque hoc ejus officium, quod adhibet erga illos, ego mea facultate & gratia ſoleo, quantum poſſum, adjuvare. Quare Cuſpianorum omnium commendationis cauſam hac tibi epiſtola exponendam putavi: reliquis epiſtolis tantum faciam, ut notam apponam eam, quæ mihi tecum convenit, & ſimul ſignificem de numero eſſe Cuſpii amicorum. Sed hanc commendationem, quam his litteris conſignare volui, ſcito eſſe omnium graviſsimam. Nam P. Cuſpius ſingulari ſtudio contendit a me, ut tibi quam diligentiſsime L. Iulium commendarem. Ejus ego ſtudio vix videor mihi ſatisfacere poſſe, ſi utar verbis iis, quibus, cum diligentiſsime quid agimus, uti ſolemus. Nova quædam poſtulat, & putat me ejus generis artificium quoddam tenere. Ei ego pollicitus ſum, me ex intima noſtra arte depromturum mirificum genus commendationis. Id cum adſequi non poſſum, tu re velim efficias, ut ille genere mearum litterarum incredibile quiddam perfectum arbitretur. Id facies, ſi omne genus liberalitatis, quod & ab humanitate & poteſtate tua proficiſci poterit, non modo re, ſed etiam verbis, vultu denique exprom-

Societatis) Publicanorum. CORRAD. Publicani in multas ſocietates diviſi conducebant vectigalia. Etenim ut lib. VI. narrat Polybius, alii conducebant, alii cum his ſocietatem coibant, alii ſponſiones faciebant, alii pro his bona fortunaſque ſuas reip. obligabant. Vnde Cic. in Sext. *Nulla erat Romæ ſocietas vectigalium, quæ non honeſtiſſime decreviſſet de mea ſalute.* Et pro Muræna: *Quod ſi omnes ſocietates venerunt, quorum ex numero multi hic ſedent judices.* Et in Bruto: *Familia & liberi ſocietatis ejus, quæ picearias de cenſoribus redemiſſet.* Et in epiſtolis ad fratrem: *Non deſiſtunt nobis quotidie agere gratias honeſtiſſimæ & maximæ ſocietates*: vide inferius ep. 9. hujus libr. C. Sigonius de antiquo jure civium Romanorum lib. II. c. 4. GRÆV.

Quod adhibet erga illos) Duo Palatini, duo Guilielmiani, Amſtelodam. Mentel. Græv. ſecund. *quod adhibetur erga illos*: non male. ID.

Cuſpianorum omnium) Omnium Cuſpii amicorum. CORT.

Vt notam apponam) Formulam quamdam, ex qua cognoſcas me ſcripſiſſe; quæ forſitan fuerit Inſcriptio Epiſtolæ ſola. ID.

Ejus generis artificium) *Ejus generis* litterarum, h. e. commendatitiarum. Vide II. ep. 4. ID.

Ex intima noſtra arte) Rhetorica. CORRAD.

Vultu denique expromſeris) In Medicæo

expromſeris; quæ quantum in provincia valeant, vellem expertus eſſes. Sed tamen ſuſpicor, ipſum hominem, quem tibi commendo, perdignum eſſe tua amicitia; non ſolum, quia mihi Cuſpius dicit, credo, tametſi id ſatis eſſe debebat, ſed quia novi ejus judicium in hominibus, & amicis diligendis. Harum litterarum vis quanta fuerit, propediem judicabo; tibique, ut confido, gratias agam. Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſe diligenterque curabo. Cura ut valeas. P. Cornelius, qui tibi litteras dedit, eſt mihi a P. Cuſpio commendatus: cujus cauſa quanto opere cuperem deberemque, profecto ex me facile cognoſti. Vehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuſpius quam maximas, quam primum, quam ſæpiſsime gratias agat. Vale.

EPISTOLA VII.

ARGUMENTUM.

Petit a Cluvio, ne municipii Atellani vectigalis ager dividatur, ſed integram Cæſari cauſam reſervet. Q. Fabio Max. C. Trebonio Coss.

M. T.

dicæo erat, ut notat Egnatius ad oram primæ editionis *ex proſperis*; unde credo Victorius fecit *expromſeris* recte: idque omne totis apicibus reperi in Palatino ſexto, Vaticani excerptis, eratque ſic in Stewechiano & Hittorpiano; (nec non Amſtelod.) Vulgo *expreſſeris*. Alii addunt, *fronte, vultu denique exp.* neſcio quibus auctoritatibus. GEBH.

Quia mihi Cuſpius dicit) Perdignum tua amicitia eſſe ſuſpicor, atque *id credo*, non ſolum quia Cuſpius dicit, vir gravis & bona fide. Plinius I. ep. 8. adde ejuſdem ep. 20. CORT.

P. Cornelius) Ut hic credam eſſe principium, ut eſt etiam in veteribus libris, vel additionem quamdam facile adducor. CORR. Sane in Amſtelod. Mentel. & Græv. ſec. alia plane eſt epiſtola; ut & in Stewech. In Mentel. præfigitur, *Cicero Q. Valerio S.* GRÆVIUS.

Has litteras dedit) Sic Victorius & antiquiſſimi Codicum. Alii *reddidit*: credo, quia frequentius eſt hoc de illis, qui litteras tradunt. Morem tamen gerendum putavi certiſſimis auctoribus. CORT.

Epi-

M. T. C. CLVVIO S. P. D.

CVm in Galliam proficiſcens, pro noſtra neceſsitudine tuaque ſumma in me obſervantia ad me domum veniſſes, locutus ſum tecum de agro vectigali municipii Atellani, qui eſſet in Gallia: quantoque opere ejus municipii cauſa laborarem, tibi oſtendi. Poſt tuam autem profectionem, cum & maxima res municipii honeſtiſsimi mihique conjunctiſsimi, & ſummum meum officium ageretur, pro tuo animo in me ſingulari, exiſtimavi, me oportere ad te accuratius ſcribere: etſi non ſum neſcius, & quæ temporum ratio, & quæ tua poteſtas ſit: tibique negotium datum eſſe a C. Cæſare, non judicium, præclare intelligo. Quare a te tantum peto, quantum & te facere poſſe, & libenter mea cauſa facturum eſſe arbitror. Et primum velim exiſtimes, quod res eſt, municipii fortunas omnes in iſto vectigali conſiſtere; his autem temporibus hoc municipium maximis oneribus preſſum, ſummis affectum eſſe difficultatibus. Hoc etſi commune videtur eſſe cum multis, tamen, mihi crede, ſingulares huic municipio calamitates accidiſſe; quas idcirco non commemoro, ne de miſeriis meo-

EPISTOLA VII.

IN *Galliam*) Ciſalpinam. CORRAD.

Tuque ſumma in me obſervantia) Victorius eumque ſecutus Gebhardus ediderunt, *quæ tua ſumma in me obſervantia*; quæ lectio in Vaticani quoque excerptis reperitur. Sed vulgatam aſſerunt omnes Palatini, Guilielmii, Amſtelod. Mentel. Grævii ſecundus. Sane in aliis codicibus videtur *que* tranſpoſitum eſſe vitio deſcriptorum. GRÆVIUS.

Municipii Atellani) *Atella* fuit civitas Campaniæ media inter Capuam & Neapolim. Locus is hodie *S. Arpino*, ſive *S. Elpidio* dicitur, ubi civitatis veteris ruinæ & veſtigia conſpiciuntur, præſertim foſſæ, quæ olim mœnia cingebant; ut docet L. Holſtenius Annot. ad Cluv. Ital. antiq. p. 260. quem vide. GRÆV. Coloniæ, & municipia non modo in ſuo territorio poſita, ſed alibi etiam ſua prædia habebant: ager enim hic in Gallia Ciſalpina vectigalis erat municipii Atellani, MAZOCH. in Amphit. Camp.

Qui eſſet in Gallia) Quamvis *Atella* ſit in Campania: ſed & Arpinates hujuſmodi agrum habebant, Epiſt. 11. hujus libri. CORR.

Quantoque opere) Vti ep. 6. *quanta opere*. Et interponi poteſt ejuſmodi vocibus compoſitis alia particula; etſi alias pro uno vocabulo habeantur: vide IV. ep. 7. Sall. Cat. c. 36. Terent. Eunuch. A. III. Sc. III. v. 26. CORTIUS.

Ejus municipii cauſa laborarem) Quod in mea eſſet fide. CORRAD.

Res . . . officium ageretur) Intereſſet illius, tentaretur. Infra ep. 9. *quorum res agitur*. CORT.

Quod res eſt) Quod vere ita ſe habet, veritas eſt. Sic Terent. Adelph. A. II. Sc. I. *Id quod res eſt*: ibi Donatus: *pro id quod verum eſt, bona locutio*. IDEM.

Homi-

meorum necessariorum conquerens homines, quos nolo, videar offendere. Itaque, nisi magnam spem haberem, C. Cæsari nos causam municipii probaturos, non erat causa, cur a te hoc tempore aliquid contenderem: sed quia confido, mihique persuasi, illum & dignitatis municipii, & æquitatis, etiam voluntatis erga se habiturum esse rationem: ideo a te non dubitavi contendere, ut hanc causam illi integram conservares. Quod etsi nihilominus a te peterem, si nihil audivissem te tale fecisse, tamen majorem spem impetrandi nactus sum, postea quam mihi dictum est, hoc idem a te Regienses impetravisse: qui etsi te aliqua necessitudine attingunt; tamen tuus amor in me sperare me cogit te, quod tuis necessariis tribueris, idem esse tributurum meis: præsertim cum ego pro his unis petam: habeam autem, qui simili causa laborent, complures necessarios. Hoc me non sine causa facere, neque aliqua levi ambitione commotum a te contendere, etsi te existimare arbitror: tamen mihi affirmanti credas velim, me huic municipio debere plurimum: nullum umquam fuisse tempus neque honorum, neque laborum meorum, in quo non hujus municipii studium in me exstiterit singulare. Quapropter a te etiam atque etiam, pro nostra summa conjunctione, proque tua benevolentia, majorem in modum peto atque contendo, ut, cum fortunas agi ejus municipii intelligas, quod sit mihi necessitudine, officiis, benevolentia conjunctissimum, id mihi des. Quod erit hujusmodi, ut, si a Cæsare, quod speramus, impetrarimus, tuo beneficio nos id consecutos esse judicemus: sin minus, pro eo tamen id habeamus, cum a te data sit opera, ut impetraremus. Hoc cum mihi gratissi-

Homines quos nolo, videar offendere) Veteranos, & Crispum Sallustium, qui illis in Campaniam paullo ante quam Cæsar in Africam proficisceretur, præfuit, significare videtur. CORR.

Et etiam voluntatis erga se) Etiam particula πλεονάζει non sine vi & adfirmatione, cui alioquin inservire solet. Sic VI. ep. 18. adde II. ep. 13. & præterea notam ad IV. epist. 1. CORTIVS.

Regienses) A Regio Lepidi. CORR.

Te aliqua necessitudine attingunt) Ut clientes. IDEM.

Levi ambitione) Honoris mei causa apud clientes, ep. 5. CORT.

Studium in me exstiterit singulare) In suffragiis: ut in epistola quarta hujus libri dictum est. CORR.

Id mihi des) Gratificeris: vide XII. ep. 16. & IV. ep. 5. CORT.

EPI-

tiſsimum feceris: tum viros optimos, homines honeſtiſsimos, eoſdemque gratiſsimos, & tua neceſsitudine digniſsimos, ſummo beneficio in perpetuum tibi, tuiſque devinxeris.

EPISTOLA VIII.

ARGUMENTUM.

Rogat Rutilium, ut in agrorum diviſione Albinii prædia ne attingat. Eodem anno.

M. T. C. M. RUTILIO S. P. D.

CUm & mihi conſcius eſſem, quanti te facerem, & tuam erga me benevolentiam expertus eſſem, non dubitavi a te petere, quod mihi petendum eſſet. P. Sextium quanti faciam, ipſe optime ſcio: quanti autem facere debeam, & tu & omnes homines ſciunt. Is cum ex aliis te mei ſtudioſiſsimum eſſe cognoſſet, petivit a me, ut ad te quam accuratiſsime ſcriberem de re C. Albinii ſenatoris: cujus ex filia natus eſt L. Sextius, optimus adoleſcens, filius P. Sextii. Hoc idcirco ſcripſi, ut intelligeres, non ſolum me pro P. Sextio laborare debere, ſed Sextium etiam pro Albinio. Res autem eſt hæc: a M. Laberio C. Albinius prædia in æſtimationem accepit, quæ præ-

EPISTOLA VIII.

P. *Sextium*) Epiſt. 6. lib. V. CORR. Quo tribuno plebis promovente Cicero ab exſilio revocatus fuerat. LALLEM.

Homines ſciunt) Nam cum me defenderet, a Clodianis in templo Caſtoris pro occiſo relictus eſt. CORR.

Accuratiſſime ſcrib.) Cum maxima cura. Sic epiſt. 7. *accuratius ſcribere*. CORT.

C. Albinii) Soceri ſui prioris. CORR.

Cujus ex familia natus eſt L. Sextius) Sic fere omnes impreſſi & antiqui codices procul dubio corrupte, *ex filia* enim legendum eſt. C. autem hic Albinius ſenator, ſocer fuit P. Sextii, ut in oratione pro P. Sextio traditur: *Eo*, inquit, *auctore duxit honeſtiſſimi & ſpectatiſſimi viri C. Albinii filiam, ex qua hic eſt puer, & nupta jam filia*, &c. Cum autem quatuor locis in hac epiſtola nomen ejus ponat, ſemel tantum *Albinium* Medicæus codex nominat, cum primum de eo mentionem facit, *de re C. Albinii ſenatoris*: poſtea ſemper *Albanium*, mutato *i* in *a*, & una ſyllaba aucto nomine, niſi *Albini* etiam pro *Albinii* antiqua orthographiæ ratione ſcriptum ſit, ut puto: in orationibus tamen etiam aliis caſibus hoc nomen triſyllabum. VICT.

Prædia in æſtimationem accepit) Hoc eſt, Laberii prædia pro debito acce- pit

prædia Laberius emerat a Cæsare de bonis Plotianis: ea si dicam non esse e rep. dividi, docere te videar, non rogare. Sed tamen cum Cæsar Sullanas venditiones & assignationes ratas esse velit, quo firmiores existimentur suæ: si ea prædia dividentur, quæ ipse Cæsar vendidit, quæ tandem in ejus venditionibus esse poterit auctoritas? Sed hoc quale sit, tu pro tua prudentia considerabis. Ego te plane rogo, atque ita ut majore studio, justiore de causa, magis ex animo rogare nihil possim, ut Albinio parcas, prædia Laberiana ne attingas. Magna me affeceris non modo lætitia, sed etiam quodammodo gloria, si P. Sextius homini maxime necessario satisfecerit per me, ut ego illi uni plurimum debeam. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Majus mihi dare beneficium nullum potes. Id mihi intelliges esse gratissimum.

EPISTOLA IX.

Argumentum.

Crassipedi, Bithyniæ quæstori, Bithynicam publicanorum societatem, in primisque Cn. Pupium commendat. Incertus annus.

M. T. C. CRASSIPEDI S. P. D.

Quamquam tibi præsens commendavi, ut potui, diligentissime socios Bithyniæ: teque cum mea commendatione, tum etiam tua sponte intellexi cupere ei societati, quibuscumque rebus posses, commodare: tamen cum

pit æstimata tanti, quanti erant ante bellum civile. Vide superius lib. IX. epist. 16. & 18. & lib. V. epist. 20. Sic enim Cæsar satisfieri volebat creditoribus ab iis, qui non erant solvendo: vid. Suet. Iul. c. 44. Grav. Videndum, anne de Glossa irrepserint ista, *prædia in*: nam *æstimatio* per se denotat jam prædia æstimata, uti IX. ep. 16. Sed librarii decepti sunt eo, quod mox intulit *quæ prædia*: quod tamen non magis insolens est, quam ea, de quibus ad X. epist. 10. dictum est. Iustin. XVIII. c. 3. Idem IV. c. 3. *Ausi facinus, nulli Tyranno comparandum.* Cort.

Non esse e rep.) Commodum reip. *pro republica*, uti exposuit Sosipat. Charis. Lib. II. p. 209. Id.

Epistola IX.

Socios) Publicanos. Corrad. Vid. ad ep. 6. hujus libri.

Liben-

cum ii, quorum res agitur, magni sua interesse arbitrarentur, me etiam per litteras declarare tibi, qua essem erga ipsos voluntate, non dubitavi hæc ad te scribere. Volo enim te existimare, me cum universo ordini publicanorum semper libentissime tribuerim, idque magnis ejus ordinis erga me meritis facere debuerim; tum in primis amicum esse huic Bithynicæ societati, quæ societas ordine ipso, & hominum genere, pars est maxima civitatis: constat enim ex ceteris societatibus; & casu permulti sunt in ea societate valde mihi familiares: in primisque is, cuius præcipuum officium agitur hoc tempore, P. Rupilius P. F. Men. qui est magister in ea societate. Quæ cum ita sint, in ma-

Libentissime tribuerim) Multa, ut *commendationes*, *benevolentiam*, *operam*, *pretium*, *laudem*: adeoque pro *dare alicui*, quod est *gratificari*, ep. 7. Dicitur absolute etiam infra ep. 70. Quinctil. XII. c. 1. p. 1050. Cum nomine C. Nepos Attic c. 9. Contrario sensu æque præcise ponitur inter alia *invidere*. CORT.

Ordine, ipso hominum genere) Videtur sic potius distinguendum, *ordine, ipso hominum genere*, ut edidimus, quam ut habeat plerique libri vulgati, *ordine ipso, hominum genere*. LAMB. Rescripsi ex Hittorpiano, *ordine ipso & hominum genere*. GRÆV.

Constat ex ceteris societatibus) Plures erant publicanorum societates, quibus ex singulis societas Bithynica socios adsciverat. LALL.

P. Rupilius P. F. Men.) In vetustis libris ita scriptum offendimus, quam lectionem variare, cum nihil certi haberemus, consilium non fuit: qua in sententia permanemus, præsertim cum alios in hac re valde inconstantes videamus. VICTOR. *P. F. Menenius*) Al. *Men.* quas litteras quidam ita separant *M. E. N.* & interpretantur, Meus Est Necessarius: nos nihil hic certi habemus. CORR. *P. F. An.*) Id est, Publii filii, ex tribu Aniensi. LAMBINVS. I. Rutgers. legit *P. Rupilius P. F. Antias*, lib. III. Var. Lect. sed recte libri veteres *P. F. Men.* Cives Romani a tribu ostendi soliti, quæ quidem tribus pleramque in antiquis & lapidibus & libris prima tantum syllaba scripta legitur. Hinc *Men.* est Menenia tribu. Vide Manut. ad VIII. ep. 8. GRÆVIVS. *P. Rupilius P. F. Men.*) Non religiosa Victorii fides in retinendis, quæ fatetur se non intelligere, non aliorum apud Corradum inulsa satis interpretatio, non Manutii cogitatio de tribu (& enimvero hic commodius ad illam citandam locus!) me deterrent, quo minus maneam in prisca mea sententia, in vocabulo postremo latere *M. N.* vel *M'. N.* quod est *Manii nepos*, inde venit in medium littera *e*. I. GRON. *Menenia* tribu, ut recte Manutius. Populus enim Rom. in XXXV. tribus erat divisus, quarum uni inerat quilibet civis. Ea autem Nominibus interdum adponi solet, uti videre est ex VIII. ep. 8. ubi cives e *Pomtina*, *Quirina*, *Pupinia*, *Popilia*, *Aniensi*, *Terentina* tribu nominantur. Adde Manutium & Panvinium de Civ. Rom. c. 52. CORT.

Qui est magister in ea societate) Ex sociis unus fuit, qui magister societatis dictus est, qui Romæ societati ita præerat, ut & socios, quasi senatum cogendi, & ad eos de societatis negotiis referendi potestatem haberet, curamque omnem gereret tabularum & rationum, quæ undique ab iis, qui publicanorum societati operas dabant, Romam mitterentur. Etenim, ut inquit Cic. in frumentaria, *ea est ratio*

 decu-

in majorem modum a te peto, Cn. Pupium, qui est in operis ejus societatis, omnibus tuis officiis atque omni liberalitate tueare: curesque, ut ejus operæ, quod tibi facile factu est, quam gratissimæ sint sociis: remque & utilitatem sociorum, cujus rei quantam potestatem quæstor habeat, non sum ignarus, per te quam maxime defensam & auctam velis. Id cum mihi gratissimum feceris, tum illud tibi expertus promitto & spondeo, te socios Bithyniæ, si iis commodaris, memores esse & gratos cogniturum.

EPISTOLA X.

ARGUMENTUM.

Cæsar, in Africam trajecturus contra Scipionem, Catonem, Iubam regem, Galliæ Cisalpinæ M. Brutum, eum a quo postea est interfectus, nondum prætorium, & Pompeii partes antea secutum, præposuit: is cum in provinciam i.isset, proficiscentem ad eum M. Varronem ejus quæstorem, Cicero familiaris utriusque commendat. Hæc autem commendatio quatuor in partes distribuitur. Primo loco, quæstoris cum prætore suo necessitudo exponitur. Deinde, origo amicitiæ, & Varronis erga se officia narrantur. Sequitur de illius modestia, prudentia, moderatione, diligentia, industria testimonium. Claudit epistolam petitio generalis: ut Varronem Brutus omni liberalitate complectatur: scripta Cæsare

decumarum, ut sine plurimis litteris confici non possit; singula enim nomina aratorum, & cum singulis pactiones decumarum litteris persequi & conficere necesse est. Hic porro habuit quemdam *pro magistro* in provincia, quasi sui muneris vicarium, & societatis præfectum. Vnde Cic. Plancii patrem dixit *maximarum societatum auctorem, plurimarum magistrum*. Cic. alio loco: *P. Terentius Hispo operas in scriptura pro magistro dat*. De eodem ad Att. *Terentius magnas operas in portu, & scriptura Asiæ pro magistro dedit*. Et in Verrem: *In scriptura Siciliæ pro magistro est L. quidam Carpinatius*. Item: *L. Vibius eques Romanus, vir primarius, quem reperiebam magistrum fuisse eo anno*. Sigon. de antiquo Iure Civ. Rom. l. II. c. 4. GRAEV.

Qui est in operis ejus societatis) Hoc est, inter ministros societatis, qui ejus res gerebant. IDEM. Qui *operatur*, forsan pro *magistro*: nam is habebat, quibus negotia sua dabat: vide infra ep. 65. Latinitatem eamdem agnoscas XII. ep. 14. X. ep. 31. & similia. CORT.

EPI-

sare III. *& Lepido Coss. quod ex epist. 6. lib. VI. & libro, qui Orator inscribitur, præterea ex Plutarcho, Appianoque intelligitur.*

CICERO BRVTO S.

CVm ad te tuus quæstor, M. Varro, proficisceretur, commendatione egere eum non putabam. Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more majorum: qui, ut te non fugit, hanc quæsturæ conjunctionem, liberorum necessitudini proximam voluit esse. Sed cum sibi ita persuasisset ipse, meas de se accurate scriptas litteras maximum apud te pondus habituras, a meque contenderet, ut quam diligentissime scriberem, malui facere, quod meus familiaris tanti sua interesse arbitraretur. Vt igitur debere me facere hoc intelligas, cum primum M. Terentius in forum venit, ad amicitiam se meam contulit. Deinde, ut se corroboravit, duæ caussæ accesserunt, quæ meam in illum benevolentiam auxerunt: una, quod versabatur in hoc studio

EPISTOLA X.

BRVTO) M. Bruto, ep. 6. lib. VI. CORRAD.

Cum ad te) In Galliam Cisalpinam. IDEM.

M. Varro) Manutio ille doctissimus Romanorum est, qui de Re Rustica, & pluribus aliis scripsit. At ille piratico bello Pompeii classibus præfuerat (Plin. III. 11. VII. 30.) & ejusdem legatus in Hispania ulteriore, exercitum & provinciam rexerat: (supra, lib. IX. ep. 13.) ut dubites, nunc demum Bruti junioris quæstorem fieri voluisse. Præterea eo ingenio & doctrina fuit, ut doctissimo Bruto ignotus esse non potuerit, aut cui amicitiæ fores primum Tullius aperiret. Alium ergo vel hujus, vel mutati prænominis commendari crediderim. CELLAR.

Ab ipso more majorum) Prosopopœjæ affinis sermo videtur Cl. Bengelio, quia subdidit *voluit*. Eamdem autem præpositionem ex abundanti, sive ut significet *propter*, positam habes supra XI. ep. 13. Livius XXXII c. 14 Idem XXXIII, c. 19. Auson. Epigr. 3. Sall. Iug. c. 31. CORT.

Liberorum necessitudini) Prætor parentis loco quæstori suo esse debebat, more majorum. Vide infra ep. 26. LALL.

In forum venit) Tirocinii die. CORR. Cum prætexta deposita, virilem induit, & in virorum numerum est transscriptus, pro quo in lib. XV. ep. 16. dicitur *forum attingere*. Vide & superius lib. V. ep. 8. GRAV.

Vt se corroboravit) Postquam virilem ætatem attigit, & primum caussas agere cœpit. Cic. V. de Fin. *Quæ uno verbo complexi omnia, honesta dicimus: ad quorum etiam cognitionem & usum jam corroborati, natura ipsa præeunte deducimur*; cum viri jam sumus. Sueton. in Tib. cap. 11. *Petiit, ut sibi securo jam ab hac parte, corroboratis suis, & secundum locum facile tutantibus, permitteretur revisere necessitudines*; hoc est, quia Caius, & Lucius nunc adolevissent. C. Nep. Alcib. *Postquam robustior est factus*, hoc est, adultior. Vid. etiam Manut. GRAV.

Meam in illum benevolentiam auxerunt) Sic rescripsi ex Amstelod. Mentel.

ſtudio noſtro, quo etiam nunc maxime delectamur, & cum ingenio, ut noſti, nec ſine induſtria: deinde, quod mature ſe contulit in ſocietates publicanorum, quod quidem nollem: maximis enim damnis affectus eſt: ſed tamen cauſa communis ordinis mihi commendatiſsimi fecit amicitiam noſtram firmiorem. Deinde verſatus in utriſque ſubſelliis optima & fide, & fama, jam ante hanc commutationem reip. petitioni ſeſe dedit, honoremque honeſtiſsimum exiſtimavit fructum laboris ſui. His autem temporibus a me Brunduſio cum litteris & mandatis profectus ad Cæſarem eſt: qua in re & amorem ejus in ſuſcipiendo negotio perſpexi, & in conficiendo ac renunciando fidem. Videor mihi,

tel. meo ſecundo & duobus Guilielmii. Stewech. *auſerunt*: vulgo *augerent*, quod & ipſum tamen minime ſpernendum. IDEM.

In hoc ſtudio noſtro) Philoſophiæ. CORRADUS.

Cum ingenio) Non modo ſapienter & cum naturali quadam capacitate; ſed etiam ita, ut inventis quædam adderet: nam etiam de hoc ingenium dicitur Ovid. III. Amor. eleg 8. Sueton. Calig. c. 37. Ceterum *cum ingenio* dixit, uti Salluſtius & Livius frequenter *cum cura* Criſpus Cat. c. 51. *Cum ſummo ſtudio domi exſequebantur*. CORT.

Mature ſe contulit in ſocietates) Ut particeps eſſet publicarum conductionum. GRÆV.

Sed tamen cauſa communis ordinis) Cum P. Victorius in optimo illo codice, quem tantopere probat, non reperiſſet vocem *cauſa* (quæ eſt in libr. vulgatis omnibus,) conjecerat legendum eſſe *communi ordinis*: neque tamen auſus erat, ut eſt religioſus και ευλαβης, ita edere. Ne ego quidem igitur audere debui, quamvis ejus conjecturam unius codicis Memmiani teſtimonio confirmatam reperiſſem. LAMBIN. Sane *cauſa* deeſt in Pal. prim. & ſext. in Venet. in Amſtelodam. Mentel Græv. ſec. Stewech. In Hittorpiano tamen ſe reperiſſe teſtatur Guilielmius. GRÆV. Intellige ἀπὸ κοινοῦ *amicitia*, pro more illo, de quo ad X. ep. 25. & ad Sall. Jug. c. 1. exempla adducta. Nam quod vulgatæ editiones *cauſa* nomen addunt, id non modo contra vetuſtiſſimum Victorii, ſed etiam alios permultos codices pugnat. CORT.

Verſatus in utriſque ſubſelliis) In majoribus & in minoribus cauſis. Etſi ſcio, quid de ſubſelliis dicat Aſconius. CORR. Imo *in utriſque ſubſelliis* eſt & patronus fuit, & judex. Vid. orat. pro Roſc. Amerin. GRÆV.

Petitioni) Honorum. An etiam geſſerit, incertum, quia nunc tandem quæſturam gerit, qui primus gradus honorum erat. CELL.

Fructum laboris ſui) Gloria enim & honoribus induſtria alitur, & labor optimi cujuſque proventum honoris ferre debet: *fructum* vocat etiam Sall. Cat. c. 35. ibi plura. CORT.

His autem temporibus) Poſt victum Pompeium. CORR.

Brunduſium cum litteris) Nemo non videt legendum eſſe *Brunduſio*, ut eſt in veteribus libris, eo enim Cicero ſe, victo Pompeio, contulit; unde Varro poſtea ad Cæſarem eſt profectus. IDEM.

Ad Cæſarem) Vel in Ægypto bellum gerentem, vel victo Pharnace in Italiam revertentem. IDEM.

In ſuſcipiendo negotio) Perferendi litteras, & me Cæſari reconciliandi. IDEM.

Et pru-

hi, cum separatim de probitate ejus, & moribus dicturus fuissem, si prius causam, cur eum tantopere diligerem, tibi exposuissem, in ipsa causa exponenda satis etiam de probitate dixisse. Sed tamen separatim promitto in meque recipio, fore eum tibi & voluptati, & usui. Nam & modestum hominem cognosces, & prudentem, & a cupiditate omni remotissimum: præterea magni laboris, summæque industriæ. Neque ego hæc polliceri debeo, quæ tibi ipsi, cum bene cognoris, judicanda sunt: sed tamen in omnibus novis conjunctionibus interest, qualis primus aditus sit, & qua commendatione quasi amicitiæ fores aperiantur: quod ego his litteris efficere volui: etsi id ipsa per se necessitudo quæsturæ efficere debet: sed tamen nihilo infirmius illud, hoc addito. Cura igitur, si me tanti facis, quanti & Varro existimat, & ipse sentio, ut quam primum intelligam, hanc meam commendationem tantum illi utilitatis attulisse, quantum & ipse sperarit, nec ego dubitarim.

EPISTOLA XI.

ARGUMENTUM.

Commendat Bruto & ea vectigalia, quæ Arpinates habebant in Gallia, & legatos, qui ad ea exigenda proficiscebantur. Eodem anno.

M. T. C. BRUTO S. P. D.

QUia semper animadverti, studiose te operam dare, ut ne quid meorum tibi esset ignotum, propterea non dubito, quin scias non solum cujus municipii sim, sed etiam

Et prudentem, & a cupid.) Legendum fortasse est, *& pudentem*, &c. Videtur enim Cicero modestiam & pudorem, virtutes affines, conjungere voluisse. LAMB. Sic & Stephanus in Schediasm. nec refragarer, nisi renuerent veteres omnes codices. GRÆV.

Magni laboris) Cum superius Adjectiva adhibuisset *modestum*, *prudentem*, *remotissimum*, nunc περιφραστικῶς eadem nomina. quod non culpari posse, docui ad XII. ep. 10. CORT.

Quanti & Varro existimat) Supplendum: *te me facere*, vel *me fieri* II. de Offic. c. 22. adde supra II. ep. 12. & V. ep. 1. IDEM.

etiam quam diligenter ſoleam meos municipes Arpinates tueri. Quorum quidem omnia commoda, omneſque facultates, quibus & ſacra conficere, & ſarta tecta ædium ſacrarum locorumque communium tueri poſsint, conſiſtunt in his vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia. Ad ea viſenda, pecuniaſque, quæ a colonis debentur, exigendas, totamque rem & cognoſcendam & adminiſtrandam, legatos equites Romanos miſimus Q. Fufidium Q. F. M. Faucium M. F. Q. Mamercum Q. F. Peto a te in majorem modum, pro noſtra neceſsitudine, ut tibi ea res curæ ſit, operamque des, ut per te quam commodiſsime negotium municipii adminiſtretur, quam primumque conficiatur: ipſoſque, quorum nomina ſcripſi, ut quam honorificentiſsime pro tua natura, & quam liberaliſsime tractes. Bonos viros ad tuam neceſsitudinem adjunxeris: municipiumque gratiſsimum beneficio tuo devinxeris: mihi vero etiam gratius feceris, quod cum ſemper tueri municipes meos conſuevi, tum hic annus præcipue ad meam curam officiumque pertinet. Nam conſtituendi municipii cauſa, hoc anno ædilem filium meum fieri volui, & fratris filium, & M. Cæſium, hominem mihi maxime neceſsarium: is enim magiſtratus in noſtro municipio, nec alius ullus creari ſolet: quos cohoneſtaris, in primiſque me, ſi reſp. municipii tuo ſtudio, & diligentia bene adminiſtrata erit. Quod ut facias te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPI-

EPISTOLA XI.

ARpinates) Arpinum Volſcorum oppidum, municipium & præfectura; hodie *Arpino*. GRÆV.

Sarta tecta ædium ſacrarum) Integra. Nam *ſarcire* eſt *integrum facere*. Feſto p 482. Livius XLII. c. 3. adde Briſſon. VI. de Form. p. 518. CORT.

Ad ea viſenda, pecuniaſque, quæ a colonis) Colonia & municipia etiam extra ſuum territorium poſſeſſiones obtinuiſſe omnes norunt: quemadmodum ex his verbis patet, Arpinatium vectigalia, quæ in Gallia Ciſalpina obtinebant, aliud non fuiſſe, quam agros colonis elocatos, a quibus certa pecuniæ ſumma quotannis exigeretur. MAZOCHIVS in Amph. Camp.

Is enim magiſtratus) Alii in aliis creati, ut Dictatores, IIviri, IIIIviri, Quæſtores, Cenſores, & plures. Vide omnino Sigon II. de Antiquo jure Ital. c. 8. CORT.

Epi-

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

Q. Fufidium, Arpinatum legatum, commendat. Eodem anno.

M. T. C. BRVTO S. P. D.

ALia epistola communiter commendavi tibi legatos Arpinatium, ut potui diligentissime: hac separatim Q. Fufidium, quo cum mihi omnes necessitudines sunt, diligentius commendo: non ut aliquid de illa commendatione comminuam, sed ut hanc addam. Nam & privignus est M. Cæsii, mei maxime & familiaris, & necessarii; & fuit in Cilicia mecum tribunus militum: quo in munere ita se tractavit, ut accepisse ab eo beneficium viderer, non dedisse. Est præterea, quod apud te valet plurimum, a nostris studiis non abhorrens. Quare velim, eum quam liberalissime complectare: operamque des, ut in ea legatione, quam suscepit contra suum commodum, secutus auctoritatem meam, quam maxime eius excellat industria. Vult enim, id quod optimo cuique natura tributum est, quam maximam laudem, cum a nobis, qui eum impulimus, tum a municipio consequi: quod ei continget, si hac mea commendatione tuum erga se studium erit consecutus.

EPI-

EPISTOLA XII.

QVo cum mihi omnes necessitudines sunt) Non solum amicus, sed etiam necessarius, nec uno nomine, sed omnibus: pro quo aliter dicit: *Quo cum mihi omnia intercedunt iura summæ necessitudinis*. GRAEV.

Non ut aliquid de illa commendatione comminuam) Potius sic, quam vulgo *diminuam*, aut cum Lambino, *deminuam*. Et an non eleganter? sic editio princeps, Palatini, atque ipse Victorius sentit. GEBHARD.

Sed ut ad hanc addam) Sic edidit Victorius & Gebhardus, quæ scriptura reperitur etiam in Menteliano, Pal. sex. & meo secundo. Vitiosam tamen eam esse puto, & cum aliis codicibus, inter quos est Amstelodamensis, ac Manutio, scribendum, *sed ut hanc addam*. GRAEV.

In Cilicia) Cum Ciliciam Proconsul administrarem. ID.

Ita se tractavit) Hoc est, ita se gessit. IDEM. *Tractare* pro *habere* aliquem aliquo modo dici, supra notavi, quod etiam de Pronominibus æque valet. Sic XI. ep. 9. *Si se Alpes Antonius traiecerit*. Sall. Iug. c. 85. & sic in multis aliis formulis, ubi vulgo putant *Se* abundare, aut vim quamdam novam in verbo quærunt. CORT.

A nostris studiis) Philosophiæ, cui Brutus impensam dabat operam. LALL.

EPI-

EPISTOLA XIII.

ARGVMENTVM.

L. Castronium Lucensem commendat. Eodem anno.

M. T. C. BRVTO S. P. D.

L. Castronius Pætus, longe princeps municipii Lucensis, est honestus, gravis, plenus officii, bonus plane vir, & cum virtutibus, tum etiam fortuna, si quid hoc ad rem pertinet, ornatus: meus autem est familiarissimus, sic prorsus, ut nostri ordinis observet neminem diligentius. Quare ut & meum amicum, & tua dignum amicitia, tibi commendo. Cui quibuscumque rebus commodaveris, tibi profecto jucundum, mihi certe erit gratum. Vale.

EPISTOLA XIV.

ARGVMENTVM.

Petit, ut exactionem ejus pecuniæ, quam L. Straboni P. Cornelius debet, suo studio & diligentia curet. Eodem anno.

M. T. C. BRVTO S. P. D.

L. Titio Strabone, equite Romano, in primis honesto & ornato, familiarissime utor. Omnia mihi cum eo intercedunt jura summæ necessitudinis. Huic in tua provincia pecuniam debet P. Cornelius. Ea res a Volcatio, qui Romæ jus dicit, rejecta in Galliam est. Peto a te hoc diligentius, quam si mea res esset, quo est honestius de amicorum

EPISTOLA XIII.

L. *Vcensis*) *Luca* primum Galliæ Cisalpinæ oppidum. GRAV. Municipium in Liguriæ & Etruriæ confiniis: civitas etiamnum industria celebris. FVRC.

EPISTOLA XIV.

L. *Titione*) *L. Titio* est in libris manuscriptis, & ita omnino legendum. VRSINVS.

Rejecta in Galliam est) Sic supra: *in aliud tempus rejicere*; ad Atticum: *rejicere rem ad senatum*. CORT.

eorum pecunia laborare, quam de sua, ut negotium conficiendum cures: ipse suscipias, transigas, operamque des, quoad tibi æquum & rectum videbitur, ut quam commodissima conditione libertus Strabonis, qui ejus rei causa missus est, negotium conficiat ad nummosque perveniat. Id & mihi gratissimum erit; & tu ipse L. Titium cognosces amicitia tua dignissimum: quod ut tibi curæ sit, ut omnia solent esse, quæ me velle scis, te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA XV.

ARGUMENTUM.

Præcilium adolescentem, patre natum Cæsaris amicissimo, commendat. Cæsare Cos. IIII. *sine collega: nam scripta videtur hæc epistola, item ut ea quæ sequitur, eo tempore, cum Cæsar adversus Pompeii liberos in Hispania pugnaret: quod etiam doctis viris placuisse video. Et quia Cæsari Imperatori inscribitur, licet intelligere, scriptam esse post* XI. *Kal. Mart. quo die imperatorem appellatum, Ategua in Hispania capta, scribit Oppius.*

M. T. C. C. CÆSARI IMP. S. P. D.

PRæcilium tibi commendo unice, tui necessarii, mei familiarissimi, viri optimi filium: quem cum adolescentem ipsum propter ejus modestiam, humanitatem, animum, & amorem erga me singularem mirifice diligo: tum patrem ejus, re doctus, intellexi & didici mihi fuisse semper amicissimum. Hem hic ille est de illis maxime, qui irridere

EPISTOLA XV.

TIbi commendo unice) Hoc est, singulariter, ut unice amare. GRÆVIUS.

Re doctus) Ipsis factis edoctus. Sall. Cat. c. 35. CORT.

En hic ille est, de illis maxime) Mediceus codex, & alii veteres, ut notat accuratissimus Victorius, *Em*, ut Politiani Terentius in Adelphis: *Em tibi rescivit omnem rem: id nunc clamat.* Quod probo. Sed quid hoc quod optimus codex Palatinus sextus, sicut & Hittorpianus scribant? *Hic ille est maxime qui irridere*, omisso illo *En*. GEBHARD. Recte Manutius *hem hic ille est*. Suspecta mihi sunt *de illis*, quæ nec Hit-

dere atque objurgare me solitus est, quod me non tecum, præsertim cum abs te honorificentissime invitarer, conjungerem.

Αλλ' εμον ουποτε θυμον ενι στηθεσσιν επειθεν·

audiebam enim nostros proceres clamitantes:

Αλκιμος εσσ', ινα τις σε και οψιγονων ευ ειπη.
Ω'ς νεφελη εκαλυψε μελαινα.

Sed tamen iidem me consolantur: & jam hominem perustum, inani gloria volunt incendere: atque ita loquuntur:

Μη

Hittorpianus, nec Pal. sextus agnoscit. Ciceronem scripsisse censeo, *Hem hic est ille, qui maxime irridere atque objurgare me solitus est*. GRÆV.

Objurgare me soliti sunt) Etsi ita quærit Latina locutio, in veteribus tamen libris legitur *solitus est*; quod defendi poterit, si totum locum, ut nonnulli etiam descripserunt, leges: *En hic ille est maxime, qui irridere, atque objurgare me solitus est*. CORRAD.

Αλλ' εμον ουποτε θυμον) Numquam in animum induxi, ut me scilicet tecum conjungerem. CORR. Ex Hom. Odyss. Η. v. 258. GRÆV.

Nostros proceres) Pompeianos. CORRADUS.

Ω'ς νεφελη εκαλυψε μελαινα) Hemistichium hoc Homeri in veteribus cunctis exemplaribus post alterum ejusdem poetæ versum collocatum est: hoc inquam ordine, Ω'ς νεφελη εκαλυψε μελαινα, *Sed tamen idem me consolatur*, &c. ut primo versu narret numquam sibi probasse Præcilium consilium suum, nec sibi persuasisse, ut se cum Cæsare conjungeret: postea addat rationem, cur optimum illius consilium neglexerit: *Audiebam enim*, inquit, *nostros proceres clamitantes*,

Αλκιμος εσσ' ινα τις σε και οψιγονων ευ ειπη.

Nunc cur accidere potuerit, ut præclarum Præcilii consilium repudiarit, ostendit, curque non animo suo ille fidem fecerit. Quoniam, inquit, atra nubes ita occulebat, ut ad eum nulla ratione penetrare potuerit. VICTOR.

Ω'ς νεφελη, &c.) Sic nebula texit, sic imprudens ego Pompeianos secutus sum. CORR. Hemistichium istud ως νεφελη —— exstat Odyss. Ω. v. 314. Prior vero versus αλκιμος εσσ' —— Odyss. Α. v. 302. GRÆV. Αλκιμος. *Strenuus esto, ut aliquis te etiam olim natorum prædicet*. *Si. nubes operuit atra*: quo causam reddidit, cur Pompeianos imprudens secutus sit. CORTIUS.

Idem me consolatur) Ex sensu & vetere libro legendum est, *iidem me consolantur*; *iidem* Pompeiani, qui nunc in Africa fuisse videntur. CORR. Legendum, *sed tamen iidem me consolantur*, non ut vulgo, *idem me consolatur*, &c. Dicuntur enim hæc de proceribus illis, & Pompeianis & optimatibus. Paullo post secutus sum vestigia scripturæ veteris, & Paulli Manutii conjecturam, in eo quod edidi, *perustum inani gloria, volunt incendere*, &c. non, ut habent vulgati, & Victorius probat, *perustum etiamnum gloria*, &c. LAMB.

Hominem perustum inani gloria) Ardentem cupidine famæ. Valer. Flacc. I. 76.

—— *Tu sola animos mentemque peruris Gloria*.

IO. FR. GRON. Sic *urere* pro *bene* vel *male afficere* apud Terentium, & alios. Frequentissime autem *Accendere*, & *Incendere* etiam apud Sallustium de libidinibus animi. CORT.

Perustum etiamnum) Quidam lectionem, quam antea amarant, sine causa damnant; eam nos quoque in Medicæo

Μη μαν ασπυδει γε και ακλειως απολιμην,
Αλλα μεγα ρεξας τι, και εσσομενοισι πυθεσθαι.

Sed minus iam movent, ut vides. Itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad vera præcepta Euripidu·

Μισω σοφιςην, οςις ουχ αυτω σοφος.

quem

dicto invenimus, ideoque tunc recepimus: sic enim in illo est, *etiam hominem perustum, etiam num glori*; nam aliis quoque locis animadverti in illo exemplari hanc vocem ita scriptam esse, ut in prima epistola ad Brutum hujus libri, *Quo etiam nunc maxime delectamur*, ipsi quam depravati sint libri, quibus magnam fidem habent, nolentes ostendunt. VICTORIUS.

Μη μαν ασπυδει γε) Omnes vulgati codices depravate, Αλλ' αγε τους μεμονας, &c. Nostri veteres hac etiam parte incorrupti manent: sunt autem Homeri versus Ιλ. X. ab Hectore pronunciati. Eosdem etiam in prima epistola X. libri ad Attic. ponit Cicero. Generosa autem & clarissimo viro digna sententia his versibus continetur, & quæ ignavum etiam hominem ad gloriam excitaret & incenderet. Horum versuum sententiam vult Polybius Cleomenem illum fortissimum & gloriosissimum Spartæ regem secutum fuisse: cum omni spe destitutus, ne aliquid se indignum sustineret, postremum illud auxilium tentavit, non tam spe conatum illum ad finem perducendi, quam pulcram mortem obeundi. Est autem locus egregie ab eo singulari auctore pertractatus: ideoque non inepte puto me facturum si hic ejus verba, quibus totum negotium exponit, posuero: Εις ὁ βλεπων ὁ Κλεομενης και μοχθηρας ελπιδας εχων υπερ του μελλοντος, παντος πραγματος εκρινε πειραν λαμβανειν. ουχ ουτω πεπεισμενος κατακρατησειν της προθεσεως (ουδεν γαρ ειχεν των ευλογων προς την επιβολην) τοδε πλεον ανδραγαθως αποθνησκειν σπευδαζων, και μηδεν αναξιον υπομειναι της περι αυτον προγεγενημενης τολμης. αμα δε και λαμβανων εν νω το τοιουτον, ως γε μοι δοκει, και υποτιθεμενος οπερ ειωθε συμβαινειν προς τους μεγαλοφρονας των ανδρων,

Μη μαν ασπυδει γε και ακλειως απολοιμην,
Αλλα μεγα ρεξας και εσσομενοισι πυθεσθαι.

Propterea Cleomenes exiguam de cetero spem salutis sibi relictam intelligens, omnia sibi statuit experiundum: non adeo quod voti compotem posse fieri se crederet: (quippe omnibus præsidiis in eam rem necessariis destitutus) sed potius ut honesta defungeretur morte: neve quidquam pateretur virtute illa, qua hactenus claruerat, indignum. Simul, ut equidem reor, succurrebat illi, atque proponebat ipsi sibi hoc ante oculos, uti fieri amat a viris magnis:

At non ignavus certe, obscurusve peribo:
Verum aliquid faciam, etas quod ventura loquetur.

VICTORIUS. Αλλ' αγε τους μεμονας; ου δει γε και ακλειως απολεσθαι, Αλλα μεγα ρεξας τι &c.) Sed age quid moratus es? non oportet quidem & sine gloria perire, Sed magnum facere aliquid &c. Hos versus Cicero forsan mutavit, vel nos habemus corruptos. Certe apud Homerum sic leges, Μη μαν ασπυδει γε, &c. CORRAD. Μη μαν. *Ne certe ignavus & inglorius periero, sed qui magnum fecerim quiddam, quod etiam post futuri cognoscant.* Eadem sententia usus est X. ad Attic. ep. 1. & præter Polybium etiam Lipsius Satyra c. 9 p. m. 66. CORT.

Minus jam movent) Pompeiani. CONRADUS.

Μισω σοφιςην) Vide Ennianum carmen Epist. 6. lib. VII. Odi igitur istos Pompeianos sapientes, qui sibi non sunt sapientes, cum tecum adhuc pugnent. IDEM.

Αμα

quem versum senex Præcilius laudat egregie: & ait, posse eumdem & ἁμα προσσω, και οπισσω videre, & tamen nihilominus:

Αιεν αριστευειν, και ὑπειροχον εμμεναι αλλων.

Sed, ut redeam ad id, unde cœpi, vehementer mihi gratum feceris, si hunc adolescentem humanitate tua, quæ est singularis, comprehenderis: & ad id, quod ipsorum Præciliorum causa te velle arbitror, addideris cumulum commendationis meæ. Genere novo sum litterarum ad te usus, ut intelligeres, non vulgarem esse commendationem.

EPISTOLA XVI.

ARGUMENTUM.

Apollonium, P. Crassi libertum, Cæsari bellum in Hispania contra Pompeii liberos gerenti, commendat. Eodem anno.

M. T. C. C. CÆSARI IMP. S. P. D.

P. Crassum ex omni nobilitate adolescentem dilexi plurimum: & ex eo, cum ab ineunte ejus ætate bene speravissem, tum per me existimare cœpi ex iis judiciis, quæ de eo feceram, cognitis. Ejus libertum Apollonium jam

Αμα προσσω) Et hoc ex Homero desumtum, qui Iliad. Γ. v. 109. Οις δ' ο γερων μετεχῃσιν ἁμα προσσω και οπισσω λευσσει: *Quibus vero senex interfuerit simul ante & post Prospicit*: & Iliad. A. v. 341. Ουδε τι οιδε νοησαι ἁμα προσσω και οπισσω. Eadem de Iano patre dixit Seneca de Morte Claudii c. 10. p. 24. CORT.

Αιεν αριστευειν) Il. Z. 67. & Λ. 127. *Semper optimum esse* (optimatibus favere) *& præstare ceteris*. CORT.

Cumulum commendationis meæ) *A commendatione mea*, propter illam: & ipse ep. 17. Ablativo utitur. Sed iterum patrio ep. 55. Non multum abit V. ep. 13. Neque Tacitus I. Ann. c. 78. IDEM.

EPISTOLA XVI.

P. *Crassum*) M. F. qui cum patre a Parthis interfectus fuit, epist. 8. lib. V. CORR.

Et ex eo cum ab ineunte) Forte, *& de eo cum*. IO. FR. GRON. Et haberem tamen, quibus demonstrarem *ex* pro *de* poni, ut in illo Trebell. Pollion. Gallien. c. 17. *Nec umquam in uno convivio ex uno vino duo pocula bibit*. Sed si dicere licet *pro quo sperare*, nemo hic quidem *ex eo* reprehendet. CORT.

Ad te

jam tum equidem, cum ille viveret, & magni faciebam, & probabam. Erat enim & studiosus Crassi, & ad ejus optima studia vehementer aptus: itaque ab eo admodum diligebatur. Post mortem autem Crassi, eo mihi etiam dignior visus est, quem in fidem atque amicitiam meam reciperem, quod eos a se observandos & colendos putabat, quos ille dilexisset, & quibus carus fuisset. Itaque & ad me in Ciciliam venit, multisque in rebus mihi magno usui fuit & fides ejus & prudentia: &, ut opinor, tibi in Alexandrino bello, quantum studio & fidelitate consequi potuit, non defuit. Quod cum speraret te quoque ita existimare, in Hispaniam ad te, maxime ille quidem suo consilio, sed etiam me auctore est profectus. Cui ego commendationem non sum pollicitus, non quin eam valituram apud te arbitrarer: sed neque mihi egere commendatione videbatur, qui & in bello tecum fuisset, & propter memoriam Crassi de tuis unus esset: & si uti commendationibus vellet, etiam per alios eum videbam id consequi posse. Testimonium meum de eo judicii, quod & ipse magni æstimabat, & ego apud te valere eram expertus, ei libenter dedi. Doctum igitur hominem cognovi, & studiis optimis deditum, idque a puero. Nam domi meæ cum Diodoto Stoico, homine, meo judicio, eruditissimo, multum a puero fuit. Nunc autem incensus studio rerum tuarum, eas litte-

Ad te maxime) Bellum gerentem contra Pompeii filios. CORR.

Testimonium mei de eo judicii). Ita legendum videtur, non *meum*. Ut infra, *opinionis meæ testimonium*. Quid ipse de illo sentirem, pro testimonio libens ei scripsi. IO. FR. GRON.

Nam domi meæ cum Diodoto Stoico, &c.) Nos & hic, & aliis multis locis emendavimus *Diodotum*: sæpe enim de hoc mentionem facit, ut in epistola ad Varronem, cujus initium *περὶ δείπνων*, eo loco, *quam noster Diodotus non concoquebat*; etsi eo etiam loco impressi omnes, *Diodorus* mendose habebant; duobus autem his locis nostri veteres inviolatam scripturam retinent: nec tantum horum auctoritate *Diodotum* semper scripsimus, sed nullos umquam vidimus Ciceronis libros manuscriptos, qui non hoc nomen recte scriptum haberent, quemadmodum contra, nullos formis excusos, qui non contaminatum. Item in proœmio primi libri de Natura Deorum: *Quod & orationes declarant refertæ philosophorum sententiis, & doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, & principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus.* Diodorus autem dialecticus, de quo loquitur supra citata epistola ad Varronem, & in libello de Fato, alius ab hoc est, & tempore antiquior. VICTOR. *Diodotus*) Ep. 4. lib. IX. CORR.

Posse

litteris Græcis mandare cupiebat: posse arbitror: valet ingenio, habet usum, jam pridem in eo genere studii litterarumque versatur; satisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. Habes opinionis meæ testimonium: sed tu hoc facilius multo, pro tua singulari prudentia, judicabis. Et tamen, quod negaveram, commendo tibi eum. Quidquid ei commodaveris, erit id majorem in modum gratum.

EPISTOLA XVII.

ARGUMENTUM.

Sulpicio, jurisconsultorum principi, Achaiæ præfecto, Manium Curium, Patris negotiantem, commendat: Cæsare quartum consule, sine collega, pugnante in Hispania contra Pompeii liberos. Nam eo anno fuisse in Achaia Sulpicium, inde conjicio, quod Ciceronem litteris e provincia missis, quæ lib. IV. leguntur, de obitu Tulliæ filiæ consolatus est. Tullia vero periit Hispaniensi bello, ut ex ep. 22. ad Att. lib. XII. cognoscitur: & ex Hispania Cæsar ipse ad Ciceronem consolatorias litteras misit, ut ex epist. 20. lib. XIII. ad eumdem.

M. T. C. SER. SVLPICIO S. P. D.

M. Curius, qui Patris negotiatur, multis & magnis de caussis a me diligitur. Nam & amicitia pervetus mihi cum eo est, ut primum in forum venit, instituta: & Patris cum aliquoties antea, tum proxime hoc miserrimo bello, domus ejus tota mihi patuit, qua si opus fuisset,

Posse arbitror) Posse nempe *eas litteris Græcis mandare*: quod verbum non protrita elegantia ita per se poni solet, ut vides ad Sall. Iug. c. 3. CORT.

EPISTOLA XVII.

SER. *SVLPICIO*) Græciæ a Cæsare præfecto, epist. 6. lib. VI. CORRADVS.

M. Curius) Ep. 29. lib. VII. ID.

Patris) Quæ urbs est in Peloponneso, Plin. lib. IV. c. 4. & 5. ID.

Vt primum in forum venit) Sic recte Hittorp. Pal. sext. & P. Manut. ed. vulgo, *ut primum in forum veni*. In epist. 10. hujus libri, *Cum primum Terentius in forum venit*. GRAV.

Hoc

ſet, tam eſſem uſus, quam mea. Maximum autem mihi vinculum cum eo eſt, quaſi ſanctioris cujuſdam neceſsitudinis, quod eſt Attici noſtri familiariſsimus, eumque unum præter ceteros obſervat ac diligit. Quem ſi tu jam forte cognoſti, puto me hoc, quod facio, facere ſerius. Ea eſt enim humanitate & obſervantia, ut eum tibi jam per ſe ipſum commendatum putem. Quod tamen ſi ita eſt, magnopere a te quæſo, ut ad eam voluntatem, ſi quam in illum ante has meas litteras contuliſti, quam maximus poſt mea commendatione cumulus accedat. Sin autem propter verecundiam ſuam minus ſe tibi obtulit, aut nondum eum ſatis habes cognitum, aut quæ cauſa eſt, cur majoris commendationis indigeat, ſic tibi eum commendo, ut neque majore ſtudio quemquam, neque juſtioribus de cauſis commendare poſsim: faciamque id, quod debent facere ii, qui religioſe & ſine ambitione commendant: ſpondebo enim tibi, vel potius ſpondeo, in meque recipio, eos eſſe M. Curii mores, eamque tum probitatem, tum etiam humanitatem, ut eum & amicitia tua, & tam accurata commendatione, ſi tibi ſit cognitus, dignum ſis exiſtimaturus. Mihi certe gratiſsimum feceris, ſi intellexero, has litteras tantum, quantum ſcribens confidebam, apud te pondus habuiſſe.

EPI-

Hoc miſerrimo bello) Civili inter Pompeium, & Cæſarem. Corr.

Quam maximus poſt mea commendatione cumulus) Sic repoſueram, conjectura ductus: quia hæc lectio mihi multo videbatur & certior, & ad ſententiam hujus loci accommodatior, quam quæ dicitur eſſe Faerni & Manutii, *quam maximus poteſt, mea commendatione*, &c. Nam vulgata, *quam maximus poſtea commend. cumulus acc.* &c. ferri non poterat. Et credibile eſt, ex *poſt mea*, factum eſſe a librario *poſtea*. Sed ſunt, qui ita legi poſſe contendunt, *quam maximus poſtea, mea commend.* quæ mihi magis probatur: tametſi parum interſit. Atque ita olim operæ fecerunt, meo injuſſu. Non diſſimulabo tamen, etiam Manutio hanc ſcripturam in mentem veniſſe, *quam maximus poſt mea commend. cum. acc.* Ne hoc quidem lectorem celabo, in nonnullis libris vulgatis legi tolerabiliter hoc modo, *quam maximus poſtea commendatione noſtra cumulus accedat*. Sed quia ſuppoſita eſt, & a veſtigiis antiquæ ſcripturæ longius remota, minus probanda. Lamb. Mentel. *quam maximus preterea commendationis cumulus accedat*. Sed cum Manutio & Lambino ſcribendum, *quam maximus poſt mea commendatione*. Graev.

Sine ambitione) Nullam gratiam captans. Vid. ad ep. 5. hujus libri. Graev. Non honoris & gratiæ tantum experiendæ cauſa. Vide ep. 1. Corr.

EPISTOLA XVIII.

ARGVMENTVM.

Primum agit gratias de optima in Pomponium Atticum voluntate; deinde non necessariam commendationem addit, ut neque in Epiroticis negotiis, neque aliis in rebus Attico desit. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

NOn concedam, ut Attico nostro, quem elatum lætitia vidi, jucundiores tuæ suavissime ad eum & humanissime scriptæ litteræ fuerint, quam mihi. Nam etsi utrique nostrum prope æque gratæ erant; tamen ego admirabar magis, te, quasi rogatus, aut certe admonitus liberaliter Attico respondisses: quod tamen dubium nobis, quin ita futurum fuerit, non erat; ultro ad eum scripsisse, eique nec opinanti voluntatem tuam tantam per litteras detulisse. De quo non modo rogare te, ut eo studiosius mea quoque causa facias, non debeo; nihil enim cumulatius fieri potest, quam polliceris: sed ne gratias quidem agere, quod tu & ipsius causa, & tua sponte feceris. Illud tamen dicam, mihi id, quod fecisti, esse gratissimum. Tale enim tuum judicium de homine eo, quem unice diligo, non potest mihi non summe esse jucundum. Quod cum ita sit, esse gratum necesse est. Sed tamen, cum mihi, pro conjunctione nostra, vel peccare apud te in scribendo licet: utrumque eorum, quæ negavi mihi facienda esse, faciam. Nam & ad id, quod Attici causa te ostendisti esse facturum, tantum velim addas, quantum ex nostro amore accessionis fieri potest. Et, quod modo verebar tibi gratias agere, nunc plane ago, teque ita existimare volo, quibuscumque

EPISTOLA XVIII.

E*ique nec opinanti*). *Nec* in his & similibus dictionibus ponitur pro *Non*. Phædrus I. Fab. 9. v. 6. ibi vide Schefferum & N. Dispontinium, ut & Gudium ad V. Fab. 7. v. 7. Cic. I. de Nat. Deor. c. 3. Tibullus IV. El. 9. v. 4. *Nec* etiam cum verbo pro *Non* poni observavi ad Lips. Sat. c. 3. CORT.

In Epi-

que officiis in Epiroticis, reliquisque rebus Atticum obstrinxeris, iisdem me tibi obligatum fore.

EPISTOLA XIX.

ARGUMENTUM.

Rogat, ut Lysonem, quem antea quoque commendaverat, in fidem necessitudinemque recipiat. Eodem anno.

M. T. C. SER. SULPICIO S. P. D.

CUm Lysone Patrensi est mihi quidem hospitium vetus; quam ego necessitudinem sancte colendam puto: sed ea causa etiam cum aliis compluribus; familiaritas tanta nullo cum hospite; & ea cum officiis ejus multis, tum etiam consuetudine quotidiana sic est aucta, ut nihil sit familiaritate nostra conjunctius. Is cum Romæ annum prope ita fuisset, ut mecum viveret, etsi eramus in magna spe, te meis litteris commendationeque diligentissime facturum, id quod fecisti, ut ejus rem & fortunas absentis tuerere: tamen quod in unius potestate erant omnia, & quod Lyso fuerat in nostra causa nostrisque præsidiis, quotidie aliquid timebamus. Effectum tamen est & ipsius splendore, & nostro, reliquorumque hospitum studio, ut omnia, quæ vellemus, a Cæsare impetrarentur: quod intelliges ex iis litteris,

In Epiroticis) Omnis enim Attici pecuniæ reditus constabat in Epiroticis & urbanis possessionibus, ut scribit Nepos. CORR.

EPISTOLA XIX.

CUm Lysone Patrensi) Apud hunc Cicero e Cilicia rediens, ægrum Tironem reliquit, epist. 6. lib. XVI. CORR.

Sancte colendam puto) Nam si vicinitas in propinqua parte amicitiæ putanda; Terent. Heaut. I. I. 5. sancta in primis sunt hospitiorum jura, quibus hospitalis Iupiter præesse dicebatur. Vide Thomas. de Tesseris Hospit. FUNC.

Sed ea causa etiam cum aliis) Nempe *hospitium*: cum pluribus Cicero hospitio jungebatur. *Causam* hic non sine idiotismo posuit, ut quæ de benevolentia, amore, familiaritate alibi etiam dicitur: pro Quint. c. 15. de Provinc. Consul. c. 17. CORT.

Eramus in magna spe) Uti *in spem venire* & *ingredi*, vide IX. ep. 1. sic etiam *in spe esse* dicunt, uti XII. ep. 14. IDEM.

Quod in unius potestate) Cæsaris. CORRAD.

Quod Lyso fuerat in nostra causa) Pompeiana. IDEM.

ris, quas Cæsar ad te dedit. Nunc non modo non remittimus tibi aliquid ex nostra commendatione, quasi adepti jam omnia: sed eo vehementius a te contendimus, ut Lysonem in fidem necessitudinemque tuam recipias: cujus dubia fortuna timidius tecum agebamus, verentes, ne quid accideret ejusmodi, ut ne tu quidem mederi posses: explorata vero ejus incolumitate, omnia a te studia summa cura peto. Quæ ne singula enumerem, totam tibi domum commendo. In his adolescentem filium ejus, quem C. Memmius Gemellus, cliens meus, cum in calamitate exsilii sui Patrensis civis factus esset, Patrensium legibus adoptavit: ut ejus ipsius hereditatis jus causamque tueare. Caput illud est, ut Lysonem, quem ego virum optimum gratissimumque cognovi, recipias in necessitudinem tuam. Quod si feceris, non dubito, quin in eo diligendo, ceterisque postea commendando, idem, quod ego, sis judicii & voluntatis habiturus. Quod cum fieri vehementer studeo, tum etiam illud vereor, ne si minus cumulate videbere fecisse aliquid ejus causa, me ille negligenter scripsisse putet, non te oblitum mei. Quanti enim me faceres, cum ex sermonibus quotidianis meis, tum ex epistolis etiam tuis potuit cognoscere.

EPISTOLA XX.

ARGUMENTUM.

Commendat Asclaponem medicum. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

ASclapone Patrensi medico utor valde familiariter, ejusque cum consuetudo mihi jucunda fuit, tum ars etiam,

Omn. a te studia summa cura peto) Al. *O. a te summo studio, summaque c. p.* IDEM.

C. Memmius) Ep. 1. hujus lib. eumdem enim existimamus esse. IDEM.

Patrensis civis) Quod licebat exsulibus, qui Romæ pro *peregrinis* habebantur ex L. I. Cod. de hered. constit. Aliter si esset, *amitti putabant civitatem Romanam, alia adscita*, C. Nepos Attico c. 3. quod tamen sub imperatoribus contra observatum. CORT.

Ep.

etiam, quam sum expertus in valetudine meorum. In qua mihi cum ipsa scientia, tum etiam fidelitate benevolentiaque satisfecit. Hunc igitur tibi commendo: & a te peto, ut des operam, ut intelligat, diligenter me scripsisse de sese, meamque commendationem usui magno sibi fuisse. Erit id mihi vehementer gratum.

EPISTOLA XXI.

ARGVMENTVM.

Domum, & rem familiarem M. Æmilii, maximeque C. Hammonium, libertum ejus, commendat. Eodem anno.

M. T. C. SER. SVLPICIO S. P. D.

M. Æmilius Avianus ab ineunte adolescentia me observavit, semperque dilexit, vir cum bonus, tum perhumanus, & omni genere officii diligendus. Quem si arbitrarer esse Sicyone, & nisi audirem ibi eum etiam nunc, ubi

EPISTOLA XX.

IN *valetud. meorum*) Præsertim Tironis, epist. 9. lib. XVI. CORR.

EPISTOLA XXI.

VIr *cum bonus, tum perhumanus, & in omni officii genere diligendus*) Rectum non puto, receptam lectionem cum antiqua consentientem immutare, quæ præsertim egregium sensum habeat: neque enim semper eodem pacto loquitur Cicero, & frustra tam eloquens habitus esset, si elocutionem variare non potuisset. *In omni igitur officii genere diligendus*, qui ita se gerit in omni officii genere, ut merito amari diligique possit, qui cumulate omnibus officiis satisfacit; non pauci enim in hoc aut illo officio laudari, in aliquo tamen (non enim perfecti & absoluti sumus) non valde commendari possunt: ex iis erat Avianus, qui uno tenore in omnibus officiis responderet. VICTOR. *Et in o. off. g. diligendus*) Legendum fortasse est, ut Manutius opinatur *diligentissimus*. LAMBIN. Hittorp. Palat. prim. Amstelodam. Græv. sec. Gebhard. *Vir cum bonus, tum perhumanus, & omni officii genere diligendus*. Ment. *Vir cum bonus, tum perurbanus & omni officii genere diligendus*, Vt exponatur a Victorio, vides; sed hanc sententiam non efficiunt hæc verba Tullii. Conjectura Manutii est præferenda codicum antiquorum scripturæ, *vir in omni officii genere diligens*. Vide notas ejus. GRÆV. *In omni genere officii diligens*) Ita leg. vel *diligentissimus*, omnibus officii muneribus studiose fungens. Pro Cœl. XXX. *Castissimo viro, atque omnis officii diligentissimo*. IO. FR. GRON. Nihil profecto mutandum, ut vidit Cl. Bengelius: nam opponit *dilexit* & *diligendus*, ea ratione, qua IX. ep. 15. *amas* & *amandus*. Sall. Iug. c. 69. ubi plura. CORT.

Sicyone) Sicyon urbs Peloponnesi antiquissima GRÆV.

ubi ego reliqui, Cybiræ commorari, nihil esset necesse plura me ad te de eo scribere. Perficeret enim ipse profecto suis moribus, suaque humanitate, ut sine cujusquam commendatione diligeretur abs te non minus, quam & a me, & a ceteris suis familiaribus. Sed cum illum abesse putem, commendo tibi in majorem modum domum ejus, quæ est Sicyone, remque familiarem, maxime Cajum Avianum Hammonium, libertum ejus: quem quidem tibi etiam suo nomine commendo. Nam cum propterea mihi est probatus, quod est in patronum suum officio & fide singulari; tum etiam in me ipsum magna officia contulit, mihique molestissimis temporibus ita fideliter benevoleque præsto fuit, ut si a me manumissus esset. Itaque peto a te, ut eum Hammonium, & in patroni ejus negotio sic tueare, ut ejus procuratorem, quem tibi commendo, & ipsum suo nomine diligas, habeasque in numero tuorum: hominem pudentem & officiosum cognosces, & dignum, qui a te diligatur.

EPISTOLA XXII.

ARGUMENTUM.

T. Manlium suo Varronisque Murenæ nomine commendat. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

T. Manlium, qui negotiatur Thespiis, vehementer diligo. Nam & semper me coluit diligentissimeque observavit, & a studiis nostris non abhorret. Accedit eo, quod

Cybiræ) Est urbs Phrygiæ majoris ad Mæandrum, una harum trium diœceseων Asiaticarum, quæ præter Ciliciam Ciceroni datæ sunt administrandæ. Vid. lib. V. ad Att. epist. ult. IDEM.

Tum etiam in me ipsum) Quasi scripsisset, *tum etiam quod in me ipsum*. Sic ep. 1. & X. ep. 12. CORT.

Procuratorem) Res patroni sui curantem domesticas. FUNC.

EPISTOLA XXII.

Thespiis) *Thespiæ* est Bœotiæ urbs sub Helicone ad sinum Crisseum, Musis sacra, unde *Thespiades* dictæ. GRAEV.

Quam-

quod Varro Murena magnopere ejus causa vult omnia: qui tamen existimavit, etsi suis litteris, quibus tibi Manlium commendabat, valde confideret, tamen mea commendatione aliquid accessionis fore. Me quidem cum Manlii familiaris, tum Varronis studium commovit, ut ad te quam accuratissime scriberem. Gratissimum igitur mihi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimum: id est, si T. Manlium, quam maxime, quibuscumque rebus honeste ac pro tua dignitate poteris, juveris atque ornaveris. Ex ipsiusque præterea gratissimis & humanissimis moribus confirmo tibi, te eum, quem soles fructum a bonorum virorum officiis exspectare, esse capturum.

EPISTOLA XXIII.

ARGVMENTVM.

L. Cossinium libertum commendat.

CICERO SERVIO S.

L. Cossinio, amico & tribuli tuo, valde familiariter utor. Nam & inter nosmet ipsos vetus usus intercedit, & Atticus noster majorem etiam mihi cum Cossinio consuetudinem fecit. Itaque tota Cossinii domus me diligit, in primisque libertus ejus L. Cossinius Anchialus, homo & patrono, & patroni necessariis, quo in numero ego sum, probatissimus. Hunc tibi ita commendo, ut, si meus libertus esset, eodemque apud me loco esset, quo & est apud patronum suum, majore studio commendare non possem. Quare

Quantum cui) Quantum *ei*, cui. Similis modus intendendi illi V. ep. 2. *Tam enim sum amicus reip. quam qui maxime*. CORT.

Id est) Honesta interpretatio, quales laudavi ad II ep. 17. IDEM.

EPISTOLA XXIII.

Vetus usus intercedit) Commercium, familiaritas. Pro eo posuit Sueton. Iulio c. 75. *Assiduo inter utrasque partes usu atque commercio*. CORT.

Eodemque apud me loco) Eodem statu gratiæ. Vide ad III. ep. 6. IDEM.

Quo & est apud) Conjunctionem & delevimus, quam ignorant regii codices. LALL.

Quare pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis: atque eum, quod sine molestia tua fiat, si qua in re opus ei fuerit, juveris. Id & mihi vehementer gratum erit, & tibi postea jucundum. Hominem enim summa probitate, humanitate, observantiaque cognosces.

EPISTOLA XXIV.

ARGUMENTUM.

Primum agit gratias Sulpicio, quod se totum Lysoni remisisset: deinde rogat, ut eumdem omnibus officiis omnique liberalitate complectatur. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

CUm antea capiebam ex officio meo voluptatem, quod meminetim, quam tibi diligenter Lysonem, hospitem & familiarem meum, commendassem; tum vero postea, quam ex litteris ejus cognovi, tibi eum falso suspectum fuisse, vehementissime lætatus sum, me tam diligentem in eo commendando fuisse. Ita enim scripsit ad me, sibi meam commendationem maximo adjumento fuisse, quod ad te delatum diceret, sese contra dignitatem tuam Romæ de te loqui solitum esse. De quo, etsi pro tua facilitate & humanitate purgatum se tibi scribit esse; tamen primum, ut debeo, tibi gratias ago, cum tantum litteræ meæ potuerunt, ut, his lectis, omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysone, deponeres: deinde credas mihi affirmanti velim, me hoc non pro Lysone magis, quam pro omnibus scribere, hominem esse neminem, qui umquam mentionem tui sine tua summa laude fecerit. Lyso vero cum mecum prope quotidie esset, unaque viveret, non solum quia me libenter audire arbitrabatur; sed quia libentius

EPISTOLA XXIV.

O*ffensionem suspicionis*) Invidiam & odium ex suspicione. Sic Cicero frequenter *invidiam* cum *offensione* conjungit, & *gratiæ* vel *benevolentiæ* opponit. Sueton. Flav. Vesp. c. 4. & alibi *offensam* dixit. Vellei. Pat. II. c. 29. *in offensis exorabilis*. CORT.

Unis-

tius ipse loquebatur, omnia mihi tua & facta, & dicta laudabat. Quapropter etsi a te ita tractatur, ut jam non desideret commendationem meam, unisque se litteris meis omnia consecutum putet; tamen a te peto in majorem modum, ut eum etiam atque etiam tuis officiis, liberalitate complectare. Scriberem ad te, qualis vir esset, ut superioribus litteris feceram, nisi eum jam per se ipsum tibi satis esse notum arbitrarer.

EPISTOLA XXV.

ARGVMENTVM.

Hagesaretum breviter, sed accurate commendat.

CICERO SERVIO S.

HAgesaretus Larissæus magnis meis beneficiis ornatus in consulatu meo, memor & gratus fuit, meque postea diligentissime coluit. Eum tibi magnopere commendo, ut & hospitem meum & familiarem, & gratum hominem & virum bonum, & principem civitatis suæ, & tua necessitudine dignissimum. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat; hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuisse.

EPI-

Vnisque se litteris meis) Ita olim ope nostrorum antiquorum codicum hunc locum castigavimus: nonnulli tamen affirmant, se nunc, cum in omnibus impressis antea *iisque se litteris* legeretur, *unisque se litteris* emendasse. in nostro autem libello de hac, ut plana certaque animadversione non disputaramus. VICTOR.

EPISTOLA XXV.

H*Agesaretus Larissæus*) *Hegesaretus Larisæus* scribendum, ἡγησάρετος enim Græce: & Λαρισαῖα unico σ, ex veteribus numismatibus scribi debere alibi admonuimus. VASIN.

Et hospitem meum &) Notandum hoc & adjiciendum exemplis Tursellini de Particulis c. 62. ut in quo & sæpius reperitur. CORT.

Epi-

EPISTOLA XXVI.

ARGUMENTUM.

Commendat Mescinii Achaica negotia. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

L. Mescinius ea mecum necessitudine conjunctus est, quod mihi quæstor fuit. Sed hanc causam, quam ego, ut a majoribus accepi, semper gravem duxi, fecit virtute & humanitate sua justiorem. Itaque eo sic utor, ut nec familiarius ullo, nec libentius. Is quamquam confidere videbatur, & sua causa, quæ honeste posses, libenter esse facturum; magnum esse tamen speravit apud te meas quoque litteras. Id cum ipse ita judicabat, tum pro familiari consuetudine sæpe ex me audierat, quam suavis esset inter nos & quanta conjunctio. Peto igitur a te, tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi necessario & tam familiari, ut ejus negotia, quæ sunt in Achaia, ex eo, quod heres est M. Mindio, fratri suo, qui Eli negotiatus est, explices, & expedias cum jure & potestate,

EPISTOLA XXVI.

L. *Mescinius*) Ep. 20. lib. V. CORRADUS. Et ep. 21. L. V. it. 9. XVI. GRÆV.

Magnum tamen esse speravit apud te meas litteras pondus habituras) Hic tantum admonere visum est, nos hunc locum ex antiquioribus codicibus, ut in nostro legitur, emendasse. Quam enim cultior sit & elegantior a nobis restitutus sensus, & modus dicendi, nullum puto dubitaturum. Cur autem non anteponam integram & genuinam lectionem novæ & contaminatæ? VICTOR. *Magn. esse tamen sper. ap. te meas quoque litteras*) Hanc lectionem firmant codices Pall. Guilielm. Amstelod. edit. princeps & omnes libri veteres. *Magn.* &c.) Summo cum judicio hunc locum primus P. Victorius restituit, cujus tamen genus dicendi Manutio non satisfacit; non novum; quem & certissimis argumentis nimis strabum fuisse industriæ & gloriæ Victorianæ possum convincere; & præterea non semper teretes aures attendisse vel habuisse. Eam, ne quis de ea dubitet, lectionem reperi in Pall. duobus optimis, Vaticani excerptis, deletaque erat dudum ex Mediceo in prima editione ab Egnatio illa cauda duarum vocum *pondus habituras*. GEBHARD. *Magnum sunt litteræ* recte dicitur, ut infra XIV. ep. 3. *ejicere nos magnum fuit*; & quoad Genus dictum, ut, *me esse aliquid*; & similia de quibus ad VI. ep. 19. adde omnino IV. ep. 2. notata. Denique *magnum esse* pro *futuras* dixit, uti Guntherus Ligur. I. v. 486. *Dum se ferre suos sperant: impune reatus*: ibi plura Rittershusius. CORT.

Qui Eli negotiatus est) Nonnullis visum est rectius hic *Elide* legi, quam *Eli*,

ſtate, quam habes; tum etiam auctoritate & conſilio tuo. Sic enim præſcripſimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus, quæ in aliquam controverſiam vocarentur, te arbitro, &, quod commodo tuo fieri poſſet, te diſceptatore uterentur. Id ut honoris mei cauſa ſuſcipias, vehementer te etiam atque etiam rogo. Illud præterea, ſi non alienum tua dignitate putabis eſſe, feceris mihi pergratum: ſi qui difficiliores erunt, ut rem ſine controverſia confici nolint, ſi eos, cum cum ſenatore res eſt, Romam rejeceris. Quod quo minore dubitatione facere poſsis, litteras ad te a M. Lepido conſule, non quæ te aliquid juberent, neque enim id tuæ dignitatis eſſe arbitramur, ſed quodam modo quaſi commendatitias ſumſimus. Scriberem, quam id beneficium bene apud Meſcinium poſiturus eſſes, niſi & te ſcire confiderem, & mihi peterem. Sic enim velim exiſtimes, non minus me de illius re laborare, quam ipſum de ſua. Sed cum illum ſtudeo, quam facillime ad ſuum pervenire; tum illud laboro, ut non minimum hac mea commendatione ſe conſecutum arbitretur.

EPISTOLA XXVII.

ARGUMENTUM.

Gratias agit Sulpicio, quod Æmilium Avianum liberaliter

Eli, adeo ut in poſteriorum editionum codicibus ita fere ſcriptum ſit: quod miror, cum frequenter hujus urbis nomen in obliquis caſibus parem ſyllabarum numerum cum recto habeat. Plinius lib XVI. *Sunt qui feminam Ilicem vocent, atque ubi non naſcitur ilex, pro ea ſubere utuntur, ut in carpentariis præcipue fabricis, ut circa Elim & Lacedæmonem*; ſed nec multo poſt iterum. Eadem ignorantia aliqui fortaſſe decepti ita emendarunt hunc locum in III. de Natura Deorum: *Venus prima Cælo & Die nata, cujus Elide delubrum vidimus*: cum in veteribus exemplaribus ibi etiam *Eli* legatur. VICTOR. *Eli* eſt in Pall. Hittorp. Amſtelodam. *Elis* eſt civitas Peloponneſi, a qua & ipſa regio Elis dicitur. GRÆV.

M. Lepido conſule) Cum Cæſare. CORRAD.

Bene poſiturus eſſes) Quomodo II. de Offic. *Benefacta male locata malefacta arbitror*. Sic infra ep. 54. adde ep. 41. ep. 55. A re nummaria illuſtrari poteſt. Quinctil. Declam. IX. c. 16. *Ubi enim pecunia melius poni poteſt, quam ubi fœnus bonitatis extenditur.* CORT.

Epi-

ter honorificeque tractasset : eumdemque rursus commendat. Laudat in extremo Servium filium. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

LIcet eodem exemplo sæpius tibi hujus generis litteras mittam, cum gratias agam, quod meas commendationes tam diligenter observes: quod feci in aliis, & faciam, ut video, sæpius: sed tamen non parcam operæ, & ut vos soletis in formulis, sic ego in epistolis de eadem re alio modo. C. Avianus igitur Hammonius incredibiles mihi gratias per litteras egit, & suo, & Æmilii Aviani, patroni sui, nomine, nec liberalius nec honorificentius potuisse tractari, nec se præsentem, nec rem familiarem absentis patroni sui. Id mihi cum jucundum est eorum causa, quos tibi ego summa necessitudine & summa conjunctione adductus commendaveram, quod M. Æmilius unus est ex meis familiarissimis atque intimis, maxime necessarius homo, & magnis meis beneficiis devinctus, & prope omnium, qui mihi debere aliquid videntur, gratissimus: tum multo jucundius, te esse in me tali voluntate, ut plus prosis amicis meis, quam ego præsens fortasse prodessem: credo, quod magis

EPISTOLA XXVII.

S*Ed tamen non parcam*) *Sed* est particula inceptiva, & sæpe quasi otiosa apponitur : vide VI. epist. 6. CORT.

Et ut vos soletis in formulis) Antea in omnibus impressis legebatur, *& ut vos in vestris formulis* : corruptus est hac parte Medicæus codex : ita tamen corruptus, ut arbitrer ex ipso elegantiorem vulgata lectionem elici posse, quam ipse sane probavi : an peccaverim, nunc eruditi cognita illa animadvertent, *Et ut voletis in formulis*: ejus igitur auctoritatem secutus, tollendam censui dictionem *vestris*, & ex *voletis*, *vos soletis*, feci. Sic etiam cum Trebatio, qui & ipse jurisconsultus erat, locutus est : *Hoc (quemadmodum vos scribere soletis in vestris libris) idem Q. Cornelio videbatur.* VICTOR. *Formulæ* autem sunt actiones; hinc *formula excidere* apud Sueton. est actionem perdere. *De eadem re alio modo* est formula Iurisconsultis antiquis usitata in præscribendis actionibus, cum ostenderent ejusdem rei consequendæ vias complures esse, & actiones varias posse institui. Ideo Cicero ad S. Sulpicium, Iurisconsultum primarium scribens ait ; *ut soletis in formulis, sic ego in epistolis de eadem re alio modo*. BRISSON.

Te obtinente Achaiam) Qui in Græciam a Romanis cum imperio mittebatur, non Græciæ, sed Achaiæ præfectus dicebatur : eo quod Græcos domuerunt per Achaos, qui principem tunc in Græcia tenebant locum : Pausanias in Achaicis. FUNC.

De eadem re alio modo) Formula, qua utebantur jurisconsulti, in præscribendis actionibus, cum ostenderent ejusdem rei consequendæ plures esse vias, & varias institui posse actiones. LALL.

Iucun-

magis ego dubitarem, quid illorum causa facerem, quam tu, quid mea. Sed hoc non dubito quin existimes mihi esse gratum. Illud te rogo, ut illos quoque gratos homines esse putes: quod ita esse tibi promitto atque confirmo. Quare velim, quidquid habent negotii, des operam, quod commodo tuo fiat, ut, te obtinente Achaiam, conficiant. Ego cum tuo Servio jucundissimo conjunctissime vivo: magnamque cum ex ingenio ejus singularique studio, tum ex virtute & probitate voluptatem capio.

EPISTOLA XXVIII.

ARGVMENTVM.

Agit gratias de Mescinio humanissime tractato: rogatque, ut sua in eum beneficia, quibus possit rebus, augeat. Commendat etiam Lacedæmonios; si modo una est epistola quod non arbitror. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

ETsi libenter petere a te soleo, si quid opus est meorum cuipiam; tamen multo libentius gratias tibi ago, cum fecisti aliquid commendatione mea, quod semper facis. Incredibile est enim, quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocriter a me tibi commendati: quæ mihi omnia grata, sed de L. Mescinio gratissimum. Sic enim est mecum locutus, te, ut meas litteras legeris, statim procuratori-

Jucundissime, conjunctissime vivo) Sic ex Mediceo Victorius rescripsit, assentientibus & aliis pervetustis codicibus; nec ignoro Ciceronem nonnumquam copulam omittere. Ut in primo Acad. *Sermones Socratis perscripti varie, copiose sunt*: alia quoque exempla notavit Manutius ad præcedentem epistol. 24. Sed ego non dubito quin rectius longe scriptum sit in Amstelodamensis bibliothecæ libro: *Ego cum tuo Servio jucundissime conjunctissime vivo*. GRÆVIUS.

Facessat hinc longe Amstelodamensis Bibliothecæ unius MSi lectio, quam Grævius & cum eo Cellarius receperat in textum: quam nos dedimus, est reliquorum MSorum & editionum omnium, quam qui mutaverit idem tentare debet supra III. ep. 4. VII. ep. 2. Apud Cæsar. I. B. G. c. 74. Propert. I. eleg. 3. v. 43. Confer. VII. ep. 4. Liv. XLII. c. 55. Sall. Cat. c. 13. CORTIUS.

toribus suis pollicitum esse omnia, multo vero plura & majora fecisse. Id igitur, puto enim etiam atque etiam mihi dicendum esse, velim existimes, mihi te fecisse gratissimum. Quod quidem hoc vehementius lætor; quod ex ipso Mescinio te video magnam capturum voluptatem. Est enim in eo cum virtus & probitas, & summum officium summaque observantia, tum studia illa nostra, quibus antea delectabamur, nunc etiam vivimus. Quod reliquum est, velim augeas tua in eum beneficia omnibus rebus, quæ te erunt dignæ. Sed duo quidem te nominatim rogo: Primum ut, si quid satisdandum erit amplius eo nomine non peti, cures ut satisdetur fide mea: Deinde, cum fere consistat hereditas in iis rebus, quas avertit Oppia, quæ uxor Mindii fuit, adjuves ineasque rationem, quemadmodum ea mulier Romam perducatur: quod si putarit illa fore, ut opinio nostra est, negotium conficiemus. Hoc ut assequamur, te vehementer etiam atque etiam rogo. Illud, quod supra scripsi, id tibi confirmo in meque recipio, te ea, quæ fecisti

EPISTOLA XXVIII.

Pollicitum esse omnia) *Plura* quam *omnia* vix quisquam facere potest; sed *omnia* est de formula Cæsar VII. B. G. c. 26. Mart. II. epigr. 14. CORTIUS.

Est enim in eo) Ita describunt qualitates, habitum, & naturam. Plura ad locum ad XVI. ep. 5. citandum. IDEM.

Si quid satisdandum erit, amplius eo nomine non peti) Si cavendum erit, neminem in posterum, quod solvetur, pecuniam aut hereditatem petiturum. *Amplius peti* non modo ab ipso Mescinio, sed ab ullo quoque alio: quorum magis causa, quam ipsius litigatoris, satisdatio exigebatur, quod scilicet in controversiam venire poterat, hereditas ne ad eum, qui tum peteret, pertineret, atque ideo ab aliis quæstionem reis movere, quasi minus recte solvissent, non justo heredi. BERNARD. RUTIL. *Amplius eo nomine non peti* est sollemnis formula Jurisconsultorum, ad quam etiam Cicero alludit in Bruto: *Mihi quoque, inquit Brutus, & exspectanda sunt ea, quæ Attico polliceris, & fortasse ego a te hujus voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, se incommode exactorum negat. At vero, inquam, tibi ego Brute non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, petiturum. Non mehercule, inquit, tibi repromittere istud quidem ausus sim. Nam hunc qui negat video flagitatorem, non illum quidem tibi molestum, sed assiduum tamen & acrem fore.* GRAEV.

*Illud quod supra scripsi, id * in meque recipio*) Sic vulgati omnes nulla defectus suspicione. Nos ex vetustis exemplaribus cognovimus verbum aliquod desiderari: nec tamen id ausi sumus (quod non difficile fuisset) restituere: maluimus locum, qua consuevimus nota signare, & ita videmur officio nostro satisfecisse. Qui locum mancum esse, ferre non potest, is *promitto in meque recipio* legat, ut ipse in epistola, qua M Varronem Bruto commendat, loquitur: vel *spondeo, in meque recipio*, ut in ea qua Sulpicio Curium, vel ut alii locum hunc supple-

eisti Mescinii causa, quæque feceris, ita bene collocaturum, ut ipse judices, homini te gratissimo, jucundissimo benigne fecisse: volo enim ad id, quod mea causa fecisti, hoc etiam accedere. Nec Lacedæmonios dubitare arbitror, quin ipsi sua majorumque suorum auctoritate satis commendati sint fidei & justitiæ tuæ: & ego, qui te optime novissem, non dubitavi, quin tibi notissima & jura, & merita populorum essent. Itaque cum a me peteret Philippus Lacedæmonius, ut tibi civitatem commendarem: etsi memineram, me ei civitati omnia debere, tamen respondi, commendatione Lacedæmonios apud te non egere. Itaque sic velim existimes, me omnes Achaiæ civitates arbitrari pro horum temporum perturbatione felices, quod his tu præsis: eumdemque me ita judicare, te, quod unus optime nosses non nostra solum, sed etiam Græciæ monumenta omnia, tua sponte amicum Lacedæmoniis & esse, & fore. Quare tantum a te peto, ut cum ea facies Lacedæmoniorum causa i quæ tua fides, amplitudo, justitia postulat, ut his, si tib, videbitur, significes, te non moleste ferre, quod intelligas, ea quæ facias, mihi quoque grata esse. Pertinet enim ad officium meum eos existimare, curæ mihi suas res esse. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPI-

pleverunt *confirmo*, *in meque recipio*. Nos in re tam parva fidem fallere noluimus, quam dedimus studiosis omnibus, numquam de nostro aliquid, nisi certissimis argumentis ductos, repositoros: atque id quidem raro admodum, nec sine testificatione licentiæ, qua usi erimus. VICTOR. *Quod supra scripsi, id * in meque recipio*) Secuti sumus Victorium ita hunc locum ut mancum notantem. In Palatino sexto, ut vulgo editum est, scribitur, *id tibi confirmo*, *in meque recipio*; sed ut ex optimo libro descriptus est, ita non admodum vetus est, ut monachus qui lacunam viderit, eam aliunde exemplaribus inspectis impleverit: prima editio, *illud quod supra scripsi*, *id in me recipio*. Palatinus primus, *id illud in me recipio*. GEBHARD. Amstelodam. *id illud in re recipio*. Sed quoniam Manutius in suis quoque libris invenisse *id tibi confirmo* testetur, neque id sapiat descriptorum barbarorum ingenium, non fuit sane repudiandum. Videtur enim ea vox in Mediceo nonnullisque aliis exemplaribus excidisse. GRAEV.

Eumdemque me ita judicare) *Me eumdem* dixit, ut utriusque *judicii* arcta connexio & hujus quidem auctoritas indicaretur. Sic *idem tu*, *eadem hæc* & similia in nota ad VII. ep. 17. Liv. XL. c. 12. CORT.

EPI-

EPISTOLA XXIX.

ARGVMENTVM.

Capitonem diligentissime commendat pro hereditate Antistii. Eodem anno.

M. T. C. L. PLANCO S. D.

NOn dubito, quin scias, in iis necessariis, qui tibi a patre relicti sunt, me tibi esse vel conjunctissimum, non his modo causis, quæ speciem habeant magnæ conjunctionis, sed iis etiam, quæ familiaritate & consuetudine tenentur: quam scis mihi jucundissimam cum patre tuo & summam fuisse. Ab his initiis noster in te amor profectus, auxit paternam necessitudinem, & eo magis, quod intellexi, ut primum per ætatem judicium facere potueris, quanti quisque tibi faciendus esset, me a te in primis cœptum esse observari, coli, diligi. Accedebat non mediocre vinculum cum studiorum, quod ipsum est per se grave; tum eorum studiorum, earumque artium, quæ per se ipsæ eos, qui voluntate eadem sunt, etiam familiaritate devinciunt. Exspectare te arbitror, hæc tam longe repetita principia quo spectent: id primum ergo habeto, non sine magna justaque causa hanc a me commemorationem esse factam. C. Ateio Capitone utor familiarissime. Notæ tibi sunt varietates meorum temporum: & in omni genere & honorum, & laborum meorum & animus, & opera, & auctoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præsto fuit, & patuit & temporibus, & fortunæ meæ. Hujus propinquus fuit

EPISTOLA XXIX.

L. PLANCO) Est ille, ad quem lib. X. epistolæ sunt scriptæ post Cæsaris mortem, sed hæc multo ante. CORRAD.

Earumque artium) Vt Rhetorices; fuit enim L. Plancus orator insignis. CORRADVS.

Res familiaris C. Capitonis præsto fuit, & paruit & temporibus & fortunæ meæ) *Patuit* pro *paruit* scriptum est in veteribus libris, meliore, ut mihi videtur, sententia. VASIN. *Etiam res familiaris C. Capitonis præsto fuit & patuit*) Sic in libris suis reperit Vrsinus: in nostris tamen omnibus, Palatinis sex, Gruteriano, editione prima, *paruit*; sed quoniam *patuit* admisit Victorius, & ex eo Lambinus, extetque in Vaticani excerptis, non admodum

fuit T. Antistius : qui cum forte quæstor Macedoniam obtine-

modum incommodum visum fuit esse sententiæ, præsertim cum illi respondeat in Officiis : *Nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit*. Ego interim non damno το *paruit*, imo jam melius placet. GRÆV. Mentel. *presto fuit & aperuit temporibus*. Amstelod. & Græv. sec. *& paruit*, GRÆV. *Res familiaris C. Capitonis presto fuit, & patuit, & temporibus & f.*) Videndus etiam de hoc loco Cujacius LXXV. Observ. c. 15. ubi ostendit, quam eleganter apud ICtos verbum *parere* sumatur fere pro solvere, ac satisfacere, & hinc de lectione hujus etiam loci judicat; cum tamen ista exempla vix congruant huic sententiæ, quam afferre vult Tullius. J. GRON. Legendum hic esse *patuit* non *paruit*, certius esse puto, quam, ut pro conjectura haberi debeat. Atqui, dicet aliquis, in omnibus editionibus legitur *paruit*: & nonnullos Ciceronianos hanc vocem in isto dicendi genere probasse, argumento esse vel hoc potest, quod ipsi eam usurpare non dubitarunt. Ego vero illi ita respondebo: Si tantum auctoritatis apud me Ciceronicolæ haberent, quantum apud eos hic vel ille mendosus liber habuit; & quantum ei fidei tribuerunt, tantum ego vicissim ipsis tribuendum esse censerem, non solum genus hoc loquendi, sed alia multo magis a Ciceronis stilo, vel potius ab omni Latinitate aliena reciperem, & contra nonnulla vere Ciceroniana e Ciceronis libris excluderem: sed jam dudum istos, qui Ciceronianos se appellari volunt (aliquot excipio) tam malos esse Latinitatis judices mihi persuasi, ut quod maxime eorum judicio probatur, id mihi suspectum sit vel maxime. Quare invitis, & repugnantibus illis repono hic *patuit*. Sed me pudet, me pudet, inquam, eo rem rediisse, ut hæc etiam mea tam certa alioqui & indubitata castigatio probatione tamen opus habeat. Verum apud quos probatione eget? Nempe apud eos homines, qui non jam Ciceronicolarum sermonem ex Ciceroniano, sed Ciceronianum ex Ciceronicolarum sermone æstimandum esse arbitrantur. At enim cedendum est tempori, & hominum ignorantiæ dandum est aliquid. Quæ ergo spectant ad castigationis hujus confirmationem, afferantur, Dico infinitos propemodum apud Ciceronem esse locos, in quibus verbo *patere* hac in significatione utatur; ex quibus tamen unum proferre satis erit ex Orat. pro Corn. Balbo hunc: *Injuriosum & contumeliosum est, his premiis & his honoribus exclusos esse fidelissimos & conjunctissimos socios, que pateant stipendiariis, pateant hostibus, pateant sepe servis*. Quid si vero locum hunc & alios omnes illi similes æque suspectos habeat aliquis, atque ego hunc habeo? Et cum ex illis locis hunc castigare ego velim, illos ipse contra ex hoc castigandos esse existimet? tam proclivem certe lapsum ex *t* in *r*, quam ex *r* in *t* esse confiteor: sed habendam hic esse rationem cujusdam significationum, ut ita dicam, analogiæ quis negare audeat? Si ergo dicitur res familiaris alicujus mihi parere & obedire, quando ille mihi impertit meumque communicat: nimirum res familiaris alicujus dicetur mihi non parere sed repugnare, quam mihi non impertit, cujusque me participem non facit. Atqui audita hæc locutio numquam fuit: sed potius dicitur res mea familiaris tibi claudi, cujus tibi usum denego. Sic Terentius dixit Eunuch. *Nunc ubi meam benignitatem sensisti in te claudier?* Quis autem non videt verbum *claudi* oppositum esse verbo *patere*, non autem *parere*, seu *obedire*? Verum enim vero quid hunc ego Terentii locum profero? Ecce enim pro *claudier* aliud nuper ex vetusto exemplari in Veneta Edit. repositum fuit verbum, videlicet *calvier*, adeo ut illa vox, quam ut certam ad hanc probandam affero, ipsamet probatione egeat: utpote quam controversam vetus reddet exemplar. Quin etiam illic Donatus non ipsam quidem vocem, sed ejus dubiam reddere videtur significationem. Legit enim *claudier*, sed duplicem ejus affert explicatio-

tineret, neque ei successum esset, Pompeius in eam provinciam cum exercitu venit. Facere Antistius nihil potuit. Nam si potuisset, nihil ei fuisset antiquius, quam ad Capitonem, quem ut parentem diligebat, reverti: præsertim cum sciret, quanti is Cæsarem faceret, semperque fecisset. Sed oppressus tantum attigit negotii, quantum recusare non potuit.

nem: ut videlicet aut pro *claudi*, aut pro *claudicare* positum sit. At ego in veteri illo exemplari (ne quid gravius dicam) desidero constantiam, in Donato autem diligentiam. Cur enim in Andria, ubi vulgaris lectio est: *nolo tibi ullum commodum in me claudier*, exemplar illud non habebat ibidem *calvier*? cur vero non itidem Donatus hic *claudier* ambiguam significationem habere dicebat? Quod tamen nihilo magis in illo, quam in hoc loco adnotaturum fuisse existimo, si significationis oppositi verbi *patere* recordatus fuisset: aut verbi *excludi*, quo, diversa quidem constructione, sed eodem sensu utitur M. Tullius, quo Terentius usurpat *claudi*. Quis enim præmiis & honoribus excluditur, nisi is, cui præmia, & honores non patent, sed clauduntur? Sed enim cum mihi jam multo majus sit certamen, quam fore putaram: (utpote quem non istam modo castigationem meam in hac epistola contra illos ineptissimos Ciceronicolas, sed etiam illam apud Terentium lectionem contra codicem antiquum & doctissimum etiam Grammaticum Donatum tueri oporteat) illo me Ciceronis loco armabo, in quo ita legitur: *Nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit: nec ita reseranda, ut pateat omnibus*. En ut pulcre ex Cicerone Ciceronem & Terentium etiam ipsum explicatum habemus: ut videlicet idem valeant hæc verba: *res familiaris C. Capitonis patuit mihi*, atque illa: *rem suam familiarem mihi reseravit C. Capito, vel aperuit*. Aut: *rem meam familiarem mihi numquam clausit C. Capito*. Et quod dixit Terentius: *meam benignitatem in te claudi*, Ciceroniana periphrasi dici possit: *rem meam familiarem tibi benignitate mea non aperiri*.

Eant nunc igitur Ciceronipetæ, & pervicaciter adversus me pugnent pro verbo *paruit*: eat vetus exemplar & nobis exhibeat *clavier*: eat Donatus & *claudier* exponat *claudicare*. Quid jam habent, quod mihi opponant? nihil opinor. Quid dico? Imo vero antequam illam, quam reponere volo lectionem, evincam, quorumdam Ciceronicolarum refutandum mihi superest argumentum, ut ipsi quidem vocant, gravissimum & firmissimum, at, ut omnes, qui sane sunt mentis, appellabunt levissimum ac futilissimum, atque adeo ineptissimum, id est illorum simillimum. Hunc enim Ciceronis ex III. Verr. locum proferunt: *Tune quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, nisi id ad nutum tuum præsto fuerit, nisi libidini tuæ, cupiditatique paruerit, imitentur homines?* Et postquam hæc verba recitarunt, mirari se dicunt cur verbum *paruit* post *præsto fuerit*, me magis offendat in illo epistolæ, quam in hoc Verrinæ orationis loco: *O stupidos & bardos homines, o corpora sine pectoribus, o putida hominum cerebra!* quæ tamen si qua habent, non in capite, sed in calcaneo gestant. Et tot verbis opus est (pro pudor!) ad conservandam sartam tectam ab istorum contumeliis Ciceronianæ dictionis dignitatem? Isti tamen, quales quales sunt, Ciceronis veri imitatores vocabuntur: & viri summo judicio atque ingenio præditi ab illis toti pendebunt, atque in eorum verba jurabunt: & quorum, ut cæcorum, duces esse deberent, ab illis duci se postulabunt?

Xanthe retro propera, versæque recurrite lymphæ.

HENR. STEPHAN.

Pompeius in eam provinciam) Ex Italia a Cæsare pulsus. CORRAD.

Cum

potuit. Cum signaretur argentum Apolloniæ, non possum dicere eum præfuisse, neque possum negare adfuisse, sed non plus duobus, an tribus mensibus. Deinde abfuit a castris: fugit omne negotium: hoc mihi ut testi velim credas; meam enim ille mœstitiam in illo bello videbat, mecum omnia communicabat. Itaque abdidit se in intimam Macedoniam, quo potuit longissime a castris, non modo ut non præesset ulli negotio, sed etiam ut ne interesset quidem. Is post prælium se ad hominem necessarium A. Plautium in Bithyniam contulit. Ibi eum Cæsar cum vidisset, nihil aspere, nihil acerbe dixit. Romam jussit venire. Ille in morbum continuo incidit, ex quo non convaluit. Æger Corcyram venit, ibi est mortuus; testamento, quod Romæ Paullo & Marcello consulibus fecerat, heres ex parte dimidia & tertia est Capito; in sextante sunt ii, quorum pars sine ulla cujusquam querela publica potest esse: ea est ad HS XXX. Sed de hoc Cæsar viderit. Te, mi Plan-

Cum signaretur argentum) Usui nempe nummorum. Isidor. XV. Orig. c.17. *Tria autem sunt genera argenti, & auri, & æris, signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in nummis est: factum est, quod in vasis & signis: infectum est, quod in massis est, quod & grave dicitur.* CORT.

In illo bello) Civili. CORR.

Is post prælium) Pharsalicum. ID

A. Plancium) Non dubito, quin *A. Plautium* legendum sit: opinorque A. Plautium describi, qui Ædilis Curulis fuit, cujusque mentio est in antiquis denariis. VASIN. Sane sic Hittorp. Vatic Pal. prim. & sex. Vict. ed. Amstelod. *A. Plausium*. GRÆV.

Ibi eum Cæsar cum vidisset) Post bellum Alexandrinum. CORRAD.

Corcyram). Insulam maris Ionii hodie *Corfu*. GRÆV.

Heres ex parte dimidia & tertia est Capito) Semisse & triente, hoc est, dextante. CORR. Decem partes cepit totius hereditatis. GRÆV.

In sextante sunt ii) Reliqua assis parte: *quorum pars - - - publica potest esse*) Publicari potest. CORR. Reliquæ duæ hereditatis partes cernendæ sunt iis, quorum bona sine ullius querela possunt confiscari. Quod hic notavit Manutius de dextante, deunce, quincunce, septunce, besse, pro partibus hereditatis a veteribus non esse usurpata, exemplis refelli potest. *De besse* sane locus exstat apud Plin. lib. VII. epist. 24. *Reliquit heredes ex besse nepotem, ex tertia parte neptem*. GRÆVIUS. Frequenter dicitur *in his* vel *illa summa esse, vivere* pro accipere vel possidere, ut Horat. II. ep.2. *Meo sum pauper in ære*. Vide quæ plura congessit Gronovius I. de Pec. vet. c. 1. Hinc *in sextante esse*, etiamsi ne quidem repeteretur *heredes*, esset: *Reliquas duas hereditatis partes accipiant*. CORT.

HS XXX) Scutatorum septuaginta quinque millia, non nonaginta millia, ut vult Manutius; hoc est, florenorum Belgicorum ducenta viginti quinque millia. GRÆV.

Sed de hoc Cæsar viderit) Ad quem id pertinet. CORRAD. Hujus rei curam Cæsari relinquamus. Ovid. XI. de Arte:

Viderit Atrides: Helenen ego crimine solvo.

Cic. de perfecto Oratore: *Sed Græci vide-*

Plance, pro paterna necessitudine, pro nostro amore, pro studiis, & omni cursu nostro totius vitæ simillimo, rogo, & a te ita peto, ut majore cura, majore studio nullo possim, ut hanc rem suscipias: meam putes esse, enitare, contendas, efficias, ut mea commendatione, tuo studio, Cæsaris beneficio, hereditatem propinqui sui C. Capito obtineat. Omnia, quæ potui in hac summa tua gratia ac potentia a te impetrare, si petiissem, ultro te ad me detulisse putabo, si hanc rem impetravero. Illud fore tibi adjumento spero, cujus ipse Cæsar esse optimus judex potest; semper Cæsarem Capito coluit & dilexit. Sed ipse hujus rei testis est: novi hominis memoriam. Itaque nihil te doceo: tantum tibi sumito pro Capitone apud Cæsarem, quantum ipsum meminisse senties. Ego, quod in me ipso experiri potui, ad te deferam: in eo quantum sit ponderis, tu videbis. Quam partem in rep. causamque defenderim, per quos homines, ordinesque steterim, quibusque munitus fuerim, non ignoras. Hoc mihi velim credas, si quid fecerim hoc ipso in bello minus ex Cæsaris voluntate, quod intellexerim scire ipsum Cæsarem, me invitissimum fecisse, id feci aliorum consilio, hortatu, auctoritate: quod fuerim moderatior, temperatiorque, quam in ea parte quisquam, id me fecisse maxime auctoritate Capitonis: cujus similes si reliquos necessarios habuissem, reip. fortasse nonnihil, mihi certe plurimum profuissem. Hanc rem, mi Plance, si effeceris, meam de tua erga me benevolentia spem confirmaveris, ipsum Capitonem, gratissimum, officiosissimum, optimum virum ad tuam necessitudinem tuo summo beneficio adjunxeris.

EPI-

viderint: nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur. GRAEV.

In hac summa gratia tua) Apud Cæsarem, quem secutus es. CORR.

Id feci aliorum consilio) Legendum, *id fecisse aliorum consilio*. LAMB. Lambinus contra omnes libros legendum censet priori etiam loco *id fecisse*. Cl. Bengelius existimat *id me fecisse* pendere a *scire ipsum Cæsarem*, quod juxta plane æstimo. Vtrumque a *velim credas* regitur, sed amant varietatem modorum, ut docui ad XII. ep. 2. CORTIVS.

EPISTOLA XXX.

ARGUMENTUM.

L. Manlium familiarissimum suum, in hereditate fraterna omnibusque rebus commendat: & quo magis commendatio valeat, ornat eum probitatis & doctrinæ laudibus. Eodem anno.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

L. Manlius est Sosis, is fuit Catinensis: sed est una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, decurioque

EPISTOLA XXX.

L. *Manlius est Sosis*) Alii *Sufis*; parum quidem interesse, & exigua inesse videtur mutatio: sed ut nos vidimus in Palatino primo, editionibus, vetustissima, ac Florentina P. Victorii, ita bonum factum esse judicavimus edere. GEBHARD. Cognomine Sosis: *Reliquis Neapolitanis* ait comparate ad Manlium Sosim, qui jam eo tempore unus civium Neapolitanorum erat, uti postea subjicit, *decurioque Neapoli. Erat enim adscriptus in id municipium ante civitatem sociis, & Latinis datam*. Ultima ista *αντιλογια* diserte testatur, tum cum ex lege Iulia sociis & Latinis civitas data fuit, eamdem etiam Neapolitanis fuisse impertitam; quia vero jam antea Manlius Sosis in id municipium adscriptus fuerat, jure suo *una cum reliquis Neapolitanis civis Rom. factus est*. Nihil hoc loco disertius, ex quo simul ostenditur statim post legem Iuliam Neapolitanos ad civitatem vocatos, aliquamdiu quidem dubios, quid facto opus esset, scissos in divortia sententiarum, ex Balbiana c. 8. sed statim consopito certamine amplexos civilitatem. MAZOCH. in Tabb. Heracl. p. 492. Sunt qui hunc Tullii locum minime recoquentes aperte ostendi dicant, adscivisse Neapolitanos Romanam civilitatem, ac liberæ reipub. jacturam fecisse, cives, inquam, Neapolis, Campaniæ urbis. Verum hæc opinio tribus potissimum difficultatibus constare non potest. 1. Idem Tullius pro Balbo 8. palam præsefert Neapolitanos hosce, ne populus fundus Romanorum, & municipium essent, enixe obstitisse, atque c. 24. fatetur eosdem privo fœderis jure obstrictos. Quapropter praterea Livius l. XXV. cap. 15. aperte indicat, hos Neapolitanos cum Romanis solummodo fœderatos, ut sileam Strabonis verba apertissima pro immunitate a Latinis legibus p. 449. & Statium canentem eos abhorruisse fasces Romanos, Sylv. l. 3. 5. v. 87. Vides igitur Tullium ipsum ceterosque adversari huic loco, si Tullius Neapolim Campaniæ municipium dicat 2. Sunt in hoc Tullii loco *Decuriones* Neapoli, atque ea urbs, quæ multis post Augustum seculis Græcanica floruit, *municipium* appellatur: quod sane nusquam reperi, contra vero Græcos Magistratus ubique scriptorum ac lapidum Neapoli floruisse legere est, præsertim Δημαρχος Φρητραρχος κ. τ. λ. Imo Spartianus H. A. p. 174. Hadriani Aug. ævo *demarchatus* dignitatem Neapoli viguisse testatur. 3. Manlius Sosis erat vir peregrinus, Siculus scilicet. Atqui ex Strabone p. 445. ostendimus, Neapolitanos vix passos esse donare advenas Campanos infimis suæ reip. officiis. Fieri igitur non poterat, ut Sosis Siculus, posthabitis egregiis civibus, maximo decurionis munere honestaretur. Et Strabonis suffra-

que Neapoli: erat enim adscriptus in id municipium ante civitatem sociis, & Latinis datam. Ejus frater Catinæ nuper mortuus est. Nullam omnino arbitramur de ea hereditate controversiam eum habiturum: & est hodie in bonis: sed cum habet præterea negotia vetera in Sicilia sua, & hanc

fragatur Tullius, qui docet, Neapolitanos peregrinis nulla umquam magistratuum munia contulisse, sed dumtaxat *civitatem: aliaque id genus præmia*, uti Archiæ hæc collata legas, atque etiam scenicis artificibus. Tull. pro Arch. 3. & 5. Quare reor posthac nullum fore, qui credat Sosidem Neapoli in urbe Campaniæ decurionis munere functum esse, cum ea opinio tam vehementibus difficultatibus afflicta sit. Quapropter, cum quasi ratum sit Sosidem nostra hac in urbe renunciatum haud fuisse decurionem, constetque fuisse Siculum, *Catanæ* nempe civem, facile inducor, ut credam, Tullium loqui de Neapoli Siciliæ una ex quatuor *maximis urbibus*, in quas Syracusæ dispescebantur, *quadruplices* propterea appellatæ, ut ait Cic. in Verr. IV. c.53. Neque quod ait Cicero hunc *factum civem Romanum ante civitatem sociis & Latinis datam*, objiciat quis haud fieri potuisse, ut in Sicilia quædam urbes id decus adeptæ essent; nam ab Plinio H. N. lib. III. c. 2. didici, postquam Romani in gentes extra Italiam arma intulere, etiam in provinciis non unas civitates municipiorum jure donasse, ut in Bætica octo, in citeriore Hisp. 13. in Sardinia 2. in Lusitania 1. & nunc ex Tullio affirmare possumus etiam in Sicilia Neapolim Syracusarum municipium factam. Nec reponant, propterea quod Tullius palam dicit Sosidem cum Neapolitanis civem Romanum factum, & legem Iuliam, quæ pro una Italia lata est, commeminit, frustra me laborasse, ut ostenderem Tullium de Neapoli Syracusarum loquutum: habeo enim non levem conjecturam, quam amicorum doctissimi etiam probarunt, qua & meæ sententiæ, & Tullii famæ prospiciam, ne vecordem, & turpiter memoria laborantem traducamus, cum in orat. pro Balbo fateatur, majorem Neapolitanorum partem legem hanc Iuliam repudiasse, & Neapolim fœderatam dumtaxat urbem appellet: imo si contra sint tot reliquorum scriptorum testimonia, aperte ajentia, numquam Neapolim fuisse municipium; qui fieri potest, ut in ea epistola hanc nostram urbem longe ante Iuliam legem Romanam civilitatem acceptasse edicat Cicero, & quæ mox firmarat, eadem destruat? Igitur si importuna verba ab epistola eradamus: *Ante civitatem sociis, & Latinis datam*, res erit integra, & turpis ἀντιλογία ab summo oratore auferetur. Neque quis me audacissime redarguat, quod parvum κομμα ab epistola exturbarim, cum constet in veterum Scriptorum operibus ab ignarissimis verba aliquot margini olim adscripta, deinde ab librariis æque ἀμαθέσι in contextum recepta, præsertim si leges vel illustrandæ, vel recitandæ fuissent. Martorellius.

Catinensis) *Catina* celebris Siciliæ civitas. Hodie etiam *Catana* dicitur. Graev.

Decurioque Neapoli) Municipiorum & coloniarum senatores dicuntur *decuriones*: Consules vero *duumviri*, *quatuorviri*, *seviri*. Idem.

Sociis & Lat. datam) Civitatem Sociis & Latinis datam esse lege Iulia, docemur orat. pro Corn. Balbo c. 8. Func.

Est hodie in bonis) Est in possessione bonorum. Sic *esse in suis nummis*. Cic. IV. in Verrem: *Hominem video auctionem fecisse nullam, vendidisse præter fructus nihil umquam, non modo in ære alieno nullo, sed in suis nummis multis esse ac semper fuisse*. D. Paullus in epist. ad Philipp. IV. 11. Ἐγὼ γὰρ ἔμαθον, ἐν οἷς εἰμι, αὐτάρκης εἶναι. *Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse*; ut bene vertit interpres vetus, quem recentiores perperam corrigunt. Graev.

Epi-

hanc hereditatem fraternam, & omnia ejus tibi commendo, in primisque ipsum virum optimum, mihique familiarissimum, his studiis litterarum doctrinæque præditum, quibus ego maxime delector. Peto igitur abs te, ut eum, sive aberit, sive non venerit in Siciliam, in meis intimis, maximeque necessariis scias esse: itaque tractes, ut intelligat, meam commendationem sibi magno adjumento fuisse.

EPISTOLA XXXI.

ARGUMENTUM.

Flavium, Pisonis generi sui, cum viveret, pernecessarium commendat. Eodem anno.

M. T. C. ACILIO PROCOS. S. P. D.

C. Flavio, honesto & ornato equite Romano, utor valde familiariter. Fuit enim generi mei, C. Pisonis, pernecessarius, meque diligentissime observat & ipse, & L. Flavius, frater ejus. Quapropter velim honoris mei causa, quibus rebus honeste & pro tua dignitate poteris, quam honorificentissime, & quam liberalissime C. Flavium tractes. Id mihi sic erit gratum, ut gratius esse nihil possit. Sed præterea tibi affirmo, neque id ambitione adductus facio, sed cum familiaritate & necessitudine, tum etiam veritate, te ex C. Flavii officio, & observantia, & præterea splendore, atque inter suos gratia, magnam voluptatem esse capturum.

EPISTOLA XXXII.

ARGUMENTUM.

Commendat hospites suos, Archagathum, & Philonem. Eodem anno.

M. T.

EPISTOLA XXXI.

AMbitione) Nullo præcipuæ laudis studio. FUNE.

Atque inter suos gratia) Neque enim pari ubique locorum & apud omnes valemus gratia. IDEM.

M. T. C. ACILIO PROCOS. S. P. D.

IN Halesina civitate, tam lauta, tamque nobili, conjunctissimos habeo & hospitio, & familiaritate M. & C. Clodium, Archagathum, & Philonem; sed vereor, ne, quia complures tibi præcipue commendo, exæquare videar ambitione quadam commendationes meas; quamquam a te quidem cumulate satisfit & mihi, & meis omnibus. Sed velim sic existimes, hanc familiam & hos mihi maxime esse conjunctos vetustate, officiis, benevolentia. Quamobrem peto a te in majorem modum, ut his, omnibus in rebus, quantum tua fides dignitasque patietur, commodes. Id si feceris, erit mihi vehementissime gratum.

EPISTOLA XXXIII.

ARGVMENTVM.

Nasonis libertos & negotia commendat. Eodem anno.

M. T. C. ACILIO PROCOS. S. P. D.

CN. Otacilio Nasone utor familiarissime, ita prorsus, ut illius ordinis nullo familiarius. Nam & humanitate ejus, & probitate in consuetudine quotidiana magnopere delector. Nihil jam opus est exspectare te, quibus eum verbis tibi commendem, quo sic utar, ut scripsi. Habet is in provincia tua negotia, quæ procurant liberti, Hilarus, Antigonus, Demostratus: quos tibi, negotiaque omnia Nasonis non secus commendo, ac si mea essent. Gratissimum mihi

EPISTOLA XXXII.

IN *Halesina civitate*) *Halese*, quæ & *Alesa* & *Halæsa* scribitur, urbs Siciliæ est ad fluvium *Halæsum* in colle octo stadiis a mari remoto: hodie non nisi rudera & vestigia quædam eius urbis supersunt, de qua vide Diodor. Sic. lib. XIV. GRÆV.

EPISTOLA XXXIII.

CN. *N. Otacilio*) Antiqua scribendi consuetudo poscit, ut *Othacilio* scribatur: & infra *Hilarus* pro *Hilarius*, quod est liberti cognomen in veteribus monumentis frequens. VASIN.

Illius ordinis) Equestris forsan. Sed Manutius *conditionis*, aut *fortis* interpretatur: negotiorum opinatur Bengelius; restant publicani. CORT.

EPI-

mihi feceris, si intellexero hanc commendationem magnum apud te pondus habuisse.

EPISTOLA XXXIV.

ARGUMENTUM.

Commendat Lysonem, hospitem suum. Eodem anno.

M. T. C. ACILIO PROCOS. S. P. D.

AVitum mihi hospitium est cum Lysone, Lysonis filio, Lilybetano, valdeque ab eo observor: cognovique dignum & patre, & avo; est enim nobilissima familia. Quapropter commendo tibi majorem in modum rem domumque ejus: magnoque opere abs te peto, cures, ut is intelligat, meam commendationem maximo sibi apud te & adjumento & ornamento fuisse. Vale.

EPISTOLA XXXV.

ARGUMENTUM.

Commendat hospitem & familiarem suum Philoxenum. Eodem anno.

M. T. C. ACILIO PROCOS. S. P. D.

C. Avianus Philoxenus antiquus est hospes meus, & praeter hospitium, valde etiam familiaris, quem Caesar meo beneficio in Novocomenses retulit. Nomen autem Aviani secutus est, quod homine nullo plus est usus, quam Flacco Aviano, meo, quemadmodum te scire arbitror, familiarissimo. Quae ego omnia collegi, ut intelligeres, non vulgarem esse commendationem hanc meam. Peto igitur abs

EPISTOLA XXXV.

MEo beneficio) Dum pro illo Caesarem rogavi, epist. 36. *rogatu meo*. Vegetius II. de Re Mil. cap. 7. CORT.

In Novocomenses) *Novum comum* urbs Insubriae ad lacum Larinum, patria Plinii, nunc *Como*. GRAEV.

EPI-

abs te, ut omnibus rebus, quod sine molestia tua facere possis, ei commodes, habeasque in numero tuorum: perficiasque ut intelligat, has litteras meas magno sibi usui fuisse. Erit id mihi majorem in modum gratum.

EPISTOLA XXXVI.

ARGUMENTUM.

Commendat Demetrium Megam in jure civitatis, omnibusque in rebus.

M. T. C. ACILIO PROCOS. S. P. D.

CUm Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est: familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo civitatem a Cæsare impetravit: qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur. Cumque propter quosdam sordidos homines, qui Cæsaris beneficia vendebant, tabulam, in qua nomina civitate donatorum incisa essent, revelli jussisset: eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse, quod de Mega vereretur, beneficium suum in eo manere. Hoc te scire volui, ut eum in civium Romanorum numero haberes. Ceterisque in rebus tibi eum ita commendo, ut majore studio neminem commendarim. Gratissimum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat, meam commendationem magno sibi ornamento fuisse.

EPISTOLA XXXVII.

ARGUMENTUM.

Commendat Hippiam in liberatione bonorum. Eodem anno.

M. T.

EPISTOLA XXXVI.

PRopter quosdam sordidos) Proprie sordidi vocantur, quibus cum pretio omnia honesta sunt, & quidlibet vendunt, ut hic beneficia Cæsaris. Plin. III. ep. 9. Phædr. IV. Fab. 19. Corr.

Megа) Viro honesto & bono, cui minime præstanda sordidorum culpa. Fvnc.

Epi-

M. T. C. ACILIO PROCOS. S. P. D.

HIppiam, Philoxeni filium, Calactinum, hospitem & necessarium meum, tibi commendo in majorem modum. Ejus bona, quemadmodum ad me delata res est, publice possidentur alieno nomine, contra leges Calactinorum. Id si ita est, etiam sine mea commendatione ab æquitate tua res ipsa impetrare debet, ut ei subvenias. Quoquo modo autem se res habet, peto a te, ut honoris mei causa eum expedias, tantumque ei commodes & in hac re & in ceteris, quantum tua fides dignitasque patietur. Id mihi vehementer gratum erit.

EPISTOLA XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Bruttii negotia, procuratoresque commendat. Eodem anno.

M. T. C. ACILIO PROCOS. S. P. D.

L. Bruttius, eques Rom. adolescens omnibus rebus ornatus, in meis familiarissimis est, meque observat diligentissime: cujus cum patre magna mihi fuit amicitia jam inde a quæstura mea Siciliensi. Omnino nunc ipse Bruttius Romæ mecum est: sed tamen domum ejus, & rem familiarem, & procuratores tibi sic commendo, ut majore studio commendare non possim. Gratissimum mihi feceris, si cura-

EPISTOLA XXXVII.

HIppiam Philoxeni filium Calactinum) Sic invenit in suis libris Victorius, expressitque Lambin. nos in Palatino sexto, sicut in Hittorpiano Calactineum ostendimus. Vulgo Calatinum. GEBHARD. Amstelod. Calactinum. Calacta est Oppidum Siciliæ ultra Alæsam, hodie Caroniæ. In secunda etiam Verrin. Calatini male scribitur pro Calactini, ut docet Cluv. de Sicil. Antiq. lib. II. c. 3. quem vide. GRAEV.

Publice possidentur) Publico addicta sunt. De vi Adverbii in tali positu vide dicta ad IV. ep. 7. *alieno nomine*, cui debebat Hippias. CORT.

Alieno nomine) Quod alius, cui bona fortassis locaverat sua, non ipse, fuerit ære obrutus alieno. FUNC.

EPISTOLA XXXVIII.

OMnino nunc ipse B.) Sic epist. 42. *omnino ostenderunt*. CORT.

EPI-

curaris, ut intelligat Bruttius, id quod ei recepi, hanc meam commendationem sibi magno adjumento fuisse.

EPISTOLA XXXIX.

ARGUMENTUM.

Commendat Titurnium Rufum.

M. T. C. ACILIO PROCOS. S. P. D.

CUm familia Titurnia necessitudo mihi intercedit vetus: ex qua reliquus est M. Titurnius Rufus, qui mihi omni diligentia atque officio est tuendus. Est igitur in tua potestate, ut ille in me satis sibi præsidii putet esse. Quapropter eum tibi commendo in majorem modum: & abs te peto, efficias, ut is commendationem hanc intelligat sibi magno adjumento fuisse. Erit mihi vehementer gratum.

EPISTOLA XL.

ARGUMENTUM.

L. & C. Aurelios fratres commendat: Pompeio Magno, & M. Crasso secundum consulatum gerentibus, vel Domitio, & Appio Coss. nam opinor epistolam hanc ad eum Ancharium scriptam esse, qui Macedoniæ post Pisonem præfuit, ut Ciceronis oratio declarat. Piso autem, auctore Pediano, e provincia rediit, Pompeio & Crasso Coss.

M. T. C. Q. ANCHARIO Q. F. PROC. S. P. D.

L. Et C. Aurelios, L. filios, quibus & ipsis, & patre eorum, viro optimo, familiarissime utor, commendo tibi

EPISTOLA XXXIX.

EST *igitur in tua potestate*) Pro quo *in manu tua est* supra dixit, ita ut eadem sententia efficeretur. Vide XI. ep. 13. VIII. ep. 6. CORT.

EPISTOLA XL.

L. *& C. Aurelios*) L. Aurelium & C. Aurelium. Coniungunt ita plurium numero, qui sunt ejusdem nominis. Vide ad ea Sall. Cat. c. 17.

Publiu

tibi majorem in modum, adolescentes omnibus optimis artibus ornatos, meos pernecessarios, tua amicitia dignissimos. Si ulla mea apud te commendatio valuit, quod scio multas plurimum valuisse, hæc ut valeat rogo. Quod si eos honorifice liberaliterque tractaris; & tibi gratissimos, optimosque adolescentes adjunxeris, & mihi gratissimum feceris. Vale.

EPISTOLA XLI.

ARGUMENTUM.

Gratias agit & suo, & Pompeii nomine de Lucceio benignissime tractato: eumdemque denuo commendat. Incerto anno.

M. T. C. L. CULLEOLO S. P. D.

QUæ fecisti L. Lucceii causa, scire te plane volo, te homini gratissimo commodasse: & cum ipsi, quæ fecisti, pergrata sunt, tum Pompeius, quotiescumque me videt, videt autem sæpe, gratias tibi agit singulares. Addo etiam illud, quod tibi jucundissimum esse certo scio, me ipsum ex tua erga Lucceium benignitate maxima voluptate affici. Quod superest, quamquam mihi non est dubium, quin cum antea nostra causa, nunc jam etiam tuæ constantiæ gratia, mansurus sis in eadem ista liberalitate: tamen abs te vehementer etiam atque etiam peto, ut ea, quæ

Publius & Servius Sulla, Servii filii. CORT.

Quod scio multas) Potest legi *quas scio*: potest & το *plurimum* deleri: potest & *quod* accipi supervacuum, ut in *quod nisi*, *quod si*, *quod utinam*. Nam Manutius errat. IO. FR. GRON. *Quod* tamquam ex abundanti additur, cum mox verbum ipsum adjiciatur, *plurimum valuisse*. Sic *quæ* & *id* tractantur: vide notas ad IV. ep. 3. & XII. ep. 18. Cæsar III. B. G. c. 23. Plura ad Sall. Iug. c. 14. *Quod utinam illum eadem hæc simulantem videam*. CORT.

EPISTOLA XLI.

C*VLLEOLO*) Videtur is in Macedonia Procos. fuisse. Nam Bylliones, sive Bulliones, qui sunt in sequenti epist. Plin. lib. IV. cap. 23. in finib. Macedoniæ collocat. CORRAD. Sed vide Manut. GRÆV.

L. Lucceii causa) Epist. 13. lib. V. CORRAD.

Pompeius) Cn. Pompeius Magnus, cui cum L. Lucceio pecuniæ (nisi fallor) commercium fuit. IDEM.

Dein-

quæ initio ostendisti, deincepsque fecisti, ad exitum augeri & cumulari per te velis. Id & Lucceio, & Pompeio valde gratum fore, teque apud eos præclare positurum confirmo & spondeo. De republ. deque his negotiis, cogitationibusque nostris perscripseram ad te diligenter paucis ante diebus, easque litteras dederam pueris tuis.

EPISTOLA XLII.

ARGUMENTUM.

Eumdem Lucceium commendat. Eodem anno.

M. T. C. L. CULLEOLO PROC. S. P. D.

L. Lucceius meus, homo omnium gratissimus, mirificas tibi apud me gratias egit, cum diceret, omnia te cumulatissime & liberalissime procuratoribus suis pollicitum esse. Cum oratio tua tam ei grata fuerit, quam gratam rem ipsam existimas fore, cum, ut spero, quæ pollicitus es, feceris? Omnino ostenderunt Bulliones, sese Lucceio Pom-

Deinceps fecisti ad exitum augeri) Veteres codices, inter quos Amstelod. *deincepsque fecisti*: optime. GRAEVIUS. *Deinceps f. c.* Hoc est optimorum Codicum, quos Victorius consuluit: nec aliter Hittorpianus & Stewechianus: secundi vel tertii ordinis illud *que* agnoscunt; quod pro sua facilitate receperat Cellarius, ego delevi. CORT.

EPISTOLA XLII.

L. *Lucceius meus familiarissimus*) Nos ultimam dictionem in nullis antiquis exemplaribus inventam, & sane abundantem, neglesimus: satis fuit enim *meus* dixisse, majoremque omnino vim habet *meus* per se, quam *meus familiarissimus*: quemadmodum elegantissimus poeta Catullus, *meus Calvus* dixit. Nam quod hoc nomen semper per duo *c c* scripsimus, dedimus hoc antiquorum exemplarium fidei, quæ cum multis locis hoc nomen habent, nullibi non sic scriptum habent. VICTOR. Rectissime expunxit Victorius, post *meus*, το *familiarissimus*, quod æque non comparet in Palatino primo, Stewechiano, Vaticani excerptis. Palatinus tamen sextus, & Hittorpianus, qui codices in multis conjurant, *meus familiaris*, quo errore, quoto judicio præditi vident. GEBHARD.

Omnino ostenderunt Bulliones) Impressi ante meum *Belliones* mendose habebant, meus *Bulliones*, ut in antiquis libris recte. Si litteram *u* pro *y*, frequenter ponebant veteres, ut nonnulli exemplis quoque confirmant, non video, cur priscam scripturam damnent, & veram lectionem velint esse *Byllionés*. Si Græci suo Sermone Bylliones pronunciabant, nihil absurdum ac novum Rom. homines faciebant, cum Bulliones dicebant: erat enim hæc ipsorum in Græcis nominibus consuetudo, ut *y* in *u* verterent. Eadem ratione Plinius eosdem populos *Bullidenses* appellavit. In priscis Teren-

Pompeii arbitratu satisfacturos. Sed vehementer opus est nobis, & voluntatem, & auctoritatem, & imperium tuum accedere. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Illudque mihi gratissimum est, quod ita sciunt Lucceii procuratores, & ita Lucceius ipse ex litteris tuis, quas ad eum misisti, intellexit, hominis nullius apud te auctoritatem, aut gratiam valere plus, quam meam. Id ut re experiatur, iterum & sæpius te rogo.

EPISTOLA XLIII.

ARGVMENTVM.

Oppium Gallo commendat. Incertus annus.

M. T. C. QVINTIO GALLO S. P. D.

ETsi plurimis rebus spero fore ut perspiciam, quod tamen jampridem perspicio, me a te amari; tamen nunc ea

Terentii Varronis exemplaribus, *Sybaris* & *Subaritanus ager*, pro *Sybaris* & *Sybaritanus* scriptum est: in Pandectis quoque Florentinis *Berutus* pro *Berytus* semper. VICTOR. Sunt autem *Bulliones* populi Illyridis supra Epidamnum. Vid. Manut. GRÆV. *Bullidenses*. Ita constanter nomen scribitur in libris veteribus, ut in Pisonem n. 95. Vitiose vulgati *Bulliones*. LALLEM.

Ita sciunt .... ita intellexit) *Ita* abundat, ut alibi *id*, *quod*, & similia, epist. 40. Sall. Cat. c. 14. CORT.

EPISTOLA XLIII.

Q. *GALLO*) Epist. 27. lib. VII. Al. *Q. Gallio*, epist. 4. lib VIII. etsi de neutro quidpiam certi habemus. CORRAD. Ex Vatic. Pall. Hittorpiano, reposuerunt Victorius & Gebhardus *Quintio Gallio*, pro qua lectione stat etiam Amstelodam. nisi quod pro *Gallio* scribat *Gallo*, ut & Steweck. & Pal. pr. Sic apud Sueton. August. c. 27. multi libri *Q. Gallus*, cum alii habeant *Q. Gallius*, ut Casaub. & Torrentius notarunt, quod ultimum hi præferunt, ut & Seb. Corrad. ad Brutum. Sed procul dubio rectius scribitur, *Quintio Gallo*. Quintius enim nomen familiæ est, *Gallus* vero cognomen. Cognominum λῆξις raro est *ius*, ut norunt docti. Sed vetus lapis apud Gruterum inprimis facit huic scriptioni probandæ:

DIVO. AVG.
SACR.
L. QVINTIVS. C. F.
GALLVS
TESTAMENTO PONI
IVSSIT.

Ex hoc saxo loca, in quibus *Quintiorum Gallorum* mentio fit, sunt restituenda. GRÆV. *Quintio Gallio*) Reliqui hanc scripturam, non quo eam probandam arbitrer, sed quia nesciebam, ubi certe adquiesceret manus Tulliana. Ego quidem nullus dubito, quin innuat vetus lectio *Quinto Gallio*, ut in quibusdam Manutii editum est (& is in notis quoque huc respicit ac hoc defendit) cujus plures causas habeo: Prima est, quia credibilius est semel corruptum esse ex *Quintio*,

ea causa tibi datur, in qua facile declarare possis tuam erga me benevolentiam. L. Oppius, Marci filius, Philomeli negotiatur, homo mihi familiaris; eum tibi unice commendo: eoque magis, quod cum ipsum diligo, tum quod negotia procurat L. Egnatii Rufi: quo ego uno equite Romano familiarissime utor, & qui consuetudine quotidiana, tum officiis plurimis, maximisque mihi conjunctus est. Oppium igitur præsentem ut diligas, Egnatii absentis rem ut tueare, æque a te peto, ac si mea negotia essent. Velim memoriæ tuæ causa des litterarum aliquid, quæ tibi in provincia reddantur: sed ita conscribas, ut tum, cum eas leges, facile recordari possis hujus meæ commendationis diligentiam. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA XLIV.

ARGUMENTUM.

Eumdem Oppium rursus eidem commendat.

CICERO GALLO S.

ETsi ex tuis, & ex L. Oppii, familiarissimi mei, litteris cognovi, te memorem commendationis meæ fuisse, idque pro tua summa erga me benevolentia, proque nostra necessitudine minime sum admiratus: tamen etiam atque etiam tibi L. Oppium præsentem, & L. Egnatii, mei

tio, quam bis τὸ *Gallio*, quod in inscriptione sequentis epistolæ rursus occurrit. Secunda, quia plures codices scripti habere dicuntur *Gallio*, quam *Gallo*. Tertia, quod *Quintio* videri potest exstitisse ex notissima scribendi ratione *Quincto*. Nam quod ad Inscriptiones attinet, certe ibi gens Gallia est percelebris cum prænominibus Lucii, Marci, Quinti, & videri possunt apud Manut. IAC. GRON.

Philomeli) Philomelium Oppidum magnæ Phrygiæ. Sup. lib. III. ep. 8. GRÆV.

L. Egnatii Rufi) De quo in epistolis ad Atticum, & sequentibus sæpe fit mentio. CORRAD.

Litterarum aliquid) Aut nondum ingressus fuit provinciam, ad quam se parabat: aut e provincia litteras jubetur mittere, quæ polliceantur, quod Oppius petiturus erat. CELLAR.

EPISTOLA XLIV.

F*Amiliarissimi mei*) Victorii editio, & Palat. sextus omittunt *mei*: unde Bengelius conjicit, scribendum esse *familiaris mei*: male; pejor vero ratio, quod Egnatio soli detur superlativus ep. 43. & 73. CORT.

EPI-

mei familiarissimi, absentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est, familiaritasque, ut, si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat, me a te tantum amari, quantum ipse existimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque ut facias, vehementer te rogo.

EPISTOLA XLV.

ARGVMENTVM.

Egnatii & servum Anchialum, & negotia Appuleio commendat. Incertus annus.

M. T. C. APPVLEIO PROQVÆSTORI S. P. D.

L. Egnatio uno, equite Romano, vel familiarissime utor. Ejus Anchialum servum, negotiaque, quæ habet in Asia, tibi commendo non minore studio, quam si rem meam commendarem. Sic enim existimes velim, mihi cum eo non modo quotidianam consuetudinem summam intercedere, sed etiam officia magna & mutua nostra inter nos esse. Quamobrem etiam atque etiam a te peto, ut cures, ut intelligat me ad te satis diligenter scripsisse; nam de tua erga me voluntate non dubitabat. Id ut facias, te etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA XLVI.

ARGVMENTVM.

Nostium coheredem suum commendat.

M. T.

EPISTOLA XLV.

VNo *equite Romano*) Quod *unus* ad excellentiam pertineat, aliquoties docui supra. Vide ad IV. ep. 13. CORT.

Negotiaque) Mallem, vel propter euphoniam, *&* *negotia quæ*. Elegans vero interdum incuria ipsa esse solet. FVNC.

M. T. C. APPVLEIO PROQVÆSTORI S. P. D.

LNostius Zoilus est coheres meus: heres autem patroni sui; ea re utrumque scripsi, ut & mihi cum illo caussam amicitiæ scires esse, & hominem probum existimares, qui patroni judicio ornatus esset. Eum tibi igitur sic commendo, ut unum ex nostra domo. Valde mihi gratum erit, si curaris, ut intelligat, hanc commendationem sibi apud te magno adjumento fuisse.

EPISTOLA XLVII.

ARGVMENTVM.

Egnatium, communem amicum, commendat.

M. T. C. SILIO S. P. D.

QVid ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? Sed tamen ut scires eum a me non diligi solum, verum etiam amari, ob eam rem tibi hæc scribo. Omnium tuorum officiorum, quæ & multa & magna sunt, mihi gratissimum fuerit, si ita tractaris Egnatium, ut sentiat & se a me, & me a te amari. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Illa nostra scilicet ceciderunt. Vtamur igitur vulgari consolatione: Quid si melius hoc? Sed hæc coram. Tu fac, quod facis, ut me ames, teque amari a me scias.

EPI-

EPISTOLA XLVI.

PAtroni judicio ornatus) Dum dignum illum *judicavit*, qui heres suus fieret. Sic proprie *judicium* dicitur, ut alibi notavi. Sueton. Aug. c. 54. Idem Calig. c. 5. CORT.

EPISTOLA XLVII.

S*ILIO*) Epist. 61. hujus lib. eumdem enim esse existimo. CORRAD.

Quid si hoc melius) Hæc est consolatio illa vulgaris. IDEM. De qua formula VII. ad Attic. ep. 3. CORT. Amissa dignitate & gratia, consolemur nos, ut solet vulgus, cujus in rebus adversis hæc fere sunt verba: *quid, si hoc melius?* LALLEM.

EPISTOLA XLVIII.

ARGVMENTVM.

Omnes Cyprios, maximeque Paphios commendat: in quo est admonitio quædam tecta verbis amorem significantibus, ne quid instituat, quod alii non probent; sed, lege Lentuli observata, laudi suæ consulat. De anno epistolæ quod affirmem, non habeo.

M. T. C. C. SEXTILIO RVFO, QVÆST. S. P. D.

OMnes tibi commendo Cyprios, sed magis Paphios: quibus tu quæcumque commodaris, erunt mihi gratissima. Eoque facio libentius, ut eos tibi commendem, quod & tuæ laudi, cujus ego fautor sum, conducere arbitror, cum primus in eam insulam quæstor veneris, ea te instituere, quæ sequantur alii: quæ, ut spero, facilius consequere, si & P. Lentuli, necessarii tui, legem, & ea quæ a me constituta sunt, sequi volueris. Quam rem tibi confido magnæ laudi fore.

EPISTOLA XLIX.

ARGVMENTVM.

Commendat Q. Pompeium.

CI-

EPISTOLA XLVIII.

CVm primus quæstor) Postquam facta est provincia a M. Catone, L. Pisone, & A. Gabinio Coss. missus eo fuit a Cæsare, cum antea regeretur a Proconsulibus Ciliciæ. Vide Manut. GRÆV. *Cum primus*) Al. *cum primum*: quod magis placet, ne Sextilius primus Quæst. in Cyprum missus videatur, cum tot Procoss. eam provinciam prius administrassent. CONRADVS.

Paphios) Paphus, urbs Cypri antiquissima in parte Insulæ Occidentali, ubi Venus culta est, quam inde Horatius vocat *Paphi reginam* lib. II. Od. 30. init. FVNC.

P. Lentuli) Libro primo. CONRAD.

A me constituta sunt) Tunc Procos. in Cilicia, quam qui obtinebat, Cyprum etiam obtinebat, epist. 6. lib. I. IDEM.

CICERO CVRIO PROC. S. P. D.

Q. Pompeius, Sext. filius, multis & veteribus caussis necessitudinis mihi conjunctus est. Is, cum antea meis commendationibus & rem, & gratiam, & auctoritatem suam tueri consueverit; nunc profecto, te provinciam obtinente, meis litteris adsequi debet, ut nemini se intelligat commendatiorem umquam fuisse. Quamobrem a te majorem in modum peto, ut, cum omnes meos æque ac tuos observare pro nostra necessitudine debeas, hunc in primis ita in tuam fidem recipias, ut ipse intelligat, nullam rem sibi majori usui aut ornamento, quam meam commendationem esse potuisse.

EPISTOLA L.

Argumentum.

Petit, ut M. Curium ab omni incommodo, detrimento, molestia sincerum integrumque conservet. C. Cæsare V. & Antonio Coss.

M. T. C. AVCTO PROCOS. S. D.

SVmsi hoc mihi pro tua in me observantia, quam penitus perspexi quamdiu Brundusii fuimus, ut ad te familiari-

Epistola XLIX.

CICERO CVRIO) Cum tam familiariter scribat Cicero, ut quasi suo jure petere videatur, non puto dubitandum esse, quin is sit *Curius*, quem toties aliis commendat, & ad quem scribit epist. 29. lib. VII. Corradus.

Auctoritatem suam tueri consuerit) Sic denuo instauravi sequutus Edd. Victorii: & cujus quæso id fuit pontificium, ut ederetur *consueverit*, quod video tenere mordicus omnes post eum editiones? Iac. Gron. *Auctoritatem* & *gratiam* alibi, etiam bene distinguit Cicero, & Sall. Cat. c. 20. ubi plura. Cort.

Epistola L.

AVCTO) *Aucto* volunt scriptam fuisse hanc epistolam veteres libri, non *Aristo*; sic enim est in illis ejus inscriptio, *Cicero S. D. Aucto Procos.* Nos nihil hic a vulgatis discessimus, rem tamen licet parvam & minutam silentio præterire noluimus, cum parvo nostro labore nostræ & antiquorum librorum fidei rationem habere possimus. Victor. *AVCTO*) Al. *Aristo*. Etsi neutrum nomen memini me apud scriptores frequenter legere, facile tamen adducor, ut credam hunc Servii Sulpicii in Achaia successorem fuisse. Corrad.

Quamdiu Brundusii fuimus) Post victum

liariter, & quaſi pro meo jure ſcriberem, ſi quæ res eſſet, de qua valde laborarem. M' Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris eſt, ut nihil poſsit eſſe conjunctius. Multa illius in me officia, multa in illum mea, quodque maximum eſt, ſummus inter nos amor & mutuus. Quæ cum ita ſint, ſi ullam in amicitia mea ſpem habes: ſi ea quæ in me officia & ſtudia Brunduſii contuliſti, vis mihi etiam gratiora efficere, quamquam ſunt gratiſsima: ſi me a tuis omnibus amari vides; hoc mihi da atque largire, ut M' Curium, ſartum & tectum, ut ajunt, ab omnique incommodo, detrimento, moleſtia ſincerum integrumque conſerves. Et ipſe ſpondeo, & omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex mea amicitia, & ex tuo in me officio maximum te fructum, ſummamque voluptatem eſſe capturum.

EPISTOLA LI.

ARGUMENTUM.

P. Meſſienum commendat.

M. T. C. P. CÆSIO S. D.

P. Meſsienum, equitem Romanum, omnibus rebus ornatum, meumque perfamiliarem, tibi commendo ea com-

ſtum Pompeium: ſic enim exiſtimo. IDEM.

Multa in illum mea quoque: maximum eſt, ſummus) Ita Palat. prim. (& Amſtelodamenſis: niſi quod pro *maximum* ſcribat *maximus*), quod omnibus lineis velut perſecutus Victorius: & ſic emendavit primam impreſſionem Egnatius; cum exhiberet, *multa in illum mea quoque: & quod maximum eſt*; exegit enim inverſo calamo bigam illam alienam, *& quod*. Editum alias eſt, *multa in illum mea, quodque maximum eſt*. GEBHARD. Sed venuſtior eſt lectio duorum librorum, quos inſpexit Manutius, qui vulgatam firmant. GRÆV.

Hoc mihi da atque largire) Notatum ep. 7. XII. ep. 16. Cicero Antonio inter ad Attic. XIV. ep. 13. *Idque cum totum tibi dandum putarem, tum do etiam humanitati & naturæ meæ*. CORT.

Moleſtia ſincerum integrumque) Catull. *ſincerum cuperes & integellum*. GRÆV.

Ex mea amicitia) Henr. Steph. II. Schediaſm. non male legit, *ex ea amicitia*. IDEM.

EPISTOLA LI.

P. *Meſſienum*) Alii *D.* pro *P.* ſubſtituunt: ſed *D.* natum ex Epigraphe; nam in Palatino ſexto, & Hittorpiano, *Cicero P. Cæſio S. D. Meſſienum*. Rectius *Meſſenus* non *Meſſienus*, ut a *Meſſiis Meſſienus*, ſic ab Al-liis

commendatione, quæ potest esse diligentissima. Peto a te & pro nostra, & pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, ejusque rem famamque tueare. Virum bonum, tuaque amicitia dignum tibi adjunxeris, mihique gratissimum feceris.

EPISTOLA LII.

ARGUMENTUM.

Hospitem suum Aristotelem commendat. Incertus annus: sed post Africanum bellum scriptam esse constat, cum dicat Cicero: Hunc ego a Cæsare liberavi: *&*, Diutius in causa est, quam nos commoratus.

CICERO REGI S. D.

A Licinius Aristoteles Melitensis, antiquissimus est hospes meus, & præterea conjunctus magno usu familiaritatis. Hæc cum ita sint, non dubito, quin tibi satis commendatus sit. Etenim ex multis cognosco, meam commendationem plurimum apud te valere. Hunc ego a Cæsare liberavi. Frequens enim fuerat nobiscum, atque etiam diutius in causa est, quam nos, commoratus: quo melius te de eo

liis Allienus. Stewechianus legit *Messiennum*: alii duo, quos inspexi, *P. Moscennium*. GVILIELM.

EPISTOLA LII.

REGI) Alii credunt Romanum quemdam *Regem* vocatum, alii Deiotarum Armeniæ Minoris Regem intelligi volunt: quibus ut assentiar, faciunt epistolæ verba, quibus Licinium Regi, ut Pompeianum Pompeiano commendat. CORRAD. Sed vide Manut. GRÆV. Est & apud Sall. Cat. c. 30. *Q. Marcius Rex*: ubi vide, quæ plura de ejusmodi cognominibus disputo. CORT.

Melitensis) *Melita* est Insula inter Africam & Siciliam, hodie *Malta*, de qua Ovidius Fast. III.

Fertilis est Melite, sterili vicina Cosuræ,
Insula quam Libyci verberat unda freti.

Est & alia ejusdem nominis insula inter Epirum, & Italiam in Ionio mari, quæ & ipsa *Malta* nunc dicitur. Sed cum illa coleretur a Græcis, & longe cultior esset & celebrior, vero simile est, hunc *Aristotelem* fuisse hujus Libycæ Melites incolam, quæ & appulsu Paulli & Rhodiorum equitum sede nobilis est: quod & nomen *Aristotelis* in illius plagæ terris & insulis non insolens videtur innuere: sic Battus Cyrenæorum Rex fuit dictus Aristoteles: & alius Aristoteles Cyrenæus Pyctes, cujus continentiam laudat Clemens Alexandr. III. Stromat. GRÆV.

Diutius in causa est quam nos commoratus) Qui, victo Pompeio, a bello discess-

de eo existimaturum arbitror. Fac igitur, mi Rex, ut intelligat, has sibi litteras plurimum profuisse.

EPISTOLA LIII.

ARGVMENTVM.

Curvum in omnibus rebus, præcipue vero in Hellespontiis negotiis commendat. Scripta est vel Ser. Sulpicio, M. Marcello Coss. vel anno sequenti Paullo & Marcello: quo enim tempore proconsul Cicero Ciliciæ, eodem Asiæ Thermus præerat: ut apparet ex ep. 54. 55. 57. & ep. 18. lib. II.

CICERO THERMO PROPR. S.

L. Genucilio Curvo jam pridem utor familiarissime, optimo viro & homine gratissimo. Eum tibi penitus commendo atque trado. Primum, ut omnibus in rebus ei te commodes, quoad fides tua dignitasque patietur: patietur autem in omnibus; nihil enim abs te umquam, quod sit alienum tuis aut etiam suis moribus, postulabit. Præcipue autem tibi commendo negotia ejus, quæ sunt in Hellesponto, primum, ut obtineat id juris in agris, quod ei Pariana civitas decrevit & dedit, & quod semper obtinuit sine ulla controversia: deinde, si quid habebit cum aliquo Hellespontio controversiæ, ut in illam *διοικησιν* rejicias. Sed non mihi

discessimus. CORRAD.

Te de eo existimaturum) Vt Pompeianum. IDEM.

EPISTOLA LIII.

THERMO PROPRÆT.) Epist. 18. lib. XI. CORRAD.

Ei te commodes) Manutius mallet, ejectum pronomen *te*, quia Cicero sæpius hoc libro *alicui commodare* absolute dixit. Licuit tamen Tullio, quod aliis, modo integras, modo præcisas dictiones proferre, quod multis exemplis constat: vide ep. 9. XI. ep 8. *Te* autem idem est, quod *tuam operam*. Vide VIII. ep. 3. VI. ep. 7. CORT.

Quod ei Patriana civitas decrevit) Nos *Pariana* scripsimus cum antiquis codicibus. *Parion* autem civitas in Hellesponto Stephano, Straboni, reliquis. Parianam coloniam his locis nominat Plinius. Miror hoc mendum tanto tempore non sublatum esse; cum enim negotia, quæ in Hellesponto contraxerat, commendet, quid hoc ad Patras Achaiæ urbem pertinet? si ulla ratione a Patris Patrianus deduci posset. VICTOR. *Pariana civitas*) Quæ auctore Plin. colonia est in Hellesponto. CORRAD.

Διοικησιν) Jurisdictionem, districtum vocant, partem provinciæ, cujus administratio & jurisdictio prætori commissa est. LALLEM.

mihi videor, cum tibi totum hominem diligentissime commendarim, singulas ad te ejus causas perscribere debere. Summa illa sit: quidquid officii, beneficii, honoris in Genucilium contuleris, id te existimabo in me ipsum atque in rem meam contulisse.

EPISTOLA LIV.

ARGVMENTVM.

Primum agit gratias Thermo, quod Marcilium liberalissime tractaverit: deinde petit, operam det, ne Marcilii socrus rea fiat. Paulo & Marcello Coss.

M. T. C. THERMO PROPR. S. D.

CVm multa mihi grata sunt, quae tu adductus mea commendatione fecisti; tum in primis quod M. Marcilium, amici atque interpretis mei filium liberalissime tractavisti. Venit enim Laodiceam, & tibi apud me, mihique propter te gratias maximas egit. Quare, quod reliquum est, a te peto, cum apud gratos homines beneficium ponis, ut eo libentius his commodes, operamque des, quoad fides tua patietur, ut socrus adolescentis rea ne fiat. Ego cum antea studiose commendabam Marcilium: tum multo nunc studiosius, quod in longa apparitione, singularem & prope incredibilem patris Marcilii fidem, abstinentiam, modestiamque cognovi.

EPI-

EPISTOLA LIV.

INterpretis mei) *Interpretes* sunt varii generis: hic vero cum mox *apparitionis* mentionem faciat, recte videtur Manutius *Interpretem* Proconsulis, cui praeibat, accipere. CORT.

Venit Laodiceam) Vbi ego eram Procos. CORRAD.

In longa apparitione) Cum mihi Proconsuli appareret, & me praeiret, quod qui faciebant *apparitores* dicti. Vid. Manut. GRAV. Ministerio. Servius ad XII. Aen. v. 851. *Saevique in limine Regis Apparent: Praesto sunt*, inquit, *ad obsequium. Vnde etiam apparitores constat esse nominatos*. Ii vero erant Scribae, Accensi, Interpretes, Praecones, Viatores, Lictores, Servi publici, Carnifices, qui magistratibus apparebant. Vide Fabr. II. Semestr. c. 24. Sigon. II. de Antiqu. Iur. Civ. Rom. c. 15. & alios. CORT.

EPISTOLA LV.

ARGUMENTUM.

Commendat Anneium, legatum suum, in controversia Sardiana. Eodem anno.

M. T. C. THERMO PROPR. S. D.

ETsi mihi videor intellexisse, cum tecum Ephesi de re M. Anneii, legati mei, locutus sum, te ipsius causa vehementer omnia velle; tamen & M. Anneium tanti facio, ut mihi nihil putem prætermittendum, quod illius intersit: & me a te tanti fieri puto, ut non dubitem, quin ad tuam voluntatem magnus cumulus accedat commendationis meæ. Nam cum jam diu diligerem M. Anneium, deque eo sic existimarem, ut res declarat, quod ultro ei detulerim legationem, cum multis petentibus denegassem: tum vero postea quam mecum in bello atque in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem pluris faciam. Eum cum Sardianis habere controversiam scis: causam tibi exposuimus Ephesi: quam tu tamen coram facilius meliusque cognosces. De reliquo mihi, mehercule, diu dubium fuit, quid ad te potissimum scriberem. Ius enim quemadmodum dicas clarum, & magna cum tua laude notum est. Nobis autem in hac causa nihil aliud opus est, nisi te jus instituto tuo dicere. Sed tamen cum me non fugiat, quanta sit in prætore auctoritas, præsertim ista integritate, gravitate, clementia, qua te esse inter omnes constat: peto abs te pro nostra conjunctissima necessitudine, plu-

EPISTOLA LV.

E*Phesi*) Quo veni ad XI. Kalend. Sext. in Ciliciam proficiscens. CORRAD.

De re M. Anneii) Epist. 4. lib. XV. IDEM.

Cumulus commendationis meæ) Idem, ac si dixisset *commendatione mea*. Vide ad ep. 15. CORT.

Cum Sardianis) Sardes Lydiæ civitas præcipua, quæ pertinebat ad præfecturam Asiæ. GRÆV.

Facilius meliusque cognosces) Ab ipso M. Anneio, qui istuc venit: ep. 57. hujus libri CORRAD.

Pro nostra conjunctissima necessitudine) Sæpius in MSis pro hoc, *necessitate* reperi, sicut hic quoque in Palatino sexto

plurimisque officiis paribus ac mutuis, ut voluntate, auctoritate, studio tuo perficias, ut M. Anneius intelligat, te & sibi amicum esse, quod non dubitat: sæpe enim mecum locutus est, & multo amiciorem his meis litteris esse factum. In tuo toto imperio, atque provincia nihil est, quod mihi gratius facere posis. Iam, apud ipsum gratissimum hominem atque optimum virum quam bene posíturus sis studium tuum atque officium, dubitare te non existimo.

EPISTOLA LVI.

ARGUMENTUM.

Negotia commendat Cluvii Puteolani. Sulpicio & Marcello Coss. vel anno sequenti.

M. T. C. THERMO PROPR. S. D.

CLuvius Puteolanus valde me observat, valdeque est mihi familiaris. Is ita sibi persuadet, quod in tua provincia negotii habeat, nisi, te provinciam obtinente, meis commendationibus confecerit, id se in perditis & desperatis habiturum. Nunc, cum mihi ab amico officiosissimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis in me summis officiis; ita tamen, ut tibi nolim molestus esse. Mylaseis & Alabandeis pecuniam Cluvio debent. Dixerat mihi Euthydemus, cum Ephesi essem, se curaturum, ut ecdici Mylasii Romam mitterentur; id factum non est. Lega-

sexto, & Hittorpiano: & credibile est ita Ciceronem *necessitatem* extulisse, eum ita Cæsar locutus esse deprehendatur in fragmentis. GEBHARD.

EPISTOLA LVI.

IN perditis & desperatis habiturum) Pro perdito & desperato, ut supra *in amicis, in tuis habere*. Sic Sall. Cat. c. 40. *Sed Allobroges diu in incerto habuere*. CORT.

Mylasii & Alabandenses) Nos auctoritate vetustorum codicum *Mylaseis* & *Alabandeis* scripsimus. Sunt autem Græca declinatione a singulari recto Μυλασεως & Αλαβανδεως deducti. VICTOR. *Mylasa* & *Alabanda* sunt Cariæ urbes in Asia Minore. Vide Plin. lib. V. cap. 28. & 29. GRAEV.

Ecdici Mylasii) Vltores, qui eos persequuntur, qui Reip. pecunias debent: hos Quæstores quosdam dicere possumus. CORRAD. *Ekdikos* Iustiniano defensor civitatis apppellatur, vindex reipublicæ, qui in primis publicas pecunias curabant & persequebantur. Aliter dicitur Syndicus. Plin. lib. X. epist. 3. *Ecdicum, Domine, Amisenorum civitatis petebat apud me a Iulio*

,egatos audio missos esse : sed malo ecdicos, ut aliquid onfici possit. Quare peto a te, ut & eos, & Alabandeis ubeas ecdicos Romam mittere. Praeterea Philotes Alabanensis ὑποθήκας Cluvio dedit; hae commissae sunt. Velim ures, ut aut de hypothecis decedat, easque procuratoribus Cluvii tradat, aut pecuniam solvat. Praeterea Heracleotae, t Bargiletae, qui item debent, aut pecuniam solvant, aut uctibus suis satisfaciant. Caunii praeterea debent, sed ajunt : depositam pecuniam habuisse. Id velim cognoscas, &, intellexeris, eos neque ex edicto, neque ex decreto deositam habuisse, des operam, ut usurae Cluvio instituto tuo onserventur. His de rebus eo magis laboro, quod agitur s Cn. Pompeii etiam; nostri necessarii, & quod is mais etiam mihi laborare videtur, quam ipse Cluvius : cui tisfactum esse a nobis valde volo. His de rebus te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

EPI-

io *Pisone denariorum circiter XL. millia* *leuata ei publice ante annos viginti*, *&* *kle*, *& Ecclesia consentiente* : dicebantur & *cognitores*. Glossae : *Cognitor*, ἔκδικος, de quo vide Gronov. lib. IV. de Pec. Vet. c. 3. GRAEV. *Ecdici Mylasii*) Summopere gaudentem varietate supponunt Tullium, ut qui modo Mylaseis & Alabandeis graeca ratione dixerat, sciretque utrumque Latine efferri Mylasenses, & Alabandenses, hoc quidem ita mox usurparit, illud vero nunc finxerit ἀπὸ τῶν Μυλασέων, ut ante Victorium quoque praeter libros MSos legebatur. Ego vero cum intelligam in Codd. Hittorp. & Palat. VI. legi *ecdici a Mylasis*, non dubito, quin ibi undecumque auctas cognoscamus litteras, & legi debeat *ecdici a Mylasis*. I.GRON. *Ecdici* erant defensores civitatum, qui in primis pecunias publicas curabant & persequebantur. Dicuntur etiam *Cognitores*. Plura, quae tam nostrum, quam Plinii locum illustrant Gronovius IV. de Pec. Vet. c. 3. p. 272. 276 seq. CORT.

Ὑποθήκας *Cluvio dedit*) *Hypotheca* proprie est pignus quodvis, quod debiti causa creditori obligatur : sed strictius Latinis hypotheca dicitur, quod non traditur in manus creditori, sed subjicitur ejus potestati & juri, possessione penes debitorem remanente : contra pignus possidendum traditur creditori : hinc *dare hypothecas* est res immobiles creditori obligare, ut multis docet Cl. Salmasius de modo Usurarum, cap. 12. GRAEV.

Hae commissae sunt) Hoc est, possessiones, quoniam ad diem solutum debitum non est, venerunt in potestatem creditoris, ut illas possit vendere. *Hypothecae* enim *committi* dicuntur, quae cessante solutione debiti, creditoris fiunt. Sic *merces commissae* dicebantur, quas apud publicanum non professi erant, & hanc ob caussam amittebantur. Vide Salmas. de Modo Usurarum, cap. 14. IDEM.

De hypothecis decedat) Est possessiones oppigneratas quoniam non solvit, creditori vendendas tradat. IDEM.

Heracleotae & Bargiletae) Heraclea & Bargilos civitates sunt Cariae. IDEM.

Caunii praeterea debent) *Caunus* est Cariae oppidum, valetudine habitantium infame, ut Mela ait lib. I. c. 16. IDEM.

Epi-

EPISTOLA LVII.

Argumentum.

Petit a Thermo, ut Anneium, legatum suum, remittat eumque commendat in negotio suo. Paullo & Marcello Coss.

CICERO THERMO PROPR. S.

QVo magis quotidie ex litteris nunciisque bellum magnum esse in Syria cognosco, eo vehementius a te pro nostra necessitudine contendo, ut mihi M. Anneium legatum primo quoque tempore remittas. Nam ejus opera, consilio, scientia rei militaris, vel maxime intelligo me, & remp. adjuvari posse. Quod nisi tanta res ejus ageretur nec ipse adduci potuisset, ut a me discederet, neque ego, ut eum a me dimitterem. Ego in Ciliciam proficisci cogito circiter Kal. Mai. Ante eam diem Anneius ad me redeat oportet. Illud, quod tecum & coram & per litteras diligentissime egi, id & nunc etiam atque etiam rogo, curæ tibi sit, ut suum negotium, quod habet cum populo Sardiano, pro caussæ veritate & pro sua dignitate conficiat. Intellexi ex tua oratione, cum tecum Ephesi locutus sum, te ipsius M. Anneii causa omnia velle. Sed tamen sic velim existimes, te mihi nihil gratius facere posse, quam si intellexero, per te illum ipsum negotium ex sententia confecisse. Idque quam primum ut efficias, te etiam atque etiam rogo.

EPI

Epistola LVII.

Bellum magnum) Parthicum. Conradus.

Ego in Ciliciam proficisci) Finitis jurisdictionibus Asiaticis. Idem.

Circiter Kal. Mai.) Prope finem anni; iverat enim in provinciam pridie Kalend. Sext. Idem.

Per litteras) Epist. 55. hujus libri Idem.

Epi

EPISTOLA LVIII.

ARGUMENTUM.

Commendat L. Custidium. Eodem anno, aut superiore: scripsit enim hanc epistolam cum esset in provincia.

M. CICERO C. TITIO L. F. RUFO, PR. URBANO S.

L. Custidius est tribulis, & municeps, & familiaris meus. Is causam habet, quam causam ad te deferet. Commendo tibi hominem, sicuti tua fides & meus pudor postulat: tantum ut faciles ad te aditus habeat: quæ æqua postulabit, ut libente te impetret: sentiatque meam sibi amicitiam, etiam cum longissime absim, prodesse in primis apud te.

EPISTOLA LIX.

ARGUMENTUM.

Commendat M. Fabium Curtio prætori. Eodem anno.

M. T. C. C. CURTIO PEDUCÆANO PRÆTORI S. D.

M. Fabium unice diligo, summaque mihi cum eo consuetudo & familiaritas est pervetus. In ejus contro-

EPISTOLA LVIII.

IS *causam habet quam causam*) Uti IV. epist. 5. *quæ res . . . si forte eadem res*. VIII. ep. 8. adde IX. ep. 13. CORT.

Quæ æqua postulabit, ut libente te impetret) Secutus sum olim codices vulgatos: cur fecerim, causa hæc est: scribit Cicero ad prætorem urb. et commendat Custidii causam, petitque ab eo, ut, quæ æqua postulabit, eo *jubente* impetret. At prætoris est decernere & jubere. Licet tamen & legere, ut est in libris MSis *te lubente*, seu *libente*: id est, te volente, tua voluntate. Ac, ne quid dissimulem, mihi nunc hoc modo legi placet, & item in epistola proxima. LAMBIN. *Ut libente te impetr.*) Placet jam hæc lectio, Lambino in prima editione posthabita vulgatæ, *ut jubente te impetret*. Eam certe in editionum primaria, Palatinis, Vaticani excerptis, Stewechiano, Hittorpiano: eamdem quoque recte admisit Victorius. GEBHARD. *Libente te*: te volente, tua voluntate ex MSis Codicibus. CORT.

EPI-

troversiis, quid decernas, a te non peto: servabis, ut tua fides & dignitas postulat, edictum, & institutum tuum, sed ut quam facillimos ad te aditus habeat, quæ erunt æqua, libente te, impetret: ut meam amicitiam sibi, etiam cum procul absim, prodesse sentiat, præsertim apud te. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA LX.

ARGVMENTVM.

Commendat Livineium libertum. Incertus annus.

M. T. C. MVNATIO C. F. S. D.

L. Livineius Trypho est omnino L. Reguli, familiarissimi mei, libertus, cujus calamitas etiam officiosiorem me facit in illum; nam benevolentior, quam semper fui, esse non possum. Sed ego libertum ejus per se ipsum diligo; summa enim ejus erga me officia exstiterunt his nostris temporibus, quibus facillime bonam benevolentiam hominum & fidem perspicere potui. Eum tibi ita commendo, ut homines grati & memores benemeritos de se commendare debent. Pergratum mihi feceris, si ille intellexerit, se, quod pro salute mea multa pericula adierit, sæpe hieme summa navigarit, pro tua erga me benevolentia gratum etiam tibi fecisse.

EPI-

EPISTOLA LIX.

SErvabis edictum & institutum tuum) Nihil facies aliter atque edixisti, & adhuc solitus es. Solebant autem Prætores & in urbe publice proponere, & provinciales, antequam in provinciam venirent, præmittere edictum de summis capitibus jurisdictionis. Superius VI. 9. ad Att. V. 21. *Possum ne contra meum edictum?* Erat C. Curtius Peducæanus Prætor peregrinus, cum C. Titius Ruffus prætor urbanus esset. Io. FR. GRON. Vide omnino Sigon. II. de Antiq. Iur. Provinc. c. 3. &, quæ instar Commentarii esse potest, epistolam 1. lib. VI. ad Attic. CORT.

EPISTOLA LX.

BOnam benevolentiam) Id est, veram, & quam alicubi *fidelem* vocat, non fictam atque simulatam. BEAN. RVTIL.

Epi-

EPISTOLA LXI.

ARGUMENTUM.

Commendat Pinnium in exactione pecuniæ, quam ei Nicæenses debent. Scripta a proconsule Cicerone: quod ex ep. 64. intelligitur.

M. T. C. P. SILIO PROPR. S. D.

T. Pinnio familiarissime me usum esse, scire te arbitror, quod quidem ille testamento declaravit, qui me cum tutorem, tum etiam secundum heredem instituerit. Ejus filio mire studioso, & erudito, & modesto, pecuniam Nicæenses grandem debent, ad HS octogies: &, ut audio, in primis volunt ei solvere. Pergratum igitur mihi feceris, quando non modo reliqui tutores, qui sciunt, quanti me facias, sed etiam puer ipse sibi persuasit, te omnia mea causa facturum esse, si dederis operam, quoad tua fides dignitasque patietur, ut quam plurimum pecuniæ Pinnio solvatur Nicæensium nomine.

EPISTOLA LXII.

ARGUMENTUM.

Primum de Atilio gratias agit, deinde Q. Fratrem commendat. Eodem anno.

M. T.

EPISTOLA LXI.

P. *SILIO PROPR.*) Bithyniæ, in qua urbs erat Nicæa, a qua *Nicæenses* sunt dicti. In epistolis vero ad Atticum ostendit Cicero, se, Bibulum, Thermum, & hunc Silium in provinciis eodem tempore fuisse. CORRADUS.

Secundum heredem instituerit) Qui *substitutus*, vel *secundo gradu* aliter dicitur: quod si primus hereditatem non cerneret, ad secundum pertinebat. Vide Salmas. de Modo Usur. c. 11. & quæ nos ad Sall. Iug. c. 65. CORT.

Studioso) Nota dictum absolute. LALLEM.

Ad HS octogies) Hoc est, ducenta millia Philippeum, seu scutatorum, sive sexcenta millia florenorum Belgicorum. GRÆV.

Reliqui tutores) Subaudi *sibi persuaserunt*. Confer XII. ep. 14. CORT.

EPI-

M. T. C. P. SILIO PROPR. S. D.

ET in Atilii negotio te amavi: cum enim sero venissem, tamen honestum equitem Romanum beneficio tuo conservavi: & mehercule semper sic in animo habui, te in meo aere esse propter Lamiae nostri conjunctionem, & singularem necessitudinem. Itaque primum tibi ago gratias, quod me omni molestia liberas: deinde impudentia prosequor, sed idem sarciam. Te enim semper sic colam, & tuebor, ut quem diligentissime. Quintum fratrem meum si me diligis, eo numero cura ut habeas, quo me. Ita magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris.

EPISTOLA LXIII.

ARGVMENTVM.

Commendat studiose in primis M. Laenium. Eodem anno.

M. T. C. P. SILIO PROPR. S. P. D.

NOn putavi fieri posse, ut mihi verba deessent: sed tamen in C. Laenio commendando desunt. Itaque rem tibi exponam paucis verbis, sed tamen ut plane perspicere possis voluntatem meam. Incredibile est, quanti faciamus & ego, & frater meus, qui mihi carissimus est, M. Laenium; id fit cum plurimis ejus officiis, tum summa probitate & singulari modestia. Eum ego a me invitissimus dimisi, cum propter familiaritatem & consuetudinis suavitatem, tum quod consilio ejus fideli ac bono libenter utebar. Sed vereor, ne jam mihi superesse verba putes, quae dixeram defutu-

EPISTOLA LXII.

CVm sero venissem) Cum ad te in ipso negotii conficiendi articulo scripsissem. LALLEM.

In meo aere esse) Meum esse, in meis numerari, & tractum postea ad *obligatum esse*. Infra XV. epist. 14. CORT.

Te enim semper sic colam) Hittorp. *Te enim mihi semper sic colam*. Forte: *Te enim, mihi crede, semper sic colam*. GRAEV.

EPISTOLA LXIII.

REm tibi exponam paucis verbis) Videtur insiticium, & delendum esse *to verbis*. Io. FR. GRON.

De

futura. Commendo tibi hominem, sicut intelligis, me, de quo ea supra scripserim, debere commendare. A teque vehementer etiam atque etiam peto, ut, quod habet in tua provincia negotii, expedias: quod tibi videbitur rectum esse, ipsi dicas. Hominem facillimum, liberalissimumque cognosces. Itaque te rogo, ut eum solutum, liberum, confectis ejus negotiis per te, quam primum ad me remittas. Id mihi, fratrique meo gratissimum feceris.

EPISTOLA LXIV.

ARGUMENTUM.

Agit gratias de Nerone honorificentissime tractato; & eumdem Neronem omnibus in rebus, praeterea que familiares ejus Nysaeos, & Strabonem Servilium commendat. Eodem anno.

M. T. C. P. SILIO PROPR. S. D.

NEro meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorsus incredibiles, ut nullum honorem sibi haberi potuisse diceret, qui a te praetermissus esset. Magnum fructum ex ipso capies; nihil est enim illo adolescente gratius. Sed mehercule mihi quoque gratissimum fecisti. Pluris enim ex omni nobilitate neminem facio. Itaque, si ea feceris, quae ille per me tecum agi voluit, gratissimum mihi feceris. Primum de Pausania Alabandensi, sustentes rem, dum Nero veniat. Vehementer ejus causa cupere eum intellexi. Itaque hoc valde rogo. Deinde Nysaeos, quos Nero in primis habet

De quo ea supra scripserim) Me hominem vel *illum*, de quo ea supra scripserim. Confer X. ep. 21. VIII. ep. 4. & V. ep. 1. CORT.

Ipsi dicas) Ut qui *jus dicere* debet. Confer Phaedr. I. Fab. 10. & quae ibi Schefferus & Gronovius. IDEM.

EPISTOLA LXIV.

D*E Pausania Alab.*) Quod attinet ad causam Pausaniae Alabandensis. Sic supra *de rationibus referendis*, & similia: vide notata ad II. epist. 17. Hujus autem Pausaniae causa cupere *Neronem* intellexerat Cicero. Quid sit *cupere* ex I. ep. 1. & multis aliis jam notum esse potest. CORT.

Nisaeos) Scribendum *Nysaeos* ex veteribus Graecis numismatibus, in quibus est NYCAIΩN. VASIN. *Nysa* haec Lydiae Maeoniae urbs, opulentis & claris civibus celebris: vide Strabonem lib. X. Fuerunt autem plures hujus no-

habet necessarios, diligentissimeque tuetur ac defendit, habeas tibi commendatissimos: ut intelligat illa civitas, sibi in Neronis patrocinio summum esse præsidium. Strabonem Servilium tibi sæpe commendavi: nunc eo facio id impensius, quod ejus causam Nero suscepit. Tantum a te petimus, ut agas eam rem, ne relinquas hominem innocentem ad alicujus tui dissimilis quæstum. Id cum gratum mihi erit; tum etiam existimabo, te humanitate tua esse usum. Summa hujus epistolæ hæc est, ut ornes omnibus rebus Neronem, sicut instituisti atque fecisti. Magnum theatrum habet ista provincia, non ut hæc nostra, adolescentis nobilis, ingeniosi, abstinentis commendationem atque gloriam. Quare si te fautore usus erit, sicuti profecto & utetur, & usus est, amplissimas clientelas acceptas a majoribus confirmare poterit, & beneficiis suis obligare. Hoc in genere si eum adjuveris eo studio, quo ostendisti, apud ipsum præclarissime posueris: sed mihi etiam gratissimum feceris.

EPI-

nominis urbes, de quibus Steph. de Vrbibus. GRÆV.

In Neronis patrocinio) Civitates enim exteræ *Patronos* suos Romæ habebant, de quibus plura ad Sall. Cat. c. 41. CORT.

Magnum theatrum habet ista provincia) Sensus est, nisi fallor: Licet tibi amplius re ipsa inservire, & commodare Neroni, quam ego verbis explicare; provincia igitur tua suscipiendi adolescentis multas variasque causas habet, magnum latumque theatrum, id est, spatium atque aream; nam ego quidem uno versiculo expedire meam commendationem possum, ut scilicet adolescentem tibi confirmem, nobilem, ingeniosum, abstinentem. BERNARD. RUTIL. *Magnum theatrum habet ista provincia*) Hoc est, in omnium oculis geruntur, quæ in hac geruntur provincia, ut nemini possint latere. Vide ad lib. XII. epist. 29. GRÆV. *Magnum theatrum*) Plus ex ista provincia petit Tiberius, quam ex nostra, magisque in illa conspicietur, quam hic, ubi adsecutus est sane quæ potest adolescens. Vel, valde conspectum te facit, & illustri loco ponit hæc provincia: vel, quam celsus, & potens es, cum adolescens summo genere natus, ingenio florentissimo, sanctis, & priscis moribus in tua provincia peregrinatur, & per te producitur atque ostentatur, digna ipso gloria, apud avitos familiæ clientes: ut XII. 29. IO. FR. GRON.

Commendationem, atque gloriam) Ita lego II. de Off. 13. *Prima igitur est adolescenti commendatio ad gloriam, si qua ex bellicis rebus comparari potest*. IDEM. I. Fr. Gronovius legit *commendationem ad gloriam*. Non male: nisi quod volgatam ita etiam interpretari liceat, ut *commendationem adolescentis* accipias, qua Silium commendet, & laudet per totam provinciam: & vere quidem ut homo laudatus, & *gloria* ornatus. CORT.

EPI.

EPISTOLA LXV.

ARGVMENTVM.

Hisponem in eo commendat, ut pactiones cum civitatibus conficiat. Eodem anno.

M. T. C. P. SILIO PROPR. S. D.

CVm P. Terentio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro dat, mihi summa familiaritas consuetudoque est, multaque & magna inter nos officia paria & mutua intercedunt. Ejus summa existimatio agitur in eo, ut pactiones cum civitatibus reliquis conficiat. Non me præterit, nos eam rem Ephesi expertos esse, neque ab Ephesiis ullo modo impetrare potuisse. Sed cum, quemadmodum omnes existimant, & ego intelligo, tua cum summa integritate, tum singulari humanitate & mansuetudine consecutus es, ut libentissimis Græcis, nutu, quod velis, consequare: peto a te in majorem modum, ut honoris mei causa, hac laude Hisponem affici velis. Præterea cum sociis scripturæ mihi summa necessitudo est, non solum ob eam caussam, quod ea societas universa in mea fide est; sed etiam quod plerisque sociis utor familiarissime. Ita & Hisponem meum per me ornaris, & societatem mihi conjunctiorem feceris: tuque ipse & ex hujus observantia,

EPISTOLA LXV.

QVi operas in scriptura pro magistro dat) Hoc est, qui vicarius est magistri societatis publicanorum, qui pascuum agrum conduxerant. Hoc enim vectigal dicebatur *scriptura*. Cic. II. in Verr. *In scriptura Siciliæ pro magistro est quidam Lucius Carpinatius*. Vide supra ad epist. 6. hujus libri. GRÆV.

Vt pactiones cum civitatibus) Quas publicani cum provincialibus propter *commoditatem conficiendi negotii & liberationem molestiæ* faciebant, Cic. I. ad Q. Fr. ep. 1. ex his enim magistratus in provinciis controversias dirimebant, & publicani multis rixis atque jurgiis supersedere poterant. Cic. V. ad Attic. ep. 13. adde loca Seb. Corradi ibi laudata, & P. Burmannum Diss. de Vectigalibus c. 9. CORTIVS.

Cum sociis scripturæ) Vectigalis illius, quod ex pascuo agro pendebatur. Appellatur ita, quia pastores numerum pecudum, quas in publica pascua mittere vellent, profitebantur, quem publicani in tabulis suis notabant, ut inde rationes confici possent. Ita explicat Gisb. Cuperus ea Lactant. de morte Persec. c. 23. *animalia omnis generis scribebantur*. *Scripturæ* autem sæpius mentionem factam videbis apud Cicer. & alios. Confer

tia, gratiſsimi hominis, & ex ſociorum gratia, hominum ampliſsimorum, maximum fructum capies, & me ſummo beneficio affeceris. Sic enim velim exiſtimes, ex tota tua provincia omnique iſto imperio, nihil eſſe, quod mihi gratius facere poſsis.

EPISTOLA LXVI.

ARGVMENTVM.

Cæcinam in colligendis Aſiaticæ negotiationis reliquiis commendat, Cæſare III. & Lepido Coſſ.

M. T. C. P. SERVILIO PROPR. S. D.

A. Cæcinam, maxime proprium clientem familiæ veſtræ, non commendarem tibi, cum ſcirem, qua fide in tuos, qua clementia in calamitoſos ſoleres eſſe: niſi me & patris ejus, quo ſum familiariſsime uſus, memoria; & hujus fortuna ita moveret, ut hominis omnibus mecum ſtudiis officiiſque conjunctiſsimi, movere debebat. A te hoc omni contentione peto, ſic ut majore cura, majore animi labore petere non poſsim, ut ad ea, quæ tua ſponte ſine cujuſquam commendatione faceres in hominem tantum & talem, calamitoſum, aliquem afferant cumulum meæ litteræ,

ſer Burmannum de Vectigal. c. 4. IDEM.

Ex ſociorum gratia) Nomen *gratia* loco non ſuo poſitum videtur, cum dicendum fuiſſet: *ex ſociorum, hominum ampliſſimorum gratia*. Sed propter numerum eam trajectionem amavit Tullius, ut XVI. ep. 2. & alibi: adde Sall. Iug. c. 27. IDEM.

EPISTOLA LXVI.

P. *SERVILIO*) P. Servilii Vatiæ Iſaurici F. Propræt. Aſia enim, cui præerat, provincia prætoria erat, & in veteribus libris ita legitur. Si quis tamen *Procoſ.* legere malit, non valde repugnem: quando alterum pro altero poni ſæpe video. Is fuit Coſ. cum Iulio Cæſare in ſecundo conſulatu. CORRADVS. Imo Aſia fuit Proconſularis provincia, in quam interdum mittebantur Prætores, qui tamen tum Proconſules dicebantur. GRÆV.

A. Cæcinam) Lib. VI. CORR.

Hujus fort. ita moveret) Exſulabat enim propter Cæſaris iram, quod Pompeium ſecutus nimio rigore publicam libertatem defenderat, ſcriptoque libro maledixerat Cæſari. FVRE.

In hominem tantum, & talem) Sic omnes vulgati & antiqui codices. Quia tamen audivi nonnullos eruditos viros aliter hunc locum legiſſe, quemadmodum illi ſubtiliter magis quam vere (ni fallor) corrigebant, exponam. Lege-

ræ, quo studiosius eum, quibuscumque rebus possis, juves. Quod si Romæ fuisses, etiam salutem A. Cæcinæ essemus, ut opinio mea fert, per te consecuti. De qua tamen magnam spem habemus, freti clementia collegæ tui. Nunc, cum tuam justitiam secutus, tutissimum sibi portum provinciam istam esse duxit, etiam atque etiam te rogo atque oro, ut eum & in reliquis veteris negotiationis colligendis juves, & ceteris rebus tegas atque tueare. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

EPI-

Legebant, inquam, illi *tam tuum*, & *tam calamitosum*, maxime (ut opinor) in hoc consilium impulsi, quod supra dicit ipsum *proprium clientem* ipsorum *familiæ*. Nos receptam & in cunctis veteribus novisque eamdem lectionem numquam rejiceremus. *Tantum* autem eum appellare credimus, quoniam fuit vere summus vir, & maxima ingenii fama: *talem* autem, ut ingenuos & probatos mores intelligat. Laudatur autem mirifice cunctis locis a Cicerone. Seneca quantopere eum admiretur & celebret, omnibus notum esse arbitror. Sic etiam Balbus locutus est in epistola ad Ciceronem: *Atque hæc non solum in te tali & tanto viro satis habebit, sed etiam mihi ipse sua concessit bonitate*, &c. VICTOR. *Tantum*, quia vir summus & maxima ingenii fama: *talem*, quia ingenuis & probatis moribus. Sic V. ep. 2. Balbus Ciceroni inter ad Attic. IX. ep. 8. De *tali* supra pluribus. De appositione τοῦ *calamitosum* vide ad ep. 27. dicta. CORT.

Calamitosum) Opinor hanc vocem glossam alicujus esse, qui locum explicatione illustrare voluerit: nec enim in omnibus libris reperitur. VARINUS.

Collegæ tui) Cæsaris. CORT.

In reliquiis) Ep. 8. lib. VI. IDEM. *In reliquiis veteris negotiationis colligendis*) Vulgatam scripturam non probo. Miror hunc locum tamdiu in mendo cubuisse, cum & ejus emendatio sit facilis, & scriptura vulgata absurda, & multi libri veteres veram lectionem ostendant. Nam & in Palar. sex. & in Mentel. & in meo secundo scribitur recte: *In reliquis veteris negotiationis colligendis*. *Reliqua* enim, ut notum, sunt quæ rationibus subductis debita solvenda remanent, ut & pensiones, ac vectigalia ad diem non soluta; nobis *restantem*. Cic. XVI. ad Att. ep. 2. *Sed cum videas quantum de jure nostro decesserimus, qui de residuis cccc HS, cc præsentia solverimus, reliqua perscribamus*. Mox: *Quamquam enim reliqua satis apta sint ad solvendum; tamen fit sæpe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus*. Et lib. XVI. ep. 3. *Maxime autem me angit ratio reliquorum meorum*. In Pandectis: *Reliqua vectigalis, reliqua conductionis*; & *reliquari*, ac *reliquatores* de iis, qui non ad diem solvunt vectigal, pensionem. Nullus dubito, quin & in lib. VI. ep. 8. scribendum sit *in Sicilia ne subsidas, an ad reliqua Asiaticæ negotiationis proficiscare*; nisi dicas *reliquias* in his locis ead. notione accipi, qua *reliqua* solent. Si usus non repugnat, nihil moveo. Nunc quidem præter hæc duo alia mihi nulla succurrunt exempla. GRAV. Grævius non probat hanc scripturam & præfert ex tribus Codd. *in reliquis*, & intelligit *reliqua*, de quibus & nos diximus ad H. ep. 13. Sed XII. ep. 14. *Ut reliquias mei laboris colligerem*: *reliquiæ meæ diligentiæ* dixit, & propterea hic quoque *reliquias negotiationis* dixisse potuit. CORT.

EPISTOLA LXVII.

ARGVMENTVM.

Commendat Andronem Laodicensem. Eodem anno.

M. T. C. P. SERVILIO PROPR. S. D.

EX provincia mea Ciliciensi, cui scis τρεῖς διοικήσεις Asiaticas attributas fuisse, nullo sum familiarius usus, quam Androne, Artemonis filio, Laodicensi: eumque habui in ea civitate cum hospitem, tum vehementer ad meæ vitæ rationem & consuetudinem accommodatum. Quem quidem multo etiam pluris posteaquam decessi facere cœpi, quod multis rebus expertus sum gratum hominem, meique memorem. Itaque eum Romæ libentissime vidi. Non enim te fugit, qui plurimis in ista provincia benigne fecisti, quam multi grati reperiantur. Hæc propterea scripsi, ut & me non sine causa laborare intelligeres, & tu ipse eum dignum hospitio tuo judicares. Feceris igitur mihi gratissimum, si ei declararis quanti me facias; id est, si receperis eum in fidem tuam, & quibuscumque rebus honeste ac sine molestia tua poteris, adjuveris. Hoc mihi erit vehementer gratum: idque ut facias, te etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA LXVIII.

ARGVMENTVM.

Significat, quam sibi gratum fuerit cursus illius navigationis cognoscere: petit, ut de statu provinciæ institutisque suis

EPISTOLA LXVII.

TPεῖς διοικήσεις) Tres jurisdictiones; de quibus ad Atticum Cicero ita scribit: *In Asiam profectus sum Non. Ian. forum Id. Feb. instituenam agere Laodiceæ Cibyraticum, & Apamense ex Idib. Mart. ibidem Synnadense Pamphylium cum Sessameno.* De his etiam Plinius lib. V. c. 28. & 29. meminit. CORT.

Androne Arthemonis filio) Delenda aspirationis nota ex nomine *Artemonis*, quod Græci Ἀρτέμων scribunt. VRSIN.

Consuetudinem accommodatum) Hominem propter morum similitudinem mihi aptissimum. FVNC.

Grati reperiuntur) Subaudi *in ista provincia*; de illis enim proprie loquitur. CORT.

EPI-

suis perscribat: postremo suum officium ad omnia pollicetur. Eodem anno: sed hanc epistolam ceteris ad eumdem Servilium scriptis præponendam esse, ex ipso facile intelligitur argumento.

M. T. C. P. SERVILIO ISAVRICO PROC. COLLEGÆ S. D.

GRatæ mihi vehementer tuæ litteræ fuerunt, ex quibus cognovi cursus navigationum tuarum. Significabas enim memoriam tuam nostræ necessitudinis, qua mihi nihil poterat esse jucundius. Quod reliquum est, multo etiam erit gratius, si ad me de repub. id est, de statu provinciæ, de institutis tuis familiariter scribes. Quæ quamquam ex multis pro tua claritate audiam, tamen libentissime ex tuis litteris cognoscam. Ego ad te de reip. summa quid sentiam non sæpe scribam, propter periculum ejusmodi litterarum. Quid agatur autem, scribam sæpius. Sperare tamen videor, Cæsari, collegæ nostro, fore curæ, & esse, ut habeamus aliquam rempub. cujus consiliis magni referebat te interesse. Sed, si tibi utilius est, id est, gloriosius, Asiæ præesse, & istam partem reipub. male affectam tueri, mihi quoque idem, quod tibi & laudi tuæ profuturum est, opta-

EPISTOLA LXVIII.

ISAVRICO) P. Servilius pater cum Isauros in Cilicia domuisset, *Isauricus* est appellatus: unde filius nunc Isauricus dicitur; nisi forte & ipse id cognominis sibi adquisiverit. CONRADVS.

Cursus navigationum) *Cursus* de navigatione recte dicitur, cum de ipso navigare *currere*, *cursus*, & similia proferantur. Vide Lambin. ad Horat. I. Od. 18. v. ult. CORT.

Si ad me de rep. id est, de statu provinciæ, de institutis tuis) Stewech. Amstelod. Mentel. meus secund. *Si ad me de rep. & de statu provinciæ, de institutis tuis*; quod vulgatæ præferendum duco. Nam & in codicibus, quos Lambinus excussit, aberant *id est*. De copula post non repetita non est quod laboremus. Nam & talia exempla superius fuerant notata. Si quis tamen Ciceronem scripsisse censeat, *si ad me de rep. de statu provinciæ, de institutis tuis*, ut libri Lambiniani præ se ferebant, non repugnem. GRÆV.

De reip. summa) Mallem cum Lambino, *re publica summa*, quod & sext. Pal. agnoscit; sed adversantur antiquissimi & melioris notæ codices omnes. IDEM. *De reip. summa quid sentiam*) Lego, *de rep. summa*; de universo statu imperii Romani, quid mihi videatur. IO. FRID. GRON.

Cæsari collegæ nostro) In auguratu; nam Dion testatur, Cæsarem etiam augurem fuisse. CORR. Erant augures Cicero, Servilius, & Cæsar. Servilii autem auguratus indicatur litui signo in veteribus Serviliæ gentis denariis. VRSIN.

optatius debet esse. Ego, quæ ad tuam dignitatem pertinere arbitrabor, summo studio diligentiaque curabo: in primisque tuebor omni observantia clarissimum virum, patrem tuum: quod & pro vetustate necessitudinis, & pro beneficiis vestris, & pro dignitate ipsius facere debeo.

EPISTOLA LXIX.

ARGVMENTVM.

Petit, ut C. Curtium in fidem recipiat, habeatque in numero suorum. Eodem anno.

M. T. C. P. SERVILIO COLLEGÆ S. D.

C. Curtius Mithres est ille quidem, ut scis, libertus Postumi, familiarissimi mei: sed me colit & observat æque, atque illum ipsum patronum suum. Apud eum sic Ephesi fui, quotiescumque fui, tamquam domi meæ: multaque acciderunt, in quibus & benevolentiam ejus erga me experirer, & fidem. Itaque si quid aut mihi, aut meorum cuipiam in Asia opus est, ad hunc scribere consuevi, hujus cum opera & fide, tum domo & re uti, tamquam mea. Hæc ad te eo pluribus scripsi, ut intelligeres, me non vulgariter, nec ambitiose, sed ut pro homine intimo, ac

Clarissimum virum) Cujus dignitatis titulus clarissimi fuerit, vide ad XII. ep. 15. CORT.

EPISTOLA LXIX.

UT *intelligeres me non vulgariter, nec ambitiose*) Omnia vetera exemplaria *vulgare*, non *vulgariter*. Quod licet non receperimus, (nec enim alibi hoc adverbium legimus) tamen hic adnotare rectum putavimus. Nam aliis etiam nominibus pro adverbiis usos esse antiquos compertum est, ut *sublime* pro *sublimiter*, & *recens* pro *recenter*. Quare non mirum esset, si hic quoque *vulgare* pro *vulgariter* sumtum esset. VICTOR. *Non vulgare*) Sic edidi ex Palatinis, Hittorpiano, Stewechiano; notatque eam lectionem ad primam impressionem ex Mediceo Egnatius; quemadmodum Victorius quoque in omnibus suis legi testatur. Vulgo *vulgariter*, quod contra omnes libros recipi non debet, neque illud quod ignotius, ideo exturbari. GEBHARD. Præstat hic vulgatam lectionem sequi cum Manutio, Lambino, & ipso Victorio, quam perversam & a ratione abhorrentem scripturam nonnullorum codicum. Hinc nec ipse Victorius eam sustinuit immutare. GRAV. *Me non vulgare, nec ambitiose*) Equidem cum Victorius palam omnia vetera exemplaria sic habere exclamet, & nullus aliquem codicem allegare queat, in quo legatur aliter, durum est credere id esse nonnullorum

ac mihi pernecessario, scribere. Peto igitur a te, ut in ea controversia, quam habet de fundo cum quodam Colophonio, & in ceteris rebus, quantum fides tua patietur, quantumque tuo commodo poteris, tantum & honoris mei causa commodes; etsi, ut ejus modestiam cognovi, gravis tibi nulla in re erit. Si & mea commendatione, & sua probitate adsecutus erit, uti de se bene existimes, omnia se adeptum arbitrabitur. Vt igitur eum recipias in fidem, habeasque in numero tuorum, te vehementer etiam atque etiam rogo. Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, omnia studiose diligenterque curabo.

EPISTOLA LXX.

ARGVMENTVM.

Commendat libertum Balbi Menandrum. Eodem anno.

M. T.

rum codicum; id quod tam miror, quam damno Nizolium, qui hunc unum locum affert ad probandum Ciceronis fuisse vocem *vulgariter*; quod nullo vetustatis argumento firmatur. Religiose magis Victorius, & cujus observationi non potest opponi. Quin immo similis dejecto est τῳ *hilare* in auctore ad Herennium III. 14. *Deinde modo acriter, tum clementer, mæste, hilare, in omnes partes commutabimus*; ut legitur in Codice Mediceo, longe illum populum veterum membranarum, in quibus duabus inveni *hilariter*, bonitate, & auctoritate superante, ut & in codice collegii Buslidiani Lovaniensis sane bono. Itaque & XVI. 10. noster Tullius plane sic jungit *hilare, & libenter*, ac alibi. IAC. GRON. Intolerandum est, quod Grævius hanc a vetustissimis iisque optimis exemplaribus conservatam lectionem pro perversa & a ratione abhorrente habeat. Num perversum est, *difficile, facile, sublime, turpe*, pro *difficulter*, & ceteris dicere? Igitur perversum in posterum erit *multum, magnum, primum*, dicere, quæ tamen adeo invaluerunt, ut etiam pro puris putis adverbiis habeantur. Sed forsan a ratione abhorrens visum est Grævio propterea, quod *vulgare* & *ambitiose* conjungit: in quo tamen juxta est falsus. Nonius certe Tullium laudat in Orator. *Quis umquam res, præter hunc, tragicas pæne comice, tristes remisse, serias hilare*. Vt *hilare* & *remisse*, sic plane *vulgare* & *ambitiose* concordant. Sic Spartian. Adriano c. 21. Confer supra II. ep. 13. Livius XLII. c. 18. *tuto & percommodum*: ubi similiter Sigonius corrigit: *tuto & percommode*. CORT.

Cum quod. Colophonio) *Colophon* Ioniæ. Asiæ minoris urbs. GRAV.

Uti de se bene existimes) Id est non tantum bene sentias; sed etiam loquaris. Ita passim *bene existimare* in his epistolis adhibetur. Infra lib. XVI. ep. 4. *De medico & tu bene existimari scribis, & ego sic audio*. Huic contrarium est *male existimare*, de quo vide Pontanum ad Macrob. Saturn. lib. II. c. 4. VERBVRG.

EPI-

M. T. C. P. SERVILIO COLLEGÆ S. P. D.

QVia non est obscura tua in me benevolentia, sic fit ut multi per me tibi velint commendari. Ego autem tribuo nonnumquam in vulgus: sed plerumque necessariis in hoc tempore. Nam cum T. Ampio Balbo mihi summa familiaritas necessitudoque est. Ejus libertum, T. Ampium Menandrum, hominem frugi & modestum, & patrono, & nobis vehementer probatum, tibi commendo majorem in modum. Vehementer mihi gratum feceris, si, quibuscumque rebus sine tua molestia poteris, ei commodaris. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

EPISTOLA LXXI.

ARGVMENTVM.

T. Agusium commendat, veterem amicum. Eodem anno.

M. T. C. P. SERVILIO COLLEGÆ S. D.

MVltos tibi commendem necesse est, cum omnibus nota nostra necessitudo est, tuaque erga me benevolentia. Sed tamen etsi omnium causa, quos commendo, velle debeo: tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. T. Agusius & comes meus fuit illo miserrimo tempore, & omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum socius: neque hoc tempore discessisset a me, nisi ego ei permisissem. Quare sic tibi eum commendo, ut unum de meis domesticis, & maxime necessariis. Pergratum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat, hanc

EPISTOLA LXX.

QVis non est.. sic fit) Quis & sic sese respiciunt ita, ut sic pro ea vel ideo, ut in aliis, capiatur. Cic. Somn. Scip. c. 8. Confer quæ scripsi ad Senec. de morte Claud. c. 2. CORT.

Cum T. Appio Balbo) Nos Ampio scripsimus & hic & paullo post, sed aliis etiam multis locis, eorumdem codicum incontaminatam fidem secuti. VICTOR.

Ei commodaris) Ejus commoda promovere studueris. FVNC.

EPI-

hanc commendationem sibi magno usui atque adjumento fuisse.

EPISTOLA LXXII.

ARGUMENTUM.

Petit a Servilio, ut omnibus rebus Cerelliæ benigne faciat. Eodem anno.

M. T. C. P. SERVILIO COLLEGÆ S. D.

CErelliæ, necessariæ meæ, rem, nomina, possessiones Asiaticas commendavi tibi præsens in hortis tuis, quam

EPISTOLA LXXI.

M*Agno usu atque adjumento*) Sic MSi & Victorii editio pro vulgato *usui*. Atqui antiquus Dativus in V terminabatur, ut docui ad X. epist. 24. Cort.

EPISTOLA LXXII.

C*Erelliæ necessariæ meæ*) Hæc est Cerellia illa, cum qua familiaritatem habuit senex Cicero, ut non cessarint adversarii hunc amorem, lascivasque epistolas ad illam scriptas ei exprobrare, maximeque Q. Fusius Calenus perpetuus Ciceronis hostis, ea oratione quam apud Dionem l. XLVI. habet, dum Antonium defenderet, criminaque in illum a Cicerone collata dilueret: cujus verba non importune hic ponam, cum videantur nonnihil lucis rebus Ciceronis adferre. Eadem autem acerbitate petulanter in Ciceronem invectus est Calenus, qua Cicero ante Antonii pessima consilia, & atrocia scelera senatui exposuit. Sunt autem hæc verba Caleni, vel Dionis potius ex libris, quos Antonius contra Philippicas orationes edidit (ut puto) collecta. Τις δ' ουκ οιδεν ότι την μεν γυναικα την προτεραν την τεκουσαν σοι δυο τεκνα εξεβαλες, ἑτεραν δε επεισηγαγες παρθενον, υπεργηρως ων, ἱν' εκ της ουσιας αυτης τα δανεισματα αποτισῃς; και ουδ' εκεινην μεν τοι κατεσχες, ἱνα Κερελλιαν επ' αδειας εχῃς, ἡν τοσουτῳ πρεσβυτεραν σαυτου ουσαν εμοιχευσας, ὁσῳ νεωτεραν την κορην εγημας. προς ἡν και αυτην τοιαυτας επιστολας γραφεις οιας αν γραψειεν ανηρ σκωπτολης, αθυρογλωσσος, προς γυναικα ἑβδομηκοντουτιν πληκτιζομενος. *Quis nescit, quemadmodum priore tua conjuge, quæ duos tibi natos pepererat, ejecta, aliam adhuc, eamque virginem duxeris, ipse ætate decrepita, ut ex ejus facultatibus æs alienum dissolvere posses? Sed ne eam quidem retinuisti, nimirum ut libere Cerelliam habere posses, quam tanto te ætate superiorem, quanto inferior ea puella fuit, quam duxeras, adulterio polluisti: ad quam ipsam ejusmodi litteras scribis, quales scribi par est a scurra, linguæque incontinentis viro, cum muliere septuagenaria lasciviæ jocis decertans.* Nam quod epistolas Cic. Cerelliæ scripserit, etiam Quinctil. l. VI. narrat his verbis: *Etiam illud quod Cicero Cerelliæ scripserit, reddens rationem, cur illa C. Cæsaris tempora tam patienter toleraret: Hæc aut animo Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho.* VICTOR. *Cerelliæ*) Hanc Ciceronis amicam malevoli esse dicebant: quod ut credam de tanto viro, non ita facile adducor. Illud quidem certe satis constat, hanc Cerelliam libros Ciceronis describere solitam, cum studio Philosophiæ flagraret. Cort.

Nomina) Debitores. Vide notam ad V. ep. 6. & de *possessionibus* ad hujus libri ep. 5. Cort.

En

quam potui diligentissime: tuque mihi, pro tua consuetudine, proque tuis in me perpetuis maximisque officiis, omnia te facturum liberalissime recepisti. Meminisse te id spero: scio enim solere. Sed tamen Cerelliæ procuratores scripserunt, te propter magnitudinem provinciæ, multitudinemque negotiorum, etiam atque etiam esse commonefaciendum. Peto igitur, ut memineris te omnia, quæ tua fides pateretur, mihi cumulate recepisse. Equidem existimo, habere te magnam facultatem; sed hoc est tui consilii & judicii, ex eo senatusconsulto, quod in heredes C. Vennonii factum est, Cerelliæ commodandi; id senatusconsultum tu interpretabere pro tua sapientia. Scio enim ejus ordinis auctoritatem semper apud te magni fuisse. Quod reliquum est, sic velim existimes, quibuscumque rebus Cerelliæ benigne feceris, mihi te gratissimum esse facturum.

EPISTOLA LXXIII.

ARGUMENTUM.

Gratulatur Philippo, quod incolumi fama & rep. salvus ad urbem revertisset: de Egnatio & Oppio gratias quodam modo agit: petit ut Antipatri filios sibi condonet. Incertus annus: & hæc epistola videtur post sequentem fuisse collocanda; hæc enim scripta, reverso ad urbem Philippo: illa, provinciam administrante.

M. T. C. Q. PHILIPPO PROCOS. S. D.

GRatulor tibi, quod ex provincia salvum te ad tuos recepisti, incolumi fama & rep. Quod si Romæ fuissem,

Ex eo SCto) Præsides enim provinciarum ex SCto res agere suas solebant. Vide quæ ad Sall. Cat. c. 41. IDEM.

EPISTOLA LXXIII.

Q. *PHILIPPO PROCOS.*) In Cilicia, & quia provincia consularis erat, & quia L. Oppius Philomeli, ut in epistola 43. hujus libri scriptum est, negotiabatur: quem quoniam sequenti epistola commendat, in hac de eo gratias agit: & in hac gratulatur Philippum salvum in patriam rediisse, in illa adhuc in provincia esse ostendit, sequens huic præponenda videtur. CORRAD. Sed Asiæ Proconsulem fuisse rectius ostendit Manutius. GRÆV.

Incolumi fama & republica) Ergo ante

ſem, te vidiſſem, coramque gratias egiſſem, quod tibi L. Egnatius, familiariſsimus meus, abſens, L. Oppius præſens, curæ fuiſſet. Cum Antipatro Derbete mihi non ſolum hoſpitium, verum etiam ſumma familiaritas intercedit. Ei te vehementer ſuccenſuiſſe audivi, & moleſte tuli. De re nihil poſſum judicare, niſi illud, mihi certe perſuadeo, te, talem virum, nihil temere feciſſe. A te autem pro vetere noſtra neceſsitudine, etiam atque etiam peto, ut ejus filios, qui in tua poteſtate ſunt, mihi potiſsimum condones; niſi quid exiſtimas in ea re violari exiſtimationem tuam. Quod ego ſi arbitrarer, numquam te rogarem: mihique tua fama multo antiquior eſſet, quam illa neceſsitudo eſt. Sed mihi ita perſuadeo, poteſt fieri ut fallor, eam rem laudi tibi potius, quam vituperationi fore. Quid fieri poſſet & quid mea cauſa facere poſsis, nam quin velis non dubito, velim, ſi tibi grave non erit, certiorem me facias.

EPI-

re bellum civile. Corr. Integra fama & incorrupta: *inviolata* Salluſtio Iug. c. 43. & quamquam Cicero II. de Invent. c. 56. definiat: *Incolumitas eſt ſalutis tuta atque integra conſervatio*: ad plures tamen res *integritas* illa, ut ipſa *ſalus* transfertur. Cort.

Quod ſi Romæ fuiſſem, te vidiſſem, coramque gratias egiſſem) Sic Hittorp. Pal. ſex. nonnullique alii libri; quos ſequi ratio jubet. Amſtelodam. cum vulgatis: *Quod ſi Romæ te vidiſſem, coram gratias egiſſem*. Vict. ed. & Gebhardi: *quod ſi Romæ: te vidiſſem, coramque gratias egiſſem*. Græv. *Quod ſi Romæ te vidiſſem, coramque gratias egiſſem*) Eſt eadem excuſationis formula, qua utitur Sulpicius libro IV. epiſt. 5. *Qui ſi iſtic adfuiſſem, neque tibi defuiſſem, coramque meum dolorem tibi declaraſſem*. Ex quo patet poſſe quod ad loquutionem attinet, tolerari quorumdam Codd. lectionem, *quod ſi Romæ fuiſſem*. Si modo tam probari poſſet eos quos *tuos* vocat, ſcilicet Philippum cognatione attingentes, Romæ habitaviſſe, aut illic tunc moratos fuiſſe, & non alibi extra eos; & ideo illud *fuiſſem* non elegantius mereatur haberi, quam ut ſupplementum hominis inconditi nec rationem habentis eorum, quæ debuit attendere. Video ut conſtituatur argumentum hujus epiſtolæ ab viris doctis, haud dubie ex imitatione Manutii. Sed quomodo probabitur in urbe tunc non fuiſſe Ciceronem? In hac hæſitatione putavi ſtandum ab Victorio, & probatiſſimo omnium Mediceo codice, vel ſi omnes alii haberent aliter. Iac. Gron. Victorii lectio eſt omnino caſtiſſima. Eam Bengelius ſupplet: *Quod ſi Romæ item incolumis eſſet fama tua*: quod minus probabile videtur. Ego vero puto *Romæ* dictum eſſe pro *Romam*, ut in multis aliis nominibus, quibus præpoſitio *in* additur, Ablativus pro Accuſativo poſitus apparet. Sic ſenſus foret: *Quod ſi Romam te recepiſſes*: in quo ſenſu & ſuæ vices caſui *Romæ* ſunt, qua in urbe eum videre, eique gratias agere voluerat. Sic autem frequenter Virgilius, *fuſus terræ*, *procumbis terræ*, & ſimilia: quomodo Salluſtius, *humi depreſſus*. Ovidius, *Proſterait humi juvenem*. Cort.

Ejus filios .... mihi condones) Mea cauſa ejus filiis parcas. Sic V. ep. 18. *potentiæ alicujus quid condonare*; ubi vide. Idem.

Nam quid velis non dubito) Sic Victorius & Gebhardus ediderunt ex Vaticano & Pa-

EPISTOLA LXXIV.

ARGUMENTUM.

Oppium præsentem, & Egnatii absentis negotia commendat.

M. T. C. Q. PHILIPPO PROCOS. S. D.

Etsi non dubito; pro tua in me observantia proque nostra necessitudine, quin commendationem meam memoria teneas; tamen etiam atque etiam eumdem tibi L. Oppium, familiarem meum præsentem, & L. Egnatii, familiarissimi mei, absentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est familiaritasque, ut, si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat me a te tantum amari, quantum ipse existimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementer rogo.

EPISTOLA LXXV.

ARGUMENTUM.

Commendat Avianum Flaccum. Cum scripta sit hæc epistola anno sequenti post frumentariam Pompeii Magni curationem; quod ex ipsa liquet; & Pompejus ei muneri quinquennium præfuerit; quod Cicero epist. 1. lib. IV. ad Attic. & Dio lib. XXXIX. testantur; apte videtur in eum annum referri posse, quo consules fuere Pompeius III. & Scipio, aut initio consulatus Sulpicii & Marcelli.

M. T.

Palat. sext. quibus subscribunt Amstelodam. & Mentel. sed nec Latina lingua, nec sententia hanc fert lectionem. Quis enim sensus est horum verborum? *quid velis non dubito.* Scribendum potius cum vulgatis & meo secundo, *nam quin velis non dubito.* GRÆV. Hæc est plurimorum Codd. scriptura, quam Grævius iterum sollicitat, qui mallet: *quin velis.* Sed repete, quid mea causa facere velis, non dubito, sive etiam *id*, *quod possis, te mea causa facere velle, non dubito* (vide ad Sall. Cat. c. 47.) Supra XI. ep. 17. qui locus plane geminus est, & omnibus audacioribus digitis temperat. XV. ep. 9. ep. 21. CORT.

Epi-

M. T. C. T. TITIO TITI F. LEGATO S. D.

ETsi non dubito, quin apud te mea commendatio prima satis valeat; tamen obsequor homini familiarissimo, C. Aviano Flacco, cujus caussa omnia cum cupio, tum mehercule etiam debeo. De quo & præsens tecum egi diligenter, cum tu mihi humanissime respondisti, & scripsi ad te accurate antea: sed putat interesse sua, me ad te quam sæpissime scribere. Quare velim mihi ignoscas, si illius voluntati obtemperans, minus videbor meminisse constantiæ tuæ. A te idem illud peto, ut de loco, quo deportet frumentum, & de tempore, Aviano commodes: quorum utrumque per eumdem me obtinuit triennium, dum Pompeius isti negotio præfuit. Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris ut Avianus, cum se a me amari putat, me a te amari sciat. Erit id mihi pergratum. Vale.

EPISTOLA LXXVI.

ARGUMENTUM.

Petit, ut C. Valgius emtam in agro Fregellano possessionem liberam immunemque habeat. Incertus annus.

M. T. C. QUATUOR VIRIS ET DECURIONIBUS S. D.

TAntæ mihi cum Q. Hippio caussæ necessitudinis sunt, ut nihil possit esse conjunctius, quam nos inter nos sumus.

EPISTOLA LXXV.

CUjus caussa debeo) Sic IV. epist. 8, & XV. ep 2. III. ep. 7. Ubi in addita nota videbis, quo respiciat verbum *debere*, nempe ex ea ratione quam ad I. ep. 1. scripsi. CORT.

Aviano commodes) Commodum Aviani promovere studeas, cujus valde interesse intellexisse, frumentum quomodo & quando deportandum sit. FUNC.

Summa est, in quo) Summa & quo ita conjungantur, ut supra IV. ep. 2. *quorum altera ratio*, & III. ep. 5. *ad eam partem, quo*: I. ep. 9. *nostrum consilium, qui*: ubi vide notata. CORT.

EPISTOLA LXXVI.

QUatuorviris & Decurionibus) Quatuorviri summus municipiorum coloniarumque magistratus: plerumque tamen IIviri: ævo autem Ciceronis quatuorviri non infrequentes fuerunt, ut ex hac epistola habetur, inscri-

sumus. Quod nisi ita esset, uterer mea consuetudine, ut vobis nulla in re molestus essem. Etenim vos mihi optimi testes estis, cum mihi persuasum esset, nihil esse, quod a vobis impetrare non possem, numquam me tamen gravem vobis esse voluisse. Vehementer igitur vos etiam atque etiam rogo, ut honoris mei caussa liberalissime C. Valgium Hippianum tractetis, remque cum eo conficiatis, ut quam possessionem habet in agro Fregellano a vobis emtam, eam liberam & immunem habere possit. Id si a vobis impetraro, summo me beneficio vestro affectum arbitrabor.

EPISTOLA LXXVII.

ARGUMENTUM.

Narrat officium suum in supplicatione decernenda; seque numquam ei defuturum pollicetur: commendat M. Bolanum: petit, ut sibi servum suum fugitivum Dionysium restituendum curet. Cæsare IV. Cos. sine collega, confecto Hispaniensi bello: ex quo revertit in urbem, ut ait Velleius, mense Octobri.

M. T. C. P. SULPICIO IMP. S. D.

CUm his temporibus non sane in senatum ventitarem; tamen, ut tuas litteras legi, non existimavi, me salvo jure

inscripta IVviris, & Decurionibus (ececujus loci nescitur) qua iis possessionem a C. Valgio in agro Fregellano emtam commendat. MAZOCH. in Tabb. Heracl.

In agro Fregellano) *Fregellæ* oppidum Volscorum, ad ripas fluvii Liris, qui nunc dicitur *il Garigliano*: Fregellæ nunc vulgo *Caperano*. GRÆV.

EPISTOLA LXXVII.

P. *SULPICIO IMPER.*) *P. Vatinio*, ex his quæ hic, & in epist. 9. & 10. lib. V. sunt scripta, legendum esse cognoscitur. Etsi in omnibus fere libris ita legitur. Illud me aliquantulum movet, quod Vatinius scribit, ante supplicationes decretas sibi dictum, servum Ciceronis fugitivum cum Vardæis esse; hic vero Cicero ut rem novam significat, atque adeo Dionysium ipsum Narone visum fuisse, unde Vatinius litteras dedit. CORRAD.

P. SULP. IMP.) Quid si? *P. Vatinio*: propter epistolas quæ sunt ab eo ad Ciceronem lib. V. in quibus & de supplicationibus, & de Dionysio multa. BERNARD. RUT. Sed utriusque sententiam refellit Manut. quem vide. GRÆV.

P. SULPICIO) Rutilius, & Corradus, P. Vatinio, ex L. V. ep. 9. 10. 11. contra quos disputat Manut. Placet conjectura Rutilii, & Corradi. Vatinium

jure nostræ veteris amicitiæ, multorumque inter nos officiorum, facere posse, ut honori tuo deessem. Itaque adfui, supplicationemque tibi libenter decrevi; nec reliquo tempore ullo aut rei, aut existimationi, aut dignitati tuæ deero. Atque hoc ut tui necessarii sciant, hoc me animo erga te esse, velim facias eos per litteras certiores, ut, si quid tibi opus sit, ne dubitent mihi jure suo denunciare. M. Bolanum, virum bonum & fortem & omnibus rebus ornatum, meumque veterem amicum, tibi magnopere commendo. Pergratum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat hanc commendationem sibi magno adjumento fuisse. Ipsumque virum optimum gratissimumque cognosces. Promitto tibi, te ex ejus amicitia magnam voluptatem esse capturum. Præterea a te peto in majorem modum, pro nostra amicitia & pro tuo perpetuo in me studio, ut in hac re etiam elabores; Dionysius, servus meus, qui meam bibliothecen multorum nummorum tractavit, cum multos libros surripuisset, nec se impune laturum putaret, aufugit. Is est in provincia tua. Eum & M. Bolanus, familiaris meus, & multi alii Naronæ viderunt. Sed cum se a me manumissum esse diceret, crediderunt. Hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere, quam mihi gratum futurum sit. Res ipsa parva, sed animi mei dolor magnus est. Vbi sit, & quid fieri possit, Bolanus te docebit. Ego si hominem per te reciperaro, summo me a te beneficio affectum arbitrabor.

EPI

tinium enim tum Illyrico, Sulpicium Achaiæ præfuisse, præter adducta loca ostendunt lib. IV. ep. 5. & 6. Io. Fr. Gronov.

Salvo jure nostræ veteris amicitiæ) Hoc convenire in Vatinium negat Manutius, ut & *pro tuo perpetuo in me studio*: sed sic etiam loquebantur, qui amici olim, dein inimici fuissent, post reconciliatam gratiam, quasi medio odiorum tempore memoriæ exemto. Idem.

Mihi jure suo denunciare) Me arcessere, advocare, ut superius lib. V ep. 11. & lib. IX. ep. 2. Græv. Ex jure nostræ necessitudinis. Sic ep. 50. Florus autem ultra protulit III. c. 17. *Equites Romani peculabantur suo jure rempublicam*: quomodo ille & aliis locis. Cort.

Bibliothecen multorum nummorum) Multis nummis emtam, constantem. Terent. Heaut. A. I. Sc. I. Sic Sall. Jug. c. 05. *Copnus pluris pretii*: ubi plura alia. Idem.

Narone) Narona urbs Dalmatiæ; vide ad lib. IX. ep. 9. Pal. prim. Amstelod. & Vict. ed. hic scribunt *Narone*. Græv.

Per te reciperaro) *Recuperavero*: ita enim hoc ea ætate protulerunt. Sic in antiqua inscriptione: RECVPERATIS

VE

EPISTOLA LXXVIII.

Argumentum.

Petit, ut Democritum Sicyonium in suam fidem recipiat Cæsare III. *& Lepido Coss.*

M. T. C. ALLIENO PROC. S. D.

DEmocritus Sicyonius non solum hospes meus est, sed etiam, quod non multis contingit, Græcis præsertim, valde familiaris. Est enim in eo summa probitas, summa virtus, summa in hospites liberalitas & observantia: meque præter ceteros & colit, & observat, & diligit. Eum tu non modo suorum civium, verum pæne Achaiæ principem cognosces. Huic ego tantummodo aditum ad tuam cognitionem patefacio & munio. Cognitum per te ipsum, quæ tua natura est, dignum tua amicitia atque hospitio judicabis. Peto igitur a te, ut his litteris lectis recipias eum in tuam fidem: polliceare omnia te facturum mea causa. De reliquo, si, id quod confido, fore dignum eum tua amicitia hospitioque cognoveris, peto, ut eum complectare, diligas, in tuis habeas. Erit id mihi majorem in modum gratum. Vale.

EPI-

VECTIGALIBVS: & sic fere semper in Pandectis Florentinis, aliisque libris manu scriptis: adde Lipsii Satyr. c. 8. Cort.

EPISTOLA LXXVIII.

ALLIENO. PROCOS.) In Sicilia, id quod ex epistola sequenti, & ex Oppii commentario de bello Africano facile discas. Nec moveor sane, quod hic Democritum *Achaiæ principem* vocet: quoniam is quoque in Sicilia esse potuit. Itaque dictum recte fuerit in sequenti epistola, *Illius dignitatem præsentia ornes*: quamvis aliter in Quæstura, aliud secuti, diximus. Corr. In vetustis Allieni denariis, quos cum Siciliam obtineret, signavit A. Allienvs Procos, inscriptum est. Vrsi.

Aditum ad tuam cognitionem patefacio & munio) Hanc lectionem elegantissimam restituo ex Palatinis, Vaticani excerptis, editione prima atque Victorii. Palatinus tamen sextus majore varietate, ad quam quoque alludit Hittorpianus *patefacto* suo: *aditu ad tuam cognitionem patefacto*. Sed malo vulgatum, nisi putes Hittorpiani codicis scripturam veram, & verbum frequentativum, ut vocant, *patefacto*: quod non memini. Elegantissimum autem est, *aditum munire*. Sic ipse Tullius pro Cluentio: *Tamen ut ad hoc nefarium facinus accederet, aditum sibi aliis sceleribus ante munivit*. Et sic varie ipse Tullius. Vulgatum est *patefacio & innuo*. Gebh.

Epi-

EPISTOLA LXXIX.

ARGVMENTVM.

Caium, & Marcum Avianos fratres commendat. Eodem anno.

M. T. C. ALLIENO PROCOS. S. P. D.

ET te ſcire arbitror quanti fecerim C. Avianum Flaccum: & ego ex ipſo audieram, optimo & gratiſsimo homine, quam a te liberaliter eſſet tractatus. Ejus filios digniſsimos illo patre, meoſque neceſſarios, quos ego unice diligo, commendo tibi ſic, ut majore ſtudio nullos commendare poſsim. C. Avianus in Sicilia eſt, Marcus eſt nobiſcum. Vt illius dignitatem præſentis ornes, rem utriuſque defendas, te rogo. Hoc mihi gratius in iſta provincia facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

EPISTOLA LXXIX.

LIberaliter eſſet tractatu) Pro quo Salluſtius *liberaliter eſſet habitus*, ut Cat. c. 11. Sed verbum *tractare* ſupra pluribus illuſtravimus, & idem illud cum Adverbio *liberaliter* conjungit Cœlius VIII. ep. 8. CORT.

M. T. CICERONIS EPISTOLARUM AD TERENTIAM

LIBER QUARTUS DECIMUS.

EPISTOLA I.

ARGUMENTUM.

PUlsus e patria, P. Clodii tribuni pl. rogatione iniquissima, deflet suam suorumque calamitatem, culpam conferens in amicorum consilia. De reditu in patriam, licet obstent multa, studio tamen fretus tribunorum pleb. Lentuli consulis, Pompeii, & Cæsaris, non desperat. Subjungit de familia, de pestilentia, de Plancii Macedoniæ quæstoris erga se officio, de Pisonis generi sui humanitate, virtute, amore in se, suosque omnes. Purgat se de Q. fratre. Gratias a se per litteras iis esse actas dicit, quibus agendas esse Terentia scripserat. Vici venditionem prorsus improbat. Pisone & Gabinio Coss.

TUL-

EPISTOLA I.

LIBER XIV.) In hoc libro hoc in primis adnotandum existimo, nullo certo ordine epistolas, quas continet, collocatas esse, quod ignoratum magnopere improvidum lectorem perturbare posset: & quantum ego perspexi, tria sunt tempora, quibus ad Terentiam epistolas scripsit Cicero: de his loquor, quæ nunc inveniuntur: cum in exsilium pulsus est: cum in Provinciam Ciliciam Procos. missus, cum bellum civile inter Cæsarem Pompeiumque exortum, ac gestum est: nam post adversum in Pharsalia prælium, cum in Italiam rediisset, non multo post uxori nuntium remisit: primas quatuor sine dubitatione scripsit, cum a Clodio e patria ejectus est. VICTOR.

TUL-

TVLLIVS TERENTIÆ SVÆ, TVLLIOLÆ SVÆ, CICERONI SVO S. D.

ET litteris multorum, & sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem & fortitudinem esse, teque nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Me miserum! te ista virtute, fide, probitate, humanitate, in tantas ærumnas propter me incidisse! Tulliolamque nostram, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! Nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primum sapere cœpit, acerbissimos dolores miseriasque percepit. Quæ si, ut tu scribis, fato facta putarem, ferrem paullo facilius: sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab his me amari putabam, qui invidebant: eos non sequebar, qui petebant. Quod si nostris consiliis usi essemus, neque apud nos tantum valuisset sermo aut stultorum amicorum, aut improborum, beatissimi viveremus: nunc, cum sperare nos amici jubent, dabo operam, ne mea valetudo tuo labori desit. Res quanta sit, intelligo, quantoque fuerit facilius manere domi, quam redire. Sed tamen, si omnes tribunos pl. habemus, si Lentulum tam studiosum, quam videtur, si vero etiam Pompeium & Cæsarem, non est desperandum. De familia, quomodo placuisse amicis scribis,

TVLLIVS TERENTIÆ SVÆ, TVLLIOLÆ SVÆ, CICERONI SVO) Vni Terentiæ, ex sensu, inscribi oportuit. Quatuor vero hæ primæ epistolæ ita dirigendæ sunt, ex dierum scilicet ac rei gestæ ordine, ut quæ quarta nunc est, in primum locum veniat: quæ secunda, eodem maneat: quæ prima, in tertium: quæ tertia, in quartum abeat. Id ita esse deprehendet, qui librum tertium Epistolarum ad Atticum diligentius inspiciat. Neque vero sunt omnes ab exule Cicerone scriptæ libri hujus litteræ, sed quatuor tantum primæ, in quo repuerascit Clericus. Ego ut ante sum testatus, ad sententiam Ciceronis (quod ego unum quæro hoc opere) consequendam, maximo arbitror seriem epistolarum per tempora sua servatam adjumento esse, atque decori. BERN. RVTIL.

Virtutem & fortitudinem) Quæ ita differunt ex antiquorum placitis, ut *virtus* ad animum, *fortitudo* ad corpus magis pertineat: quare apposite intulit: *nec animi, nec corporis laboribus*. De quo quædam attuli ad Crispi Cat. c. 2. CORT.

Ex quo patre tantas voluptates capiebat) Ante exsilium. CORR.

Ex eo) Exsule. IDEM.

Ab his me amari) Catone, Hortensio, & aliis. ID.

Eos non sequebar) Pompeium, Cæsarem, & Crassum, ep. 8. lib. I. ID.

Omnes tribunos plebis) *Studiosos* nostri, quod ex proximo *studiosum* est adsumendum. Confer XII. ep. 14. & XVI. ep. 2. CORT.

Si Lentulum) Lib. I. CORR.

De familia) Ep. 4. hujus lib. CORR. De servis, quos Cicero, veritus ne cum

bis; faciemus. De loco nunc quidem jam abiit peſtilentia; ſed quamdiu fuit, me non attigit. Plancius, homo officioſiſsimus, me cupit eſſe ſecum, & adhuc retinet. Ego volebam loco magis deſerto eſſe in Epiro, quo neque Hypſo veniret, nec milites: ſed adhuc Plancius me retinet: ſperat poſſe fieri, ut mecum in Italiam decedat. Quem ego diem ſi videro, & ſi in veſtrum complexum venero, ac ſi & vos, & me ipſum recuperaro, ſatis magnum mihi fructum videbor percepiſſe & veſtræ pietatis, & meæ. Piſonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus eſt, ut nihil ſupra poſsit. Vtinam ea res ei voluptati ſit, gloriæ quidem video fore. De Q. fratre nihil ego te accuſavi; ſed vos, cum præſertim tam pauci ſitis, volui eſſe quam conjunctiſsimos. Quibus me voluiſti agere gratias, egi, & me a te certiorem factum eſſe ſcripſi. Quod ad me, mea Terentia, ſcribis, te vicum venditurum: quid, obſecro te, me miſerum! quid futurum eſt? Et, ſi nos premet eadem fortuna, quid puero miſero fiet? Non queo reliqua ſcribere, tanta vis lacrymarum eſt, ne te in eumdem fletum adducam. Tantum ſcribo, ſi erunt in officio amici, pecunia non deerit: ſi non erunt, tu efficere tua pecunia non poteris.

cum ceteris bonis publicarentur, manumiſit, ſub conditione tamen, ut ſi Clodii lex abrogaretur, ſervirent ſicut antea. LALL.

Plancius) Cn. Plancius in Macedonia Quæſtor, pro quo exſtat oratio. CORRADVS.

Quo neque Hypſo veniret, nec milites) Nos vulgatorum codicum lectionem non mutavimus, quia nihilo meliorem in vetuſtis invenimus. Eſt autem nobis obſcurum, quis hic *Hypſo* fuerit quem fugiebat. Medicæus & Petrarchæ codex *ipſo* habent pro *Hypſo*: eruditiores hunc locum diligentius videbunt. VICTOR. Variant in hoc nomine codices, in quibus ſcribitur *Hipſo*, *ipſo*, *ipſe*. Videtur deſignari L. Piſo conſul, Ciceronis inimicus, qui ad regendam Macedoniam propediem iturus erat. LALL.

Nec milites) Quorum & ſuorum hoſtium refertam fuiſſe Græciam, in oratione pro Plancio ſcribit. CORR.

In Italiam decedat) Id enim ſibi magno honori fore ſperabat. ID.

Et me ipſum recuperaro) Vitam meam & optatam fortunam Sic ep. 2. *tum denique mihi videbor reſtitutus*: adde III. in Catil. c. 1. & multa alia loca, ubi non abſimiliter Tullius de ſe ipſe loquitur. CORT.

Piſonis) Generi. CORR.

Quod ad me, mea Terentia, ſcribis, te vicum venditurum) Hanc elegantiam & in ſuperioribus ex manuſcriptis reddidi Tullio, & hic eamdem vindicant Palatinus primus, Vaticani excerpta, Victorii editio. Plebeje Magiſtelli fecerunt, *vendituram*. Paullo poſt ſcripſi, *neque te in eumdem fletum adducam*: ex Pall. prima editione, Hittorp. Stewech. Victorio: *neque* reſolveris, *& ne te* &c. GEBH. Vide Gell. I. Noct. Att. VII. GRÆV.

Tu efficere tua pecunia) Verbum numme-

ris. Per fortunas miseras nostras, vide, ne puerum perditum perdamus: cui si aliquid erit, ne egeat, mediocri virtute opus est, & mediocri fortuna, ut cetera consequatur. Fac valeas, & ad me tabellarios mittas, ut sciam, quid agatur, & vos quid agatis. Mihi omnino jam brevis exspectatio est. Tulliolæ, & Ciceroni salutem dic. Valete. D. a. d. VI. Kalendas Decembres, Dyrrachii. Dyrrachium veni, quod & libera civitas est, & in me officiosa, & proxima Italiæ. Sed si me offendet loci celebritas, alio me conferam, ad te scribam.

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Brevitatem suarum litterarum excusat: Pisonis generi officia erga se laudat: Terentiæ vicem dolet: rogat, ut sumtus de suo ne faciat, & valetudini serviat. Iisdem Coss.

TVLLIVS TERENTIÆ SVÆ, TVLLIOLÆ, ET CICERONI SVIS S. D.

NOli putare, me ad quemquam longiores epistolas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. Nec enim habeo, quid scribam, nec hoc tempore quidquam difficilius facio. Ad te vero, & ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lacrymis scribere. Vos enim video esse miserrimas, quas ego beatissimas semper

motum est *efficere*. Confer XI. ep. 10. CORTIVS.

Per fortunas miseras n.) Supple *rogatus*, quod in hujusmodi obsecrandi formulis omittitur. Confer X. ep. 5. VIII. ep. 14. ID.

Vide ne puerum perditum perdamus) Hæc est omnium codicum scriptura: adnotatque huc Egnatius illud Virgilii, *submersasque obrue puppes*. Andreas vero Schottus Nod. lib. III. c. 1. pertendit legendum, *ne puerum perditum eamus*: quæ quidem conjectura auctori blanditur, & alii fortasse prima facie; mihi excussa, non potest, imo vel decem vincam rationibus, huc non pertinere. Paullo post Peckio excerpta per notas scribunt, *Tulliolæ & Ciceroni S. D.* quas ille interpretatur, *salutem dico*; in his salus Græciæ, ut puto, non vertitur. GEBHARD.

Dyrrachium) Vrbs Epiri. GRÆV. Hoc Cicero sibi elegit exilii locum. Macedoniæ fuit urbs nobilissima, & portus valde celebris, hodie *Durazzo*. ERNC.

per esse volui, idque præstare debui: &, nisi tam timidi fuissemus, præstitissem. Pisonem nostrum merito ejus amo plurimum. Eum, ut potui, per litteras cohortatus sum, gratiasque egi, ut debui. In novis tribunis pleb. intelligo spem te habere: id erit firmum, si Pompeii voluntas erit: sed Crassum tamen metuo. A te quidem omnia fieri fortissime & amantissime video: nec miror: sed mœreo casum ejusmodi, ut tantis tuis miseriis meæ miseriæ sublevantur. Nam ad me P. Valerius, homo officiosus, scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum a Vestæ ad tabulam Valeriam ducta esses. Hem, mea lux, meum desiderium, unde omnes opem petere solebant! te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic jacere in lacrymis & sordibus! idque fieri mea culpa, qui ceteros servavi, ut nos periremus! Quod de domo scribis, hoc est, de area; ego vero tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta. Verum hæc non sunt in nostra manu. Illud doleo

EPISTOLA II.

Præstare debui) Patris enim familias est, pro viribus semper incolumes præstare suos. FVNC.

In novis Trib. pleb. intelligo spem te habere) Auxilio hujus maxime loci, & alterius qui in sequenti epist. huic par est, emendatur locus inquinatissimus in epistola ad Q. Fratrem, qui in cunctis & impressis & manuscriptis codicibus eodem pacto depravatus est: *Denotius autem Trib. pleb. est ille quidem in me officiosissimus Sextius, & spero*, &c. Sic enim legendum est: *De novis autem Trib. pleb. est ille quidem in me officiosissimus Sextius*. Quamvis conjectura tantum ac judicio ductus ita legendum esse viderim: non arbitror, propter claritatem, quam res habet, me temerarium judicatum iri, qui omnino affirmem ita legi debere. VICTORIVS. *In novis*) Designatis in proximum annum. IO. FR. GRON.

Crassum tamen metuo) Epist. 8. lib. I. CORR. Qui iratus erat Ciceroni, quod apparet ex I. ep. 9. forte ex illa causa, quam optime omnium exponit Sallustius Cat. c. 48. CORT.

Ut tantis tuis miseriis meæ mis. sublevantur) Sic lego ex Palat. primo & Vaticani excerptis. GEBHARD.

A Vestæ ad tabulam Valeriam) Docti quidam legi volunt, *a Vesta*, id est, a lare & foco. LAMB. *A Vestæ*) Nihil a vulgata discedere volui, quam custodiunt ceteri quoque MSi præter Palatinum primum, Stewechianum, editionem principem. Victorius quoque edidit *a Vesta*; quod sequatur qui volet. GEBHARD. Male, qui sic legunt. *A Vestæ*, est a templo Vestæ. GRÆV. *Ad tab. Val.*) Sic *ad Tabulam Sextiam* dixit in oratione pro P. Quintio. CORR. *Tabula Valeria* fuit tabula in taberna Valerii argentarii in foro. Vid. Manut. Hoc autem factum fuit contumeliæ causa, ut olim Cato Uticensis ductus fuit a Rostris usque ad arcum Fabianum. Vide Senecam de Constantia Sapientis c. 14. GRÆVIVS. *A Vestæ*) *Templo*, quod omitti solet. Sic VIII. ep. 4. *Cum Senatus habitus esset ad Apollinis*: ubi Horatium similiter loquentem adduxi: *a Vesta* tamen scribitur in antiquioribus. CORT.

Etiam

doleo, quæ impensa facienda est, in ejus partem te miseram & despoliatam venire. Quod si conficitur negotium, omnia consequemur: sin eadem nos fortuna premet, etiam ne reliquias tuas miseras projicies? Obsecro te, mea vita, quod ad sumtum attinet, sine alios, qui possunt, si modo volunt, sustinere: & valetudinem istam infirmam, si me amas, noli vexare. Nam mihi ante oculos dies noctesque versaris. Omnes labores te excipere video: timeo, ut sustineas: sed video in te esse omnia. Quare, ut id, quod speras, & quod agis, consequamur, servi valetudini. Ego ad quos scribam nescio, nisi ad eos, qui ad me scribunt; aut ad eos, de quibus ad me vos aliquid scribitis. Longius, cum ita vobis placet, non discedam: sed velim quam sæpissime litteras mittatis, præsertim si quid est firmius, quod speremus. Valete, mea desideria, valete: a. d. III. Nonas Octobr. Thessalonica.

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Sua culpa factum esse dolet, ut & ipse, & omnes sui maximas in miserias inciderint; deinde, ad varia litterarum Terentiæ capita respondet; sed ita dolenter, ut adeo a nonnul-

Etiam ne reliquias tuas miseras projicies?) Sic legendum ex Palatinis & editione primaria. Victorius tamen & vulgo *misera projicies*; quod non improbo: veterem tamen lectionem hic regnum tenere malo. GEBHARD. Nollem Gebhardum hic recepisse suis ex codicibus *miseras*, quamvis id quoque habeatur in duabus editionibus vetustis. Id redolet νεωτεριςμὸν. *Projicere* hoc loco est vili vendere. Et sic accipiendum existimo apud Florum II. 6. *Quid signorum, quid vestium, quid tabularum raptum, incensum, atque projectum est?* Vulgo hic locus non recte accipitur. Dicit enim milites Romanos ignorantes pretium statuarum & picturarum, vilissimo eas vendidisse pretio; pro hoc frequentius dicitur *abjicere*. Plautus Mostell. III. 3.

TR. *Num nimio emtæ tibi videntur?*
TH. *numquam edepol me scio*
Vidisse usquam abjectas ædes, nisi modo hasce.

Phædrus lib. IV. *Agros abjiciet mœcha.* GRÆV.

Thessalonica) Civitas nobilissima Macedoniæ a Cassandro condita, hodie *Salonichi*. GRÆV.

Ante oculos dies noctesque) Quod de amatis Terentius cum aliis etiam dixit, multo magis de amatis miseris. Sic ep. 3. CORT.

Ter-

nullis; *jure fortasse*, *tanquam mollis reprehendatur*! *Iisdem Coss.*

TVLLIVS TERENT. ET TVLL. ET CICERONI SVIS
S. D.

ACcepi ab Aristocrito tres epistolas, quas ego lacrymis prope delevi. Conficior enim mœrore, mea Terentia: nec meæ me miseriæ magis excruciant, quam tuæ, vestræque. Ego autem hoc miserior sum, quam tu, quæ es miserrima, quod ipsa calamitas communis est utriusque nostrum, sed culpa mea propria est. Meum fuit officium, vel legatione vitare periculum, vel diligentia & copiis resistere, vel cadere fortiter: hoc miserius, turpius, indignius nobis nihil fuit. Quare cum dolore conficiar, tum etiam pudore. Pudet enim me uxori meæ optimæ, suavissimis liberis virtutem & diligentiam non præstitisse. Nam mi ante oculos dies noctesque versatur squalor vester & mœror, & infirmitas valetudinis tuæ: spes autem salutis pertenuis ostenditur. Inimici sunt multi: invidi pæne omnes. Ejicere nos magnum fuit, excludere facile est. Sed tamen quamdiu vos eritis in spe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidisse videantur. Vt tuto sim, quod laboras, id mihi nunc facillimum est: quem etiam inimici volunt vivere in his tantis miseriis. Ego tamen faciam, quæ præcipis. Amicis, quibus voluisti, egi gratias, & eas litteras Dexippo dedi, meque de eorum officio scripsi a te certiorem esse factum. Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos & officio, & ego perspicio, & omnes prædicant. Dii faxint, ut tali genero mihi præsenti tecum simul, & cum liberis nostris frui liceat. Nunc spes reliqua est in novis tribunis pleb.

EPISTOLA III.

LEgatione vitare periculum) A Cæsare præsertim oblata. CORR.

Diligentia & copiis resistere) Adversariis, & Clodio in primis. IDEM.

Virtutem & diligentiam non præstit.) Hittorpianus codex, ut experior, optimus, *virtutem & indulgentiam*, quod quale sit, non licet librare in hoc ictu temporis. GEBHARD

Vos eritis in spe) Sperabitis. Sic XIII ep. 19. *etsi eramus in magna spe* ubi vide. CORT.

Eas literas Dexippo dedi) Vtrum pro eo, quod vulgatum fuit, Dexippo? an pro *Ctesippo*? I. GRON.

Et

pleb. & in primis quidem diebus. Nam si inveterarit, actum est. Ea re ad te statim Aristocritum misi, ut ad me continuo initia rerum, & rationem totius negotii posses scribere: etsi Dexippo quoque ita imperavi, statim ut recurreret: & ad fratrem misi, ut crebro tabellarios mitteret: nam ego eo nomine sum Dyrrachii hoc tempore, ut quam celerrime, quid agatur, audiam; & sum tuto. Civitas enim hæc semper a me defensa est. Cum inimici nostri venire dicentur, tum in Epirum ibo. Quod scribis, te, si velim, ad me venturam: ego vero, cum sciam magnam partem istius oneris abs te sustineri, te istic esse volo. Si perficitis quod agitis, me ad vos venire oportet: sin autem: sed nihil opus est reliqua scribere. Ex primis, aut summum secundis litteris tuis constituere poterimus, quid nobis faciendum sit. Tu modo ad me velim omnia diligentissime perscribas: etsi magis jam rem, quam litteras debeo spectare. Cura, ut valeas, & ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil esse, nec umquam fuisse. Vale mea Terentia, quam ego videre videor: itaque debilitor lacrymis. Vale. Pridie Kalendas Decembr.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Scripta est hæc epistola non solum dolenter, sed etiam molliter; argumentum est multiplex, quia respondet ad diversa capita litterarum Terentiæ. Iisdem Coss.

TVL-

Et in primis quidem diebus) An non & id primis quidem diebus? Sic *idque*, *atque id*, *neque id*, *nec id*, tum alii sæpe cum vi quadam inspergunt, tum ipse Tullius, ut collegerunt alii. LOEN.

Nam si inveterarit) Res mea: nisi tribuni pl. primis statim diebus mea causa omnia egerint. Sic VI. ep. 7. *perficere*: alibi *adolescere*, *tribuere*, *desinere* absolute dicuntur. CORT.

Inimici nostri) Epist. 1. hujus libri. CORT.

Aut summum secundis litteris) Sic recte ex MSis restituerunt hunc locum viri docti: vulgo *aut ad summum secundis*. *Summum* autem Ciceroni hoc sensu ponitur crebro pro *ad summum*, ut supra notatum. GRÆV. *Summum* est quasi Adverbium, ut *multum*, *longum*, & similia, ac frequenter dicitur pro *ad summum*, ut II. ep. 2. V. ep. 21. CORT.

EPI-

TVLLIVS TERENTIÆ, ET TVLLIOLÆ, ET CICERONI SVIS S. P. D.

EGo minus sæpe ad vos do litteras, quam possum, propterea quod cum omnia mihi tempora sunt misera, tum vero cum aut scribo ad vos, aut vestras lego, conficior lacrymis, sic ut ferre non posim. Quod utinam minus vitæ cupidi fuissemus: certe nihil, aut non multum in vita mali vidissemus. Quod si nos ad aliquam alicujus commodi aliquando recuperandi spem fortuna reservavit, minus est erratum a nobis: sin hæc mala fixa sunt. Ego vero te quam primum, mea vita, cupio videre, & in tuo complexu emori: cum neque dii, quos tu castisime coluisti, neque homines, quibus ego servivi, nobis gratiam retulerunt. Nos Brundusii apud M. Lenium Flaccum dies XIII. fuimus, virum optimum: qui periculum fortunarum & capitis sui præ mea salute neglexit: neque legis improbisimæ pœna dedu-

EPISTOLA IV.

SI *hec mala fixa sunt*) Sic ex veteribus libris rescripserunt Victorius & Gebhardus, adstipulante quoque Amstelodam. & Mentel. Græviano. Præstat tamen cum Manutio & vulgatis legere, *sin hæc mala fixa sunt*: quia hac particula utuntur veteres, cum res inauspicatas, a quibus enarrandis abhorrent, reticere volunt: ut præcedente epistola: *Si perficitis quod agitis, me ad vos venire oportet; sin autem; sed nihil opus est reliqua scribere*. Sed exempla passim obvia, & a multis notata. GRÆV.

Castissime coluisti) Hoc est, religiosissime. Epist. sequente septima: *Cui quidem tu ideo, quemadmodum soles, pie & caste satisfacias*. Cic. II. de Leg. *Ad divos adeunto caste*. Id. de Haruſp. respons. *Quod fanum cum Deiotarus religione sua castissime tueretur*. GRÆV. Sic ep. 7. & sic Paullinus Pellacus Eucharist. v. 89. quod inde venit, quoniam *Castus* veteribus dicebatur *religio* vel ritus. Vide Scalig. Coujectan. ad Varr. p. 148. CORT.

Neque homines, quibus ego servivi, nobis gratiam retulerunt) Hæc est codicum antiquiorum ac meliorum scriptura, Palatini sexti, trium Guilielmio inspectorum, Vaticani: Palatinus primus vocula auctior, *quibus ego semper servivi*: & Venetus, *quibus ego servivi semper*; sed nostram quoque lectionem repræsentavit Victorius: blenni sunt, etiamsi valide acute fecisse videri volunt, qui rescripserunt, *quos ego servivi semper*. GEBHARD. Amstelodam. etiam & Mentel. scribunt: *quibus ego semper servivi*: quos sequi invidia nulla est. Est autem, *quibus ego semper servivi*, quibus ego semper omne genus studii & officii, quod præstare potui, præstiti. Orat. pro Planc. *Reip. servivi semper, numquam mihi*. GRÆV.

M. Lemnium) Al. *M. Ennium*: sed *M. Lenium* legere oportet ex oratione pro Cn. Plancio, in qua ita legimus: *In hortos me M. Lenii Flacci extra Brundusii mœnia contuli, cui cum omnis metus, publicatio bonorum, exsilium, mors proponeretur, hæc perpeti, si acciderent, maluit, quam custodiam mei capitis dimittere*. CORR.

Neque legis improbissimæ) Ne Cicero intra quingenta passuum millia hospitio acciperetur. IDEM.

Brun-

eductus est, quo minus hospitii & amicitiæ jus officiumne præstaret. Huic utinam aliquando gratiam referre possimus, habebimus quidem semper. Brundusio profecti sumus . d. V. Kalendas Mai. per Macedoniam Cyzicum peteimus. O me perditum! o afflictum! quid nunc rogem te t venias, mulierem ægram, & corpore & animo confelam? Non rogem? sine te igitur sim? Opinor, sic agam. i est spes nostri reditus, eam confirmes, & rem adjuves; n, ut ego metuo, transactum est, quoquo modo potes, d me fac venias. Vnum hoc scito: si te habebo, non mii videbor plane perisse. Sed quid de Tulliola mea fiet? um id vos videte: mihi deest consilium. Sed certe, quouo modo se res habebit, illius misellæ & matrimonio, & umæ serviendum est. Quid? Cicero meus quid aget? Iste vero

Brundusio profecti sumus a. d. v. Kal. Maii) Vide ne mendosa dies, cum bjiciat, daras haice litteras *pridie Kalend. Maii Brundusio*, & ad Atticum ibro tertio, epistolam septimam datam significet *pridie Kalend. Maii*, *Brundusio*, cum proficiscerentur, ut & ic ita legi, ni fallor, oporteat. dam in eadem quidem illa ad Atticum, corrupta initio adscripta dies. Nisi vero probat quis id, quod nobis liquando placuit, ex una scil. duas ficere epistolas, ut sit superioris hic inis, *Brundusio ad v. Kal. Maii*, tum equatur alterius hoc initium, *Brundusio profecti sumus per Macedoniam*, &c. Et sane diversarum epistolarum rgumentum commixtum esse videtur. BERNARD. RVTIL. *Ad v. Kal.*) Si d II. Kalend. legatur, nihil erit contrarium: quia tamen in omnibus libris sic legitur, sunt qui censeant ex una duas hic epistolas esse faciendas. CORRAD. *Brundusio profecti sumus a. d. II. Kalend. Maias*) Sic edidimus, Bernardini Rutilii & Franc. Hottomani conjecturam, ac veritatem ipsam secuti, lectione vulgata rejecta, ad v Kal. seu *a d. v Kal.* LAMB.

Cyzicum) *Cyzicus* nobilissima Asiæ urbs ad Propontidem. GRAV.

O me perditum! o afflictum!) Ejecto illo provocabulo *me* posteriore, Guilielmius ex Hittorpiano legit, *o me perditum efflictim!* trahitque huc illud *mihi videbor plane perisse*. Nos unico libro adducti, mutationis rei aut temeritatis esse nolumus. Sic paullo post Palatinus sextus legit, *& corpore & animo affectam*; ut apud Plautum *affecta amica*; & Nasonem:

Ibit ut affectam, quæ non languebit, amicam, &c.

& Propert.

Iuppiter affectæ tandem miserere puellæ.

Ex quibus apparet non inconvenientem esse hanc scripturam. Paullo iterum post, nihil mutandum: omnes enim libri, *sin ut ego metuo, transactum est*. Sic Terentius: *Acta transacta omnia*. GEBHARD. *Afflictum*. Ianus Guilielmius ad Plauti Cistellariam act. 2. sc. 1. testatur se in vetustissimis membranis reperisse, *O me perditum! me efflictum!* Quod si verum est, bis apud Ciceronem legitur verbum *effligere*: nam vide lib IX. ad Att. ep. ult. OLIV.

Et animo confectam) Attritam & diminutam, quod de *ætate* vel *morbis* attritis sæpissime dicitur. Vide quæ ad Sall. Iug. c. 11. CORT.

Et matrim. & fam. serviendum est) Consulendum, ut supra V. epist. 21. IX. epist. 14. aliter infra XVI. epist. 4. cur-

vero sit in sinu semper & complexu meo. Non queo p
ra jam scribere: impedit mœror. Tu quid egeris nescio
utrum aliquid teneas, an, quod metuo, plane sis spoliata
Pisonem, ut scribis, spero fore semper nostrum. De fam
lia liberata nihil est, quod te moveat. Primum, tuis
promissum est, te facturam esse ut quisque esset meritus
Est autem in officio adhuc Orpheus: præterea magnop
nemo. Ceterorum servorum ea causa est, ut, si res a n
bis abesset, liberti nostri essent, si obtinere potuissent: sin
ad nos pertinerent, servirent, præterquam oppido pauci
Sed hæc minora sunt. Tu quod me hortaris, ut animo si
magno, & spem habeam recuperandæ salutis, id velim
ejusmodi, ut recte sperare possimus. Nunc miser quand
tuas jam litteras accipiam? quis ad me perferet? quas eg
exspectassem Brundusii, si esset licitum per nautas, qu
tempestatem prætermittere noluerunt. Quod reliquum est
sustenta te, mea Terentia, ut potes. Honestissime viximus
floruimus; non vitium nostrum, sed virtus nostra nos af
flixit; peccatum est nullum, nisi quod non una animam
cum ornamentis amisimus. Sed si hoc fuit liberis nostri
gra

4. *corpori servire*, quod tamen eodem recurrit. IDEM.

De familia) Servorum. CORR.

Præterea magnopere nemo. Ceterorum servorum ea causa est) Sic optime interpunxit hunc locum disertissimus P. Manutius, adstipulante Amstelodam. vide notas. Rutgers. lib. III. Var. Lect. cap. 3. legit, *præterea magnopere Mnemo. Ceterorum servorum*: sed vulgata non est movenda. Vide Manut. GRÆV.

Si res a nobis abesset) Bona nostra per Clodium publicata. CORR. Amicus quidam meus legendum censet, *si res a nobis abiret*; seu *abisset*. LAMB.

Si obtinere potuissent) Vt essent liberti. CORR.

Sin ad nos pertinerent) Re nostra integra, quam sequi solent servi. IDEM. Distingue, *sin*; *ad nos pertinerent*, sin, scilicet res non abesset; si bonis nostris ceteris non spoliaremur, manerent in nostra potestate, non manu mitterentur, sed nobis servirent præterquam pauci quidam, quibus e libertas promissa: nota ellipsis, d qua paullo ante. GRÆV. *Sin ad n pertinerent*) Relinquerentur nobis, ne abriperentur cum ceteris bonis. Po set & legi *pertineret* nempe res, si re ciperemus bona. Item, *sin ad n pertinerent, præterquam oppido pauci* nam τὸ *servirent* Scholion videtur ex *ad nos pertinerent*. Io. FR. GRON.

Quod reliquum est, sustenta te, m Terentia) Elegantius meo animo abe set provocabulum *te*, quod video ce te excludi ab optimis libris, Pala no sexto & Hittorpiano. Plautus *sustentatum sedulo est*. In fine quoqu epistolæ scribendum ex Palatt. Hi torp. Stew. Peck. *Cura quod potes valeas*. Nam *quod* significat *quoad* in sexto est glossa *quatenus*. GEBHAR

Animam cum ornam.) Vitam ut Sall Cat. c. 20. *Denique quid reliqui habem præter miseram animam*. CORT.

Sal

gratius nos vivere, cetera, quamquam ferenda non sunt, feramus. Atque ego qui te confirmo, ipse me non possum. Clodium Philetærum, quod valetudine oculorum impediebatur, hominem fidelem, remisi. Sallustius officio vincet omnes. Pescennius est perbenevolus nobis: quem semper spero tui fore observantem. Sicca dixerat se mecum fore: sed Brundusio discessit. Cura, quoad potes, ut valeas: & sic existimes, me vehementius tua miseria, quam mea commoveri. Mea Terentia, fidissima atque optima uxor, & mea carissima filiola, & spes reliqua nostra Cicero, valete. Pridie Kalendas Mai. Brundusio.

EPISTOLA V.

ARGVMENTVM.

Reditum suum ex Cilicia provincia significat: Terentiæ diligentiam in scribendo laudat: litterarum ejus brevitatem excusat: mandat, quæ fieri velit de bonorum Præcianorum auctione. Scripta est aliquot annis post superiores, L. Paullo, C. Marcello Coss.

M. T. C. TERENTIÆ ET TVLL. SVIS S. P. D.

SI tu, & Tullia lux nostra valetis, ego, & suavissimus Cicero valemus. Pridie Idus Octobres Athenas venimus,

Sallustius officio vincet omnes spes. Cennius, &c.) Nos ex duabus dictionibus unum nomen confecimus, scilicet *Pescennius*, magis receptæ lectionis vitio offensi, quam a veteribus exemplaribus adjuti. Cum enim de officio, quod erga se in tam adversa fortuna præstabant amici familiaresque, loqueretur, dicit (ni fallor) se ita animatum videre Sallustium, ut speret illum officio superaturum esse reliquos amicos. Quid enim hic *spes* significet? nisi satis ineptum meo judicio sententiam ex his verbis elicias, ut dicat numquam de Sallustio se tantum spei habuisse, quantum ille ostendit nunc re ipsa & assiduis officiis. Magis autem priore sensu delector horum verborum, ut facta comparatione officiorum ceterorum domesticorum & Sallustii, pronunciet illum reliquos officio victurum. Germanus etiam codex in margine ita emendat. VICTOR.

Sicca) De quo in epistolis ad Atticum sæpe meminit. CORRAD.

Spes reliqua nostra) Quomodo Virgilius I. Æn. v. 560. *Nec spes iam restat Iuli*: ubi Servius videndus. CORT.

EPISTOLA V.

A*Thenas venimus*) Ex Cilicia redeuntes. CORRAD.

Ae

mus, cum sane adversis ventis usi essemus, tardeque & incommode navigassemus. De nave exeuntibus nobis Acastus cum litteris præsto fuit uno & vicesimo die, sane strenue. Accepi tuas litteras, quibus intellexi te vereri, ne superiores mihi redditæ non essent. Omnes sunt redditæ, diligentissimeque a te perscripta sunt omnia: idque mihi gratissimum fuit. Neque sum admiratus, hanc epistolam, quam Acastus attulit, brevem fuisse; jam enim me ipsum exspectas, sive nos ipsos, qui quidem quam primum ad vos venire cupimus: etsi in quam remp. venimus intelligo; cognovi enim ex multorum amicorum litteris, quas attulit Acastus, ad arma rem spectare: ut mihi, cum venero, dissimulare non liceat, quid sentiam. Sed cum subeunda fortuna est, eo citius dabimus operam, ut veniamus; quo facilius de tota re deliberemus. Tu velim, quod commodo valetudinis tuæ fiat, quam longissime poteris, obviam nobis properes. De hereditate Preciana, quæ quidem mihi magno dolori est, valde enim illum amavi, sed hoc velim cures: si auctio ante meum adventum fiet, ut Pomponius, aut, si is minus poterit, Camillus nostrum negotium curet. Nos cum salvi venerimus, reliqua per nos agemus. Sin tu jam Roma profecta eris, tamen curabis, ut hoc ita fiat. Nos, si dii adjuvabunt, circiter Idus Novemb. in Italia speramus fore. Vos, mea suavissima & optatissima Terentia, & Tulliola, si nos amatis, curate, ut valeatis. Athenis, a. d. XV. Kalendas Novembr.

EPI-

Acastus) Servus noster. IDEM.

Uno & vicesimo die) Postquam illi traditæ essent. Sic *paucis diebus*, & alia dicuntur. Vide quæ notavi ad XII. ep. 15. II. ep. 7. CORT.

Ad vos venire cupimus) Non solum Lambiniani, sed & Amstelod. Mentel. meus secund. duo Pall. duo Guilielmii: *ad vos venire cupiamus*; quod cur spreverint editores, non video. Quis enim ignorat Latinos sæpe hoc modo uti, & Ciceronem in primis, cum aliquid optant & desiderant? Guilielmius conjiciebat, *ad vos venire cupiebamus*. GRAV.

In quam remp. veniemus) Hanc regiorum MSorum lectionem prætulimus vulgatæ, *venimus*. LALLEM.

Ad arma rem spectare) Cæsare, & Pompeio diffidentibus. CORRAD.

Quam longissime poteris, obviam nobis properes) Non ausus sum cum Victorio hanc movere lectionem, restitantem in Palatino primo, & editionum antiquissima. Lambinus illico Victorianam lectionem recepit *prodeas*, quam tamen conspicio in Palatino sexto, & Hittorpiano. GEBHARD.

EPI-

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Excusationem affert, cur litteras raras mittat; voluntatem suam in are alieno dissolvendo significat; adjungit de Terentiæ meritis in Tulliolam. Pollicem servum ad se statim mitti postulat. Scripta videtur e castris Pompeii, cum esset in Græcia, Cæsare II. & Servilio Coss.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D.

NEc sæpe est, cui litteras demus, nec rem habemus ullam, quam scribere velimus. Ex tuis litteris, quas proxime accepi, cognovi, prædium nullum venire potuisse. Quare videatis velim, quomodo satisfiat ei, cui scitis me satisfieri velle. Quod nostra tibi gratias agit, id ego non miror

EPISTOLA VI.

NEc sæpe est) Noluisse intelligi a quo scripta epistola esset, si forte in alienas manus venisset, multis modis cognosci potest: de hoc olim accurate disseruimus, titulumque ipsius inventum in optimis libris notum esse voluimus. Quod nunc etiam observatur ab iis, qui ad eos scribunt, quibus periculum crearent, si litteras ad eos mitti, & eos rescribere intelligeretur. Tempus, quo scripta sit, non affirmarim: arbitror cum in castris Pompeianis esset, vel paullo antequam ex Italia discederet, ad Pompeium navigans. Quod agit de pecunia, & prædiorum venditione, tradit Plutarchus iratum fuisse Terentiæ Ciceronem, quod belli tempore commoda illius neglexisset, neque ei suppeditasset, quæ ad consilium iterque illud necessaria erant, ut ex Italia discesserit in magnis angustiis exsiliens, ac pene sine viatico. VICTOR.

Satisfiat ei) Creditori; nam *satisfacere* de nummis etiam dicitur, cum ad omnia illa pertineat, quibus alteri, quæ vult, & quæ debemus (ut epist. 7.) exhibemus. CORT.

Quod nostra tibi gratias agit) Vide*n*dus accuratius locus obscurus: nihil sane a recepta discrepat antiqua lectio, ut mendum difficilius inesse credi possit. Quam tamen intelligat *nostram* non plane perspicio, nisi Tulliam significet, quod puto. De rebus autem domesticis, cum uxore, suisque loquens, non mirum est rem tantum indicasse, quod etiam supra facit, cum dicit, *quomodo satisfiat ei*: nec tamen nomen ponit, cui satisfieri cupiebat. Nam, quod *videatis* & *scitis* scripsimus, quod vulgati libri unitatis numero habebant, antiquos codices secuti sumus, qui etiam hanc lectionem confirmant titulo epistolæ; sic enim est in illis hujus epistolæ inscriptio, *suis S. D.* Vt pene peccasse mihi videar, quod ab illis etiam hac parte discesserim; nam dubiis temporibus scripta epistola videtur voluisse, si in alienas manus incidisset, a nullo cujus, & ad quos scripta esset, quibusque de rebus ageret, intelligi posse, ideoque non aperte, ut solet, scribit. Cum tamen ad suos scribat, qui & manum ejus agnoscerent, & res quas innueret, optime callerent, non necesse fuit apertius scribi. IDEM. *Quod nostra*

Cic. Op. T. XVII. Epist. Fam. T. IV. H

miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. Pollicem, si adhuc non est profectus, quam primum fac extrudas. Cura, ut valeas. Idibus Quintil.

EPISTOLA VII.

ARGUMENTUM.

Quæ sibi fuerit molestiarum & sollicitudinum causa, quo modo liberatus sit, exponit: scribit de sua ad Pompeium profectione: hortatur eam & monet, ut forti animo sit, bene de rep. speret, valetudinem curet, militum injuriam vitet, Arpinati fundo utatur. Anno primo civilis belli, Lentulo & Marcello Coss.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

OMnes molestias & sollicitudines, quibus & te miserrimam habui, id quod mihi molestissimum est, & Tulliolam, quæ nobis nostra vita dulcior est, deposui & ejeci. Quid causæ autem fuerit, postridie intellexi, quam a vobis discessi. χολην ακρατον noctu ejeci; statim ita sum levatus,

stra gratias agit) In vetere libro est: *Quod Tullia nostra tibi gratias agit*. URSINUS.

Pollicem) Servum a pedibus. CONRADUS.

EPISTOLA VII.

O*Mnes molestias*) Manifesto scripta epistola, cum jam navim conscendisset, in Pompeiana castra navigans. Tres pusillæ, quæ sequuntur epistolæ nulla certa indicia habent, quibus temporibus scriptæ sint: arbitramur tamen, cum Brundusii esset, Ciceronem eas scripsisse. In prima agit de Cæsaris litteris, de quibus etiam ad Atticum scribens illis verbis (nisi fallimur) agit: *Non meo vitio fit hoc quidem tempore (ante enim est peccatum) ut me ista epistola nihil consoletur*. Et in Oratione pro Q. Ligario: *Qui ad me ex Ægypto litteras misit, ut essem idem, qui fuissem*. Quamvis penultima hujus libri epistola agat de Cæsaris litteris sibi redditis, & non antea Romam allatis: quas sane esse credimus illas, quas in Oratione pro Ligario intellexit, ut eæ fortasse, de quibus Terentia & Atticus scripserant, diversæ ab illis fuerint: nam multis modis priores has Cicero suspectas habebat, & a Cæsare non esse judicabat; de illis autem, quas accepit ipse, vereri non videtur, ne fictæ sint. In secunda, de valetudine Tulliæ, de qua etiam ad Atticum: *Tullia mea morbus & imbecillitas corporis me exanimat*. In tertia jubet Terentiam cum Attico loqui; ab eo enim intellecturam esse, quid fieri velit. Scribebat autem de omnibus rebus ad Pomponium, ut cognosci potest ex epistolis, quæ sunt in XI. lib. ad Atticum ipsum missis. VICTOR.

Χολην ακρατον) Alciphron etiam χολην ακρατον appellat in epistola Callipidis ad Cnemonem his verbis: Εσαι

tus, ut mihi deus aliquis medicinam fecisse videatur. Cui quidem tu deo, quemadmodum soles, pie & caste satisfacias, id est, Apollini, & Æsculapio. Navem spero nos valde bonam habere, in eam simul atque conscendi, hæc scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiares multas epistolas, quibus te, & Tulliolam nostram diligentissime commendabo. Cohortarer vos, quod animo fortiore essetis; nisi vos fortiores cognossem, quam quemquam virum. Et tamen ejusmodi spero negotia esse, ut & vos istic commodissime sperem esse, & me aliquando cum similibus nostri rempub. defensuros. Tu primum valetudinem tuam velim cures; dein-

Εςαι δε σοι ὁ αυτος ουτος Θεος και Παιων, και απολυσει σε της ακρατου χολης, οινῳ σβεσας το σου θυμου υπεκκαυμα. Erit autem tibi idem ipse Deus & Pæon, & solvet te mera bili, vino restinguens animi ardorem. Hortatur autem, ut tristitiam acerbitatemque animi deponat; quod pulcre faciet, si ludos Bacchi celebrans, Dei illius muneribus usus *meram bilem* discusserit; fuit autem Cnemon non minus quam Timon ille Atheniensis, humani generis osor, ut ambo appellati sint *μισανθρωποι*. Aristoteles etiam III. Meteoron Irin *ακρατον* appellat: quam tamen cur appellarit *ακρατον*, dubitat interpres ille, qui nunc Alexander Aphrodisizus fuisse creditur; sunt autem hæc ejus verba: Σημειον παραγιγνεται, ὁταν η νεφος μελαν σφοδρα, τοτε μαλιστα ακρατον γινεσθαι ιριν, τουτεστι μη παρεμφαινουσαν αλλο τι χρωμα, αλλ' επι των τριων μενουσαν. *Signum ostenditur, cum sit nubes valde obscura, tunc maxime meram fieri Iridem, idest non preferentem alium aliquem colorem, sed ex tribus constantem.* Et paullo post: *Δυναται δε ακρατον ιριν λεγειν την μαλιστα εχουσαν τρανα και διηκριβωμενα τα προειρημενα χρωματα. Potest autem ακρατον iridem appellare, maxime quæ habeat splendidos & lucidos prædictos colores.* Quæ tamen diversæ expositiones in unam redeunt; necesse est enim ut quæ nullis aliis coloribus permixta sit, sed suos tantum & proprios meros, purosque habet, clariores eos, apertioresque habeat, & magis expressos; sed hoc quidem notavimus, ut videant omnes, quam proprie & eleganter Græco sermone utatur Cicero. IDEM.

Deus aliquis) Ad rem insperatam indicandum; quicumque ille Deus fuerit; quem tamen mox pro Apolline & Æsculapio, aut ab illis submisso habet. CORT.

Medicinam fecisse) Sanasse, Phædr. I. Fab. VIII. v. 9. *Periculosam fecit medicinam lupo*: ubi vide Rittershus. Praschium, & Schefferum. IDEM.

Id est, Apollini & Æsculapio) Hæc verba delenda curavi, ut aliena, quod & Paullo Manutio antea visum erat: quamquam delere non est ausus. LAMBIN. Ejecerunt ut glossam ista verba, *id est, Apollini &c.* emendatores: non debuissent; exstant illa tum in editionibus antiquissimis, tum in nostris omnibus MSis: præterea Guilielmianis quinque: paullo post, Pall. Vaticanus, Hictorpianus, Medic. leg. *Et me aliquando cum similibus nostri remp. defensuros*: vulgo *defensurum*. GEBHARD. *Apollo* antiquissimus medicorum, adeo ut a medendi arte nomen habuisse quidam censuerint, cujus filius Æsculapius. Vide quæ late disputat Cellarius Dissert. de Antiquit. Medic. c. 1. & 2. CORT.

In eam simul atque conscendi) Mentel. *in eam simul conscendi*: quod non puto a librariis esse; nam *simul* pro *simul ac* poni apud Ciceronem, Livium, Horatium, Phædrum vel tironibus notum est. GRAV.

deinde, tibi si videbitur, villis iis utere, quæ longissime aberunt a militibus. Fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, si annona carior fuerit. Cicero bellissimus tibi salutem plurimam dicit; etiam atque etiam vale. D. III. Idus Iunii.

EPISTOLA VIII.

ARGUMENTUM.

Rogat uxorem, ut valetudinem curet: laudat ejus diligentiam: eaque ut deinceps utatur, mandat. Anno secundo civilis belli, Cæsare II. Servilio Coss. ante Pharsalicam pugnam.

M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

SI vales, bene est: ego valeo. Valetudinem tuam velim cures diligentissime. Nam mihi & scriptum, & nunciatum est, te in febrim subito incidisse. Quod celeriter me fecisti de Cæsaris litteris certiorem, fecisti mihi gratum. Item posthac, si quid opus erit, si quid acciderit novi, facies ut sciam. Cura, ut valeas. Vale. D. IV. Nonas Iunias.

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

Dolorem suum, ex Dolabellæ generi Tulliæque valetudine susceptum, significat. Eodem anno, post Pharsalicam pugnam, cum in Italiam rediisset.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

AD ceteras meas miserias accessit dolor & e Dolabellæ valetudine, & e Tulliæ. Omnino de omnibus rebus nec

EPISTOLA IX.

A*ccessit dolor e Dolabellæ valetudine, & Tulliæ*) Plerique MSi Amstelod. Pal. prim. Stewech. Mentel. meus sec. *Accessit dolor & Dolabellæ valetudine & Tulliæ*. Hittorp. *Accessit dolor & de*

nec quid consilii capiam, nec quid faciam scio. Tu velim tuam, & Tulliæ valetudinem cures. Vale.

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

Mandat, ut cum Attico loquatur, litterasque mittat: tertio belli civilis anno, Cæsare dictatore II. nondum creatis consulibus, qui extremo anno, ut ait Dio, facti sunt, Q. Fusius Calenus, P. Vatinius.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D.

QVod fieri placeret, scripsi ad Pomponium serius, quam oportuit. Cum eo si locuta eris, intelliges, quid fieri velim. Apertius scribi, cum ad illum scripseram, necesse non fuit. De ea re, & de ceteris rebus quam primum velim nobis litteras mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Septimo Idus Quintil.

EPISTOLA XI.

ARGVMENTVM.

Tulliam ad se venisse dicit; sibi autem in animo esse Ciceronem filium ad Cæsarem mittere. Eodem anno.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D.

SI vales, bene est, valeo. Tullia nostra venit ad me pridie Idus Iunii: cujus summa virtute, & singulari huma-

de Dolabella (sic & Pal. sex.) *& de Tulliæ*; lege: *accessit dolor & e Dolabellæ valetudine, & e Tulliæ*. GRÆV. *Et e Dol. val.* Illud *&* addidit Grævius ex MSis, quod auribus valde blanditur. Antea erat, ut ediderat etiam Victorius: *Dolor ex Dol. val. & Tulliæ*. CORR.

EPISTOLA XI.

T*Vllia nostra venit ad me*) Post victoriam Cæsaris in Pharsalia scripta, cum discessisset a Pompeianis, & Brundusii esset: quod multis conjecturis intelligi potest: & quantum ego suspicor, post illam, quæ sequitur, data; ea enim scripta esse vide

humanitate, graviore etiam ſum dolore affectus, noſtra factum eſſe negligentia, ut longe alia in fortuna eſſet, atque ejus pietas ac dignitas poſtulabat. Nobis erat in animo Ciceronem ad Cæſarem mittere, & cum eo Cn. Salluſtium. Si profectus erit, faciam te certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XVII. Kalendas Quintil.

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

Metuere ſe ait ne in Italiam, victo in Pharſalia Pompeio, temere venerit: monet uxorem ne ad ipſum eat. Anno ſecundo belli civilis, Cæſare II. *& Servilio Coſs.*

M. T. C. SERVILIO S. P. D.

QVod nos in Italiam ſalvos veniſſe gaudes, perpetuo gaudeas velim. Sed perturbati dolore animi, magniſque injuriis, metuo ne id conſilii ceperimus, quod non facile explicare poſsimus. Quare, quantum potes, adjuva. Quid autem poſsis, mihi in mentem non venit. In viam quod te des hoc tempore, nihil eſt; & longum eſt iter, & non tutum: & non video, quid prodeſſe poſsis, ſi veneris. Vale. D. prid. Nonas Novemb. Brunduſio.

EPI-

videtur, cum paucos dies in Italia fuiſſet: gratulata enim erat illi Terentia de reditu in Italiam, & ſalute ipſius e tot tantiſque periculis. Cui illa epiſtola Cicero reſpondit. Tulliam ad eum, cum Brunduſii eſſet, veniſſe, multi auctores tradunt, & ipſe quoque oſtendit: quod cauſa inimicitiarum ac divortii illi cum uxore fuit: neque enim viaticum ei dedit, neque comites præbuit, quos ætas illius, ac dignitas patris poſcere videbatur. Omne autem illud tempus Cicero ibi manſit, quod in Alexandria & Aſia Cæſar conſumſit, quod longum fuiſſe ex hiſtoria illarum rerum intelligitur, & a Plutarcho etiam aperte narratur. VICTOR.

Ad Cæſarem mittere) Vt ſupplex ejus nobis reconciliatet gratiam FABC.

EPISTOLA XII.

QVod non facile explicare poſſimus) *Explicare*, vulgo dicitur pro in *effectum deducere*. Cæſar I. Civil. c. 78. Vide quæ ibi Cl. Daviſius, qui ſimul hunc Ciceronis locum laudavit. Supra IX. ep. 25. ubi quædam alia contuli. CORT.

EPISTOLA XIII.

ARGVMENTVM.

Permittit uxori, ut de nuncio remittendo consilium capiat ex tempore. Anno tertio civilis belli, Cæsare dictatore iterum, nondum creatis consulibus.

M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

QVod scripsi ad te proximis litteris de nuncio remittendo, quæ sit istius vis hoc tempore, & quæ concitatio multitudinis, ignoro. Si metuendus iratus est, quies tamen ab illo fortasse nascetur. Totum judicabis quale sit: &, quod in miserrimis rebus minime miserum putabis, id facies. Vale. VI. Idus Quintil.

EPI-

EPISTOLA XIII.

QVod *scripsi ad te de nuncio remittendo*) Incertum tempus, quo scripta sit, & sane nonnullis locis obscurior epistola: quamvis suspicer, cum Brundusii esset; nam in epistola quadam ad Atticum, de quo hic etiam agit, inquit: *Placet mihi igitur, & idem etiam tibi nuncium remitti*: non tamen affirmarim idem negotium in hac, & in illa tractari. VICTOR. *De nuncio remittendo*) Divortio faciendo inter Tulliam, & Dolabellam, II. Attic. 20. & 23. Io. FR. GRON.

Quæ sit istius vis hoc tempore) Quantum possit, & valeat cum maxime Dolabella. IDEM.

Quæ concitatio multitudinis) Cum legem ferret de tabulis novis, & mercedibus ædium. Dio lib. XLII. IDEM.

Si metuendus iratus est, quies tamen ab illo fortasse nascetur) Secutus sum cod. vulgatos, quibuscum consentiunt nonnulli Memmiani. P. Victorius, secutus suum illum codicem antiquissimum, edidit, *quiesces tamen, &c.* cujus sui facti nullam præterea rationem affert. Ego scripturam illam plane mendosam esse puto: & tres illas litteras postremas *ces*, ex adnotatione natas suspicor, cum aliquis adscripsisset e regione horum verborum, *si metuendus iratus est ces.* seu *cæs.* id est, Cæsar: quod postea translatum a librario est in contextum verborum Ciceronis, & adjunctum nomini *quies*: quæ mea suspicio si cui forte non videbitur probabilis, videat, num dici possit, has litteras, *ces.* esse & transpositas & corruptas, & sic debere scribi, *scil.* vel *sc.* tantum: ut hoc totum ita sit legendum, *quies, scil.* id est, scilicet: ego tamen priorem meam conjecturam veriorem existimo. LAMBIN. *Quies tamen &c.*) In manuscripto est, *quæque tamen ab illo fortuna nascetur*. VRSINVS. Merito de obscuritate loci hujus questi sunt homines eruditi. Hittorp. *Sed metuendus iratus est, quiesce tamen fortasse ab illo nascetur*. Pal. sext. *Quiesces tamen ab illo: fortasse nascetur totum, judicabis quale sit*: legendum: *Sed metuendus iratus est; quiesce tamen. Ab illo forte nascetur*: scilicet divortii causa, & Dolabellam intelligit. GVILIELMIVS. I. Fr. Gronovius existimat non repudiandum esse, quod in uno libro invenit Manutius, *quiesces*, quod tamen exstat quoque in Palatino sexto, & Hittorpiano, una tantum littera omissa. Itaque censeo legendum esse, *si metuendus iratus est, quiesces*: hoc sen-

EPISTOLA XIV.

Argumentum.

Initio belli civilis, cum Cæsar amnem Rubiconem transisset, ejusque adventus metueretur, Pompeius & consules urbem reliquerunt: cum hic esset rerum status, Cicero de uxore & filia sollicitus, monet eas, ut cum amicis considerent, utrum Cæsaris adventum in urbe exspectent, an ante discedant. Addit de Labieno ad Pompeii partes adjuncto, de Pisone a Cæsaris generi sui causa dissidente. Anno primo civilis belli, Lentulo & Marcello Coss.

TULLIUS TERENTIÆ, ET PATER TULLIOLÆ, DUABUS ANIMIS SUIS; ET CICERO MATRI OPTIMÆ, SUAVISS. SORORI S. P. D.

SI vos valetis, nos valemus. Vestrum jam consilium est, non solum meum; quid sit vobis faciendum. Si ille Romam modeste venturus est, recte in præsentia domi esse potestis; sin homo amens diripiendam urbem daturus est, vereor, ut Dolabella ipse satis nobis prodesse possit. Etiam illud metuo, ne jam intercludamur, ut, cum velitis exire, non liceat. Reliquum est, quod ipsæ optime considerabitis, vestri similes feminæ sint ne Romæ. Si enim non sunt, videndum est, ut honeste vos esse possitis. Quomodo quidem nunc

sensu, si putes nobis metuendum fore Dolabellam irritatum divortio, melius non remitti nuncium. Dein breviter subjici: *tamen ab illo fortasse nascetur*, scilicet causa divortii. Ille luxuriosus & perditus uxoris longe diversis moribus offensus nuncium illi remittet. Acute hercule & vere. Græv. *Quies tamen*) Manutius ait in uno Libro inventum, *quiesces*. Forte, *si metuendus iratus, quiesces*. Si putes nobis metuendum fore Dolabellam irritatum divortio, melius non remitti nuncium. Dein breviter, *Tamen ab illo fortasse nascetur*, scilicet causa divortii. Ipse luxuriosus, & perditus offensus moribus longe diversis uxoris nuncium illi remittet. Io. Fr. Gron. Hactenus Io. Fr. Gronovius. Videtur enim propius ad veri speciem accedere, quam Manutius, ceterique interpretes, qui omnia hæc de nuncio Terentiæ ipsi remittendo dicta volunt. Oliv.

EPISTOLA XIV.

Vestrum jam consilium est) Importune in hunc locum inculcata hæc epistola est. Quis enim non videt illam scriptam initio belli civilis inter Pompeium & Cæsarem? Victor.

Si ille) Cæsar. Corr. d.

Verendum est ut honeste) Sic est legendum, libris omnibus invitis. Hoc enim significat, si aliæ matronæ nobiles

nunc ſe res habet, modo ut hæc vobis loca tenere liceat, bellisſime vel mecum, vel in noſtris prædiis eſſe poteritis. Etiam illud verendum eſt, ne brevi tempore fames in urbe ſit.. His de rebus velim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus vobis videbitur, conſideretis: ad ſummam, animo forti ſitis. Labienus rem meliorem fecit. Adjuvat etiam Piſo, quod ab urbe diſcedit, & ſceleris condemnat generum ſuum. Vos meæ cariſsimæ animæ, quam ſæpiſsime ad me ſcribite., & vos quid agatis, & quid iſtic agatur. Quintus pater, & filius, & Rufus vobis ſalutem dicunt. Valete. VIII. Kalend. Quintil. Menturnis.

EPISTOLA XV.

ARGVMENTVM.

Conſilii ſui de mittendo ad Cæſarem Cicerone filio mutationem ſignificat. Anno tertio civilis belli, Cæſare dictatore iterum, nondum creatis conſulibus.

M. T.

biles & honoratæ non ſunt Romæ, vix Terentiam & Tulliam honeſte eſſe poſſe. Sic autem loquitur, *verendum eſt ut vos honeſte eſſe poſſitis*. Id eſt, verendum eſt ne non poſſitis eſſe honeſte. Confirmat meam conjecturam verbum *verendum*, quod mox iteratur, quaſi jam ſemel ante poſitum, *etiam illud verendum eſt*, &c. LAMBIN. Sed recte codicum omnium ſcripturam defendit Manutius, quem vide. GRÆV. *Videndum eſt, ut*. Lambinus infeliciter, ut fere ſemper, *verendum eſt, ut*. Sed ipſi verbo *videre* ea vis dubitandi inſita eſt, ut jam obſervavit Manutius. Sic XVI. ep. 26. Sic I. de Offic. c. 9. ubi ſimiliter Lambinus, reclamantibus omnibus libris, *verendum* ſubſtituit. Sed vide ibi Fr. Fabricium, & Io.Ge.Grævium. CORT.

Quomodo quidem nunc ſe res habet) *Quimodoque* eſt in vetere libro manuſcripto, & ita opinor legendum: al. *quomodo.umque*. VRSIN.

Hæc loca) Campaniæ, ep. 16. lib. II. CORRAD.

Labienus) T. Labienus, qui relicto Cæſare, cujus legatus erat, ad Pompeium ſe contulit, epiſt. 11. lib. XVI. IDEM.

Rem meliorem fecit) Eam Cæſarianæ præponens: quin multo etiam plus animi Pompeio attulit. IDEM.

Piſo) L. Piſo Cæſaris ſocer. IDEM.

Rufus) Fortaſſe epiſt. 20. lib. V. IDEM.

Menturnis) Sic in MSis ſcribitur. Aliter *Minturnæ*. Oppidum Auruncorum paullum ſupra Liris fluvii oſtia in Latio, cujus tantum rudera ſuperſunt. GRÆV.

EPI-

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D.

SI vales, bene eſt. Conſtitueramus, ut ad te antea ſcripſeram, obviam Ciceronem Cæſari mittere: ſed mutavimus conſilium, quia de illius adventu nihil audiebamus. De ceteris rebus, etſi nihil erat novi, tamen quid velimus, & quid hoc tempore putemus opus eſſe, ex Sicca poteris cognoſcere. Tulliam adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale XII. Kalendas Quintil.

EPISTOLA XVI.

ARGVMENTVM.

De litteris, de Volumnia, de ſuo dolore. Anno tertio civilis belli, Cæſare dictatore iterum, ſine conſulibus.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D.

SI vales, bene eſt, valeo. Etſi ejuſmodi tempora noſtra ſunt, ut nihil habeam, quod aut a te litterarum exſpectem, aut ipſe ad te ſcribam: tamen neſcio quomodo & ipſe veſtras litteras exſpecto, & ſcribo ad vos, cum habeo, qui ferat. Volumnia debuit in te officioſior eſſe quam fuit,

EPISTOLA XV.

CONſtitueramus) Hæc poſt pugnam Pharſalicam ſcripta eſt cum Brunduſii eſſet, quod ſignificatur primis verbis; dixerat enim antea: *Nobis erat in animo Ciceronem ad Cæſarem mittere*. Præterea quod inquit, *Tulliam adhuc mecum teneo*. VICTOR.

EPISTOLA XVI.

ETſi *ejuſmodi tempora*) Non poſſum facile conſtituere quo tempore hæc epiſtola ſcripta ſit, utrum ne poſt victoriam Cæſaris cum Brunduſii ſederet, an multo tempore antea cum exſularet. Verba illa *ut ii voluerunt, qui me de mea ſententia detruſerunt*, aperire videntur tempus quo ſcripta ſit: nam aliis in locis reprehendit conſilium ſuum, qui iis paruerit, qui in vita eum retinere voluerunt, cum ipſe ſibi manus afferre cogitaret, poſtquam patria pulſus eſt. Quamvis accommodari etiam poſſint tempori, quod Brunduſii manſit, ut ſcil. queratur de illis, qui invitum eum coegerunt partes Pompeianas relinquere: docet enim ſe ſupra magnis injuriis compulſum id conſilium cepiſſe, quod non facile explicari poſſet. In epiſt. ad Attic. inquit: *Quæ me cauſæ moverint, quam acerbæ, quam graves, quam novæ*, & quæ ſequuntur, ut hoc verius eſſe putem. VICTOR.

Quod aut a te litterarum) Eleganter hæc inter ſe implicata ſunt: *Quod ad te ſcribam, quod litterarum a te exſpectem*. Sic fere XIII. ep. 73. CORT.

Detru-

fuit, & id ipsum, quod fecit, potuit diligentius facere & cautius:. quamquam alia sunt, quæ magis curemus, magisque doleamus. Quæ me ita conficiunt, ut ii voluerunt, qui me de mea sententia detruserunt. Cura, ut valeas. Pridie Kalend. Ianuar.

EPISTOLA XVII.

ARGVMENTVM.

Materiam scribendi sibi deesse dicit: suum dolorem ex Lepta & Trebatii sermone posse cognosci. Terentiam curare & suam & Tulliæ valetudinem jubet. Scripta videtur ante superiorem, Decembri mense, cum Cicero Brundusii esset: nam quod hic de Lepta, & Trebatio scribitur, idem epist. 8. ad Attic. lib. XI. Quantis curis afficiar, cognosces ex Lepta & Trebatio.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. D.

S. V. B. E. V. Si quid haberem, quod ad te scriberem, facerem id & pluribus verbis & sæpius. Nunc, quæ sunt negotia, vides. Ego autem quomodo sim affectus, ex Lepta & Trebatio poteris cognoscere. Tu fac ut tuam, & Tulliæ valetudinem cures. Vale.

EPISTOLA XVIII.

ARGVMENTVM.

Vxoris & filiæ consilio permittit, quid faciant, Romæ ne sint in adventu Cæsaris, an cum ipso in aliquo tuto loco. Anno primo civilis belli, Lentulo & Marcello Coss.

TVL-

Detruserunt) Qui auctores mihi fuerunt, ut ante diem, non arcerssitus a Cæsare, in Italiam venerim: sup. epist. 12. lib. II. ad Attic. epist. 7. FVLC.

EPISTOLA XVII.

Si quid haberem) Constat scriptam fuisse, cum Brundusii esset; nam ad Atticum nunc etiam scribens, inquit: *Quantis curis afficiar etsi profecto vides, tamen cognosces ex Lepta & Trebatio*. VICTOR.

Quæ sunt negotia) Morandum sibi esse Brundusii, quoad Cæsaris gratia liceret Romam reverti. FVLC.

Eor-

TVLLIVS TERENTIÆ SVÆ, ET PATER SVAVISS. FILIÆ TVLLIOLÆ, CICERO MATRI, ET SORORI, S. P. D.

COnſiderandum vobis etiam atque etiam, animæ meæ, diligenter puto, quid faciatis: Romæ ne ſitis, an mecum in aliquo tuto loco. Id non ſolum meum conſilium eſt, ſed etiam veſtrum. Mihi veniunt in mentem hæc: Romæ vos eſſe tuto poſſe per Dolabellam, eamque rem poſſe nobis adjumento eſſe, ſi quæ vis, aut ſi quæ rapinæ fieri cœperint. Sed rurſus illud me movet, quod video omnes bonos abeſſe Roma, & eos mulieres ſuas ſecum habere. Hæc autem regio, in qua ego ſum, noſtrorum eſt cum oppidorum, tum etiam prædiorum: ut & multum eſſe mecum, & cum abieritis commode & in noſtris eſſe poſſitis. Mihi plane non ſatis conſtat adhuc, utrum ſit melius. Vos videte, quid aliæ faciant iſto loco feminæ, & ne, cum velitis, exire non liceat; id velim diligenter etiam atque etiam vobiſcum & cum amicis conſideretis. Domus ut propugnacula & præſidium habeat, Philotimo dicetis. Et velim tabellarios inſtituatis certos, ut quotidie aliquas a vobis litteras accipiam. Maxime autem date operam, ut valeatis, ſi nos vultis valere. IX. KL. Formiis.

EPI-

EPISTOLA XVIII.

COnſiderandum vobis) Scripta initio belli civilis; quare & ipſa huc importune inculcata. Vnum admonere volo, inſcriptiones harum epiſtolarum, quæ & elegantiſſimæ ſunt, & amoris ac ſuavitatis pleniſſimæ, quales in meo libro ſunt, tales in Medicæo inveniri: id enim ſumma diligentia cuſtodivimus. Idem etiam in epiſtolis, quæ ad Tironem ſcriptæ ſunt, obſervavimus; nam illarum quoque inſcriptiones, & ſuaviſſimæ & ardentiſſimæ ſunt VICTOR. Hæ inſcriptiones quoque ſic leguntur in Amſtelodamenſi libro. GRAV.

Romæ ne ſitis, an mecum) Codex Vaticanus, & Ed. Victorii *aut mecum*, quod *aut* Cl. Bengelius non pro *an*, ſed ſua vi accipit, & ellipſin ſtatuit alterius membri: *nec ne*. CORT.

Hæc autem regio) Campania. CORRADVS.

Noſtrorum eſt cum oppidorum) Imperio: quoniam huic regioni ſumus præfecti. IDEM.

Cum abieritis) A me. IDEM.

Iſto loco feminæ) Iſto ſtatu, genere & conditione. Sall. Cat. cap. 23. *natus haud obſcuro loco*. Lactant. de Mort. perſec. c. 39 Terent. Eunuch. A. II. Sc. II. *Mei loci atque ordinis homo*. Hinc *locus* de muneribus in rep. dictus, de quo vide Caſaub. ad Sueton. Aug. c. 54. & poſt eum Cl Burmann. ad Quinctil. VI. c 3. Confer etiam ſupra III. ep. 6. CORT.

Philotimo) Liberto CORRAD.

Formiis) *Formiæ* municipium Latii in Auruncis, hodie *Mole*. GRAV.

EPI-

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

Dolorem suum ex filiæ valetudine, & difficultatem propius accedendi significat. Secundo belli civilis anno, Cæsare II. Servilio Coss. post Pharsalicam pugnam. Brundusii.

M. T. C. TERENTIÆ S. D.

IN maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliæ nostræ; de qua nihil est quod ad te plura scribam: tibi enim æque magnæ curæ esse certo scio. Quod me propius vultis accedere, video ita esse faciendum; etiam ante fecissem: sed me multa impedierunt, quæ ne nunc quidem expedita sunt. Sed a Pomponio exspecto litteras, quas ad me quam primum perferendas cures velim. Da operam, ut valeas.

EPISTOLA XX.

ARGVMENTVM.

Cum a Cæsare satis liberales litteras accepisset, de quibus epist. ult. fit mentio, propius accedere non dubitavit. Mandat igitur uxori, ut in Tusculano curet parata esse omnia, quæ sint ad victum & ad valetudinem necessaria: cum præsertim eo cum amicis aliquot iturum se putet. Anno tertio civilis belli, Cæsare dictatore iterum, nondum creatis consulibus.

M. T.

EPISTOLA XIX.

IN *maximis meis doloribus*) Scripta, ut arbitror, cum Brundusii esset, post devictum Pompeium; id mihi significant verba illa: *Quod me propius vultis accedere*. Nam ad Attic. etiam scribens, eodem tempore, inquit: *Quod scribis placere, ut propius accedam*: in hac etiam epistola narrat se exspectare a Pomponio litteras; quid enim de hac re ille sentiret, scire volebat. VICTOR.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D.

In Tusculanum nos venturos putamus aut Nonis, aut postridie: ibi ut sint omnia parata. Plures enim fortasse nobiscum erunt, &, ut arbitror, diutius ibi commorabimur. Labrum si in balneo non est, ut sit: item cetera quæ sunt ad victum & ad valetudinem necessaria. Vale. Kal. Octobr. de Venusino.

EPISTOLA XXI.

ARGVMENTVM.

Hanc epistolam opinor scriptam esse anno primo civilis belli, Lentulo & Marcello Coss. ante quam Cicero in Greciam navigaret; cum tamen, ut mihi videtur, navigationem cogitaret; quod ex iis verbis conjicio: Quod opus erit, ut res tempusque postulat, provideas atque administres; *nam illud:* Ad me de omnibus rebus quam sæpissime litteras mittas, *certe indicat eum esse in Italia.*

M. T.

EPISTOLA XX.

In Tusculanum nos venturos) Hæc quoque non servato ordine hic collocata est, tempus etiam incertum, quo scripta sit; fortasse cum e provincia rediit: potuit etiam cum ad urbem appropinquaret, post reditum Cæsaris in Italiam; nam non ante Brundusio discessit, quam illum bello Alexandrino confecto, & Pharnace superato, victorem Tarentum navibus appulisse audivit. De duabus quæ sequuntur, nihil certi tradi potest, suspicor tamen scriptas esse a Cicerone, cum Brundusii maneret. Victor.

Fac ut sint) Et paullo post, *fac, ut sit*. Ita regii: vulgati utroque loco omittunt verbum *fac*, quod videtur non posse subintelligi. Lall.

Labrum si in balneo). Alveus, seu genus Vasis, inter varios usus, ut *fictis*. Columella XI. c. 15. *oleo*, Ibid. c. 50. etiam *balneis* destinatum. Plinius V. epist. 6. De usu ejus in balneis Vitruvius V. de Archit. c. 10. Cort.

De Venusio) Mediceus codex *de Vensino*: nos *de Venusino* scripsimus, unius litteræ defectum illum habere arbitrati. Petrarchæ sane liber *de Venusino* habet; nam *de Venusio* nullo pacto probamus. *Venusia* enim hæc urbs appellatur, non Venusium neutro genere. Preterea non adposuisset præpositionem civitati, ut supra, *Dat. prid. Non. Novemb. Brundusio*: & aliis infinitis locis. Quod autem in hac ipsa parvula epistola bis delevimus *fac*, tribuimus id & antiquorum codicum auctoritati, & familiaris sermonis consuetudini. Sæpe enim hujusmodi voces elegantius desiderantur: nam & facile intelligi possunt, & brevitatem sermonis adjuvant. Quam autem sæpe sic Cicero, & comici maxime loquantur, quia crebra sunt exempla, non longior ero id ostendendo. Victor.

Epi-

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D.

SI vales, bene est, valeo. Da operam ut convalescas; quod opus erit, ut res tempusque postulat, provideas atque administres: & ad me de omnibus rebus quam sæpissime litteras mittas. Vale.

EPISTOLA XXII.

ARGVMENTVM.

Scripta videtur post pugnam Pharsalicam, anno tertio civilis belli, cum Cicero, acceptis a Cæsare, ex Ægypto in Italiam redeunte, litteris iis, quæ nominantur ep. ult. incertus consilii esset, utrum ei obviam procederet, an eum Brundusii exspectaret.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D.

SI vales, bene est, valeo. Nos quotidie tabellarios nostros exspectamus: qui si venerint, fortasse erimus certiores, quid nobis faciendum sit: faciemusque te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Kalendis Septembrib.

EPI-

EPISTOLA XXI.

VT *convalescas*) Nam hoc curandum ante omnia est, ut mens sana sit in corpore sano. FVNG.

EPISTOLA XXII.

NOs *quotidie tabellarios nostros exspectamus*) Non *vestros* ut vulgo, ex Pall, Vaticano, Hittorpiano; addit Guilielmius; id est, *familiares quos tu instituisti nobis*: præterea idem ille codex, sicut & Palatinus sextus, *Nos tota die tabell.* sicut Plautus Sticho: *Vnus servulus tota die in portu est*. GEBHARD.

Faciendum sit) Rem illustrat sequens epistola, XX. dies ante hanc scripta, qua significarat, acceptis a Cæsare liberalibus litteris, nondum constituisse, num illi procedat obviam, an eum Brundusii exspectet. CORT.

EPISTOLA XXIII.

ARGVMENTVM.

Hæc biduo ante eam, quæ sequitur, scripta est: quod adscripta utrique dies indicat: & in hac Cæsaris litteras exspectat, in illa se accepisse demonstrat.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D.

SI vales, bene est; valeo. Redditæ mihi tandem sunt a Cæsare litteræ satis liberales: & ipse opinione celerius venturus esse dicitur. Cui utrum obviam procedam, an hic eum exspectem, cum constituero, faciam te certiorem. Tabellarios mihi velim quam primum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. D. Pridie Idus Sex.

EPISTOLA XXIV.

ARGVMENTVM.

Scribit de redditis sibi a Cæsare litteris, de fama ejus adventus, de ancipiti consilio vel obviam procedendi, vel eum exspectandi. Anno tertio civilis belli, Cæsare dictatore iterum, cum Cicero Brundusii adhuc esset.

M. T.

EPISTOLA XXIII.

R*Edditæ mihi jam tandem*) Dubitari non potest, quin hæ litteræ & inferiores post reditum ipsius in Italiam scriptæ sint, relictis partibus Pompeianis, cum jam multum tempus Brundusii mansisset Quod autem se adhuc non statuisse inquit, utrum illi obviam procedat, an illic eum exspectet: quid postea fecit, narrat Plutarch. in vita ipsius: Κατασχων δ' εις Βρεντεσιον, ενταυθα διετριβε, Καισαρα περιμενων βραδυνοντα δια τας εν Ασια και περι Αιγυπτον ασχολιας. επει δε εις Ταραντα καθωρμισμενος απηγγελλετο, και πεζη περιιων εκειθεν εις Βρεντεσιον, ωρμησεν προς αυτον. *Appellens autem Brundusium, ibi commorabatur, Cæsarem exspectans cunctantem propter Asiæ & Ægypti turbas: postea autem Tarentum navi transmisit, & pedibus præcedens illinc Brundusium ad ipsum accurrit.* VICTOR.


Satis liberales) Quia illis Ciceronem in omnibus dignitatibus confirmavit, citata Orat. pro Lig. c. 3. *& hoc liberalitatis est*, ut apparet ex II. Offic. c. 16. CORT.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D.

SI vales, bene est, valeo. Nos neque de Cæsaris adventu, neque de litteris, quas Philotimus habere dicitur, quidquam adhuc certi habemus. Si quid erit certi, faciam te statim certiorem. Valetudinem tuam fac ut cures. Vale. III. Idus Sextiles.

EPISTOLA XXIV.

PHilotimus) De quo ad Atticum sic scribit: *Augustus quidam nunciabat, Philotimum Rhodum v Kal. Iun. venisse, & habere ad me litteras.* CORRADVS.



M. T. CICERONIS EPISTOLARVM AD CONSVLES, ET ALIOS, LIBER QVINTVS DECIMVS.

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

CVm Parthi, duce Pacoro, Orodis regis filio, maximis copiis Euphratem flumen, Romani imperii terminum, transissent; sollicitus Cicero cum de Ciliciensi provincia, quam consulari imperio regebat; tum de reliquis etiam ab inpetu belli non longe remotis, monet consules, prætores, tribunos pl. & senatum, ut majores exercitus ad earum provinciarum præsidium primo quoque tempore mittantur. Hæc epistola, Sulpicio, Marcello Coss. quo anno in provinciam ivit, scripta est: sed collocari debuit post eam quæ sequitur: ea vero post eam, quæ scripta est ad Catonem, hoc initio, Cum ad me legati: *in qua, nihil adhuc se publice de bello Parthico scripsisse, significat.*

M. TVLLIVS M. F. CICERO PROCONSVL S. P. D. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SENATVI.

SI vos V. B. E. E. Q. V. Etsi non dubie mihi nunciabatur, Parthos transisse Euphratem cum omnibus fere suis

ſuis copiis; tamen, quod arbitrabar a M. Bibulo proconſule certiora de his rebus ad vos ſcribi poſſe, ſtatuebam mihi non neceſſe eſſe publice ſcribere ea, quæ de alterius provincia nunciarentur. Poſtea vero quam certiſsimis auctoribus, legatis, nunciis, litteris ſum certior factus: vel quod tanta res erat, vel quod nondum audieramus Bibulum in Syriam veniſſe; vel quia adminiſtratio hujus belli mihi cum Bibulo pæne eſt communis: quæ ad me delata eſſent, ſcribenda ad vos putavi. Regis Antiochi Commageni legati primi mihi nunciarunt, Parthorum magnas copias Euphratem tranſire cœpiſſe. Quo nuncio allato, cum eſſent nonnulli, qui ei regi minorem fidem habendam putarent, ſtatui exſpectandum eſſe, ſi quid certius afferretur. A. d. XIII. Kalendas Octobr. cum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniæ & Cappadociæ mihi litteræ redditæ ſunt a Tar-

EPISTOLA I.

A *M. Bibulo Proconſule*) Syriæ. CORR.

Certiſſimis auctoribus) Quibus denunciantibus credere certo poteram: dum noveram illos, qui nunciabant. Confer XII. ep. 4. CORT.

Regis Antiochi Commageni) Plin. lib. V. cap. 12. CORRAD. *Commagene* Syriæ pars ad Euphratem, & Taurum montem ſita, poſterioribus temporibus *Euphratenſis* dicta, & *Auguſt euphratenſis*, quam Seleucidis, Romani cum Syriam occupaſſent, reliquiſſe videntur: ejus Reges dicti Antiochi Commageni. Iſti, cujus hic Cicero meminit, Lucullus captis Tygranocertis, uxorem captivam reſtituit, & Cn. Pompeius Seleuciam Meſopotamiæ caſtellum donavit. Strab. lib. XVI. Huc bellum intulit Ventidius Antonii legatus, cupiditate ejus pecuniæ incenſus, quam poſſidebat. Sed cum egregie ſe tueretur, clam Antonius cum eo de pace egit, ut honeſte poſſet recedere. Ad quam ſanciendam ei tradidit Antonius Alexandrum interficiendum, qui ad Romanos transfugerat: Dio lib. XLIX. Ejus filius Antiochus Commagenus accuſatus capitis & damnatus eſt, quod legatum fratris, cum quo exercebat inimicitias, Romam miſſum perfide interfecit: Dio lib. LII. Tiberius in provinciæ formam redegit Commagenem, cum mortuus eſſet Antiochus ejus Rex, qui forte filius fuit damnati: Tacit. II. Ann. c. 56. Sed Caligula Seleucidis reſtituit regnum Commagenæ adjectis Ciliciæ maritimis, & quidem Antiocho, Antiochi hujus filio, qui videtur fuiſſe pronepos hujus Antiochi, cujus hic Cicero meminit. Fuit tota vita clarus & vetuſtis opibus ingens, & inſervientium Regum ditiſſimus & feliciſſimus: Tacit. II. Hiſt. cap 81. Tandem fuit ſub Veſpaſiano accuſatus & Lacedæmonem relegatus, & Commagene iterum in provinciæ formam redacta: Ioſephus lib. VII. c. 27. Bell. Iud. Sueton. Veſpaſ. c. 8. RVPERTVS.

Legati primi) Ep. 3. hujus libri. CORR.

In finibus Lycaoniæ & Cappadociæ) Veteres libri Pal. prim. Amſtelod. Stewech. Mentel. meus ſecundus, *in finibus Lycaoniæ e Cappadocia*: ſed vulgata ſcriptura non eſt mutanda. Lycaonum, & Cappadocum fines ſunt Coropaſſus Lycaoniæ pagus, & Gareathyra Cappadociæ oppidulum; inter quæ loca intervallum eſt centum viginti ſtadiorum: Strab. lib. XV. GRAEV.

a Tarcondimoto, qui fidelissimus socius trans Taurum, amicissimusque populi Romani existimatur: Pacorem Orodi, regis Parthorum, filium, cum permagno equitatu Parthico transisse Euphratem, & castra posuisse Tybæ: magnumque tumultum esse in provincia Syria excitatum. Eodem die ab Iamblicho, Phylarcho Arabum, quem homines opinantur bene

Lycaoniæ) Regio Asiæ inter Galatiam, Cappadociam, Pamphyliam, & Ciliciam, cujus caput Iconium. IDEM.

Cappadociæ) Cappadocia Asiæ regio magna inter Armeniam minorem, Ciliciam, Pamphyliam, Galatiam, & Pontum Euxinum, hodie quatuor complectens regiones, *Genech*, *Suas*, *Anadolen*, & *Amasiam*. GRÆV.

Litteræ redditæ sunt a Tarcondimoto) Dion *Tarcondomotum* hunc regulum appellat: nam apud alios auctores aliquantulum hoc nomen librariorum vitio (ut puto) variatum reperias. De clementia Cæsaris loquens Dion lib. XLI. sic argumentatur: *Τεκμεριον δε, ότι Σανδαλυ μεν του Θρακος, και Δηιοταρυ του Γαλατυ, καιτοι και εν τη μαχη γενομενων, Ταρκονδιμοτυ τε εν μερει μεν τινι της Κιλικιας δυναςευοντος, πλειςον δε αυτω προς τα ναυτικα βοηθησαντος, εφεισατο. Argumento autem huic, quod diximus, est: quod Sandalo Thraci & Dejotaro Gallogræco, qui in ipso prælio adfuerant, ac Tarcondimoto, qui Ciliciæ partem sibi subjectam habebat, re autem navali Pompeium plurimum juverat, pepercit*. VICTORIUS. *In posterioribus hæc addit*: Nec a vetustis codicibus discedo (nam in Mediceo, cui multum tribuo, nulla varietas), nec receptam lectionem muto. Res ipsa liberque meus testantur: nec ullo modo reprehendi debeo, si in manuscripto Dione ostendi *Tarcondomotum* legi: cui enim hæc pusilla in re diligentia mea obesse potest? Idem tamen in melioribus postea codicibus Dionis *Tarcondimotum* scriptum esse observavi. GRÆV. *Tarcondimoto*) Partis Gallogræciæ, vel Ciliciæ secundum Dionem, tetrarcha. CORR.

Pacorem) Quem postea Ventidius superavit, cuique Phraartes frater successit. CORR. *Pacorum* alii vocant, Ciceroque ipse ad Atticum libro quinto, rem eamdem perscribens. Nobis primam esse libri hujus epistolam placet, quam ad Catonem scripsit priorem; in ea enim nihildum senatui scripsisse indicat: in ea *impetum in Cappadociam* potius legerim, quam *in Cappadocia*. BERNH. RUTIL.

Orodi) Hunc Plutarchus non semel *Hyrodem* vocat. CORR.

Tybæ) Hujus trans Euphratem sive pagi sive urbis, præter Ciceronem nemo veterum meminit. GRÆV.

Ab Iamblico Phylarcho Arab.) *Iambl.* Sampsicerami filio: *Phylarcho*. quod nomen & gentis & dignitatis esse potest: Arabes enim quidam *Phylarchi*, Strabone auctore, nominantur. CORR. Ego legendum puto, *phararcho Arabum*. Est autem *phararchus*, is qui præest turribus iis, unde lumen sublatum significat navigantibus ubi loci sint, & unde, si quid sit quod scire opus sit, sublatis ignibus longo ordine, & immenso spatio, dum turris turri vicinæ signum dat, res in disjunctissimis locis gestæ cognoscantur. Quamquam Strabo commemorat præfectos quosdam in Arabia *phylarchos* appellatos. Quocirca neque quidquam olim mutavi, neque nunc muto. LAMBINUS. Fuit *Iamblichus Phylarchus* Emesenorum in Syria ad Euphratem. Strabo lib. XVI. *Αρεθυσα και η Σαμψικεραμυ, και η Ιαμβλιχυ τυ εκεινυ παιδος φυλαρχων των Εμεσηνων εθνυς. Et Arethusi Sampsicerami, & Iamblichi ejus filii, qui phylarchi populi Emessenorum fuerunt*. Illam vero regionem tenebant Arabes, ut ibidem docet Strabo. Arabum autem gens fuit in *εθνη* divisa, ipsi *φυλας* vocant; unde suos dynastas vocarunt *Phylarchos*. Sicut etiam

bene ſentire, amicumque eſſe reipub. noſtræ, litteræ de eiſdem rebus mihi redditæ ſunt. His rebus allatis, etſi intelligebam ſocios infirme animatos eſſe, & novarum rerum exſpectatione ſuſpenſos, ſperabam tamen eos, ad quos jam acceſſeram, quique noſtram conſuetudinem integritatemque perſpexerant, amiciores populo Romano eſſe factos: Ciliciam autem firmiorem fore, ſi æquitatis noſtræ particeps facta eſſet. Et ob eam cauſam, & ut opprimerentur ii, qui ex Cilicum gente in armis eſſent, & ut hoſtis is, qui eſſet in Syria, ſciret exercitum populi Rom. non modo non cedere his nunciis allatis, ſed etiam propius accedere, exercitum ad Taurum inſtitui ducere. Sed, ſi quid apud vos auctoritas mea ponderis habet, in iis præſertim rebus, quas vos audiſtis, ego pæne cerno: magno opere vos & hortor & moneo, ut his provinciis ſerius vos quidem, quam decuit, ſed aliquando tamen conſulatis. Nos quemadmodum inſtructos, & quibus præſidiis munitos ad tanti belli opinionem miſeritis, non eſtis ignari; quod ego negotium non ſtultitia obcæcatus, ſed verecundia deterritus, non recuſavi.

iam Saraceni ſuos duces ſic vocabant. Vide Strabon. d. l. Ioſephum Antiquit. Iud. lib. I. c. 13. Suidam in φυλαρχης, & If. Caſaubon. ad laudatum locum Strabonis: qui & ibi hæc addit: Quod Dionyſius Lambinus doctiſſimus alioqui vir *phirarcho* legendum hoc loco putabat, indignum eſt eo homine, in quo vel tantillum ſani judicii ſuperfuerit: quod mecum fatebuntur quicumque litteras Græcas penitius noverint. Porro *Iamblicho* huic fuit alius Iamblichus, & ipſe Romanorum amicitiam ſecutus, cui ab Auguſto patrium regnum eſt reſtitutum. ID.

His rebus allatis) Mediam vocem vix opinor ab Ciceronis calamo veniſſe, vane iteratam ex modo præcedentibus, & *his allatis* videtur intellexiſſe partim nunciis, partim litteris. I. GRON.

Novarum rerum exſpectatione) Ut fieri ſolet. Tacit. I. Ann. c. 31. Sall. Cat. c. 37. CORT.

Quique noſtram conſuetudinem) Probo lectionem Corrigienſis, ingeniumque ac diligentiam ipſius laudo, qui *manſuetudinem* potius, quam *conſuetudinem* legendum putet. VICTOR. *Manſuetudinem* habet vetus liber manuſcriptus, aliquanto (ut videtur) meliore ſententia. URSIN. *Noſtram conſuetudinem, integritatemque*) Mei imperii placidum morem & abſtinentiam. X. epiſt. 28. *Ad priſtinam virtutem conſuetudinemque revocavi*. II. Verr. 66. *Videtis igitur conſuetudinem religionemque Græcorum*. IO. FR. GRON. Tam Victorius quam Urſinus mallent *manſuetudinem* contra omnes codices. Quin potius *conſuetudo integra* intelligenda, hoc eſt, mores Ciceronis ſummæ integritatis, juſtitiæ, & abſtinentiæ, quas de ſe ipſe prædicat V. ad Attic. ep. 7. Supra V. ep. 9. X. ep. 28. ut adeo nihil videatur mutandum, quod & I. Fr. Gronovius cenſuit. CORT.

Serius vos quidem, quam decuit) Quidam legi volunt *debuit*, impersonaliter; quod valde probo. LAMB.

vi. Neque enim umquam ullum periculum tantum putavi, quod subterfugere mallem, quam vestræ auctoritati obtemperare. Hoc autem tempore res sese sic habet, ut nisi exercitum tantum, quantum ad maximum bellum mittere soletis, mature in has provincias miseritis, summum periculum sit, ne amittendæ sint omnes hæ provinciæ, quibus vectigalia populi Romani continentur. Quamobrem autem in hoc provinciali delectu spem habeatis aliquam, caussa nulla est: neque multi sunt, & diffugiunt, qui sunt, metu oblato. Et, quod genus hoc militum sit, judicavit vir fortissimus M. Bibulus in Asia: qui, cum vos ei permisistis, delectum habere noluerit. Nam sociorum auxilia propter acerbitatem atque injurias imperii nostri, aut ita imbecilla sunt ut non multum nos juvare possint, aut ita alienata a nobis, ut neque exspectandum ab iis, neque committendum iis quidquam esse videatur. Regis Dejotari & voluntatem, & copias, quantæcumque sunt, nostras esse duco. Cappadocia est inanis. Reliqui reges tyrannique neque opibus satis firmi, nec voluntate sunt. Mihi in hac paucitate militum animus certe non deerit: spero ne consilium quidem. Quid casurum sit, incertum est. Vtinam saluti nostræ consulere possimus; dignitati certe consulemus.

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Exponit, audito Parthorum adventu, quid egerit pro tuenda provincia, sociisque in fide continendis; adjungit de rege Ariobarzane ab insidiis liberato. Eodem anno.

M. TVLLIVS M. F. CICERO PROCOS. S. P. D. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SENAT.

SI V. V. B. E. E. Q. V. Cum pridie Kalend. Sext. in provinciam venissem, neque maturius propter itinerum & na-

Tyrannique) Quod nomen est imperii. Corn. Nepos Miltiad. c. 8. Plura alii. CORT.

& navigationum difficultatem venire potuissem, maxime convenire officio meo reique p. conducere putavi, parare ea quæ ad exercitum, quæque ad rem militarem pertinerent. Quæ cum essent a me cura magis & diligentia, quam facultate & copia, constituta, nunciique & litteræ de bello a Parthis in provinciam Syriam illato, quotidie fere afferrentur, iter mihi faciendum per Lycaoniam, & per Isauros, & per Cappadociam arbitratus sum; erat enim magna suspicio, Parthos si ex Syria egredi atque irrumpere in meam provinciam conarentur, iter eos per Cappadociam, quod ea maxime pateret, esse facturos. Itaque cum exercitu per Cappadociæ partem eam, quæ cum Cilicia continens est, iter feci: castraque ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locavi: ut Artuasdes, rex Armenius, quocumque animo esset, sciret, non procul a suis finibus exercitum populi R. esse: & Dejotarum, fidelissimum regem atque amicissimum reipub. nostræ, maxime conjunctum haberem; cujus & consilio, & opibus adjuvari posset respub. Quo cum in loco castra haberem, equitatumque in Ciliciam misissem, ut & meus adventus iis civitatibus, quæ in ea parte essent, nunciatus firmiores animos omnium faceret, & ego mature, quid ageretur in Syria, scire possem: tempus ejus tridui, quod in his castris morabar, in magno officio, & necessario mihi ponendum putavi. Cum enim vestra auctoritas intercessisset, ut ego regem Ariobarzanem Euseben, & Philorhomæum tuerer, ejusque

EPISTOLA II.

ET *Dejotarum*) Tetrarcham Galatiæ, pro quo Ciceronis exstat Oratio, supra IX. ep. 12. adde hujus libri ep. 1. ep. 4. CORT.

Cybistra) Vide ad Attic. lib. V. epist. 20. GRÆV.

Artuasdes) Vide ad ep. sequentem. IDEM.

In provinciam venissem) Non in ipsam quidem Ciliciam, quam nondum attigerat, sed in partem provinciæ citeriorem, Asiaticam videlicet in Phrygia diœcesin: seq ep. 4. FVNC.

Tempus ejus tridui) *Quinque dies* scribit & ep. 4. hujus libri, & lib. V. ad Atticum. CORRAD.

Vestra auctoritas intercessisset) Vos Senatusconsultum fecissetis, quo mihi præcipiebatur. GRÆV.

Ariobarzanem, Euseben, & Philorhomæum) *Ariob.* pium & amicum Romanis. Græce autem rectius scriberetur. CORR. *Philorh.* id est, amicum populi Ro. pro lege Manilia circa initium; unde in vert. nummis: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. quidam codd. *Philonicum*. Cl. Puteanus. Exstant apud me duo antiqua numismata ex argento, quorum alterum

que regis salutem, incolumitatem, regnumque defenderem, regi regnoque præsidio essem; adjunxissetisque, salutem ejus regis, populo senatuique magnæ curæ esse, quod nullo umquam de rege decretum esset a nostro ordine: existimavi me judicium vestrum ad regem deferre debere, eique præsidium meum & fidem & diligentiam polliceri: ut, cum salus ipsius, incolumitas regni mihi commendata esset a vobis, diceret, si quid vellet. Quæ cum essem in consilio meo cum rege locutus: initio ille orationis suæ vobis maximas, ut debuit, deinde etiam mihi gratias egit: quod ei permagnum & perhonorificum videbatur, S. P. Q. R. tantæ curæ esse salutem suam: meque tantam diligentiam adhibere, ut & mea fides & commendationis vestræ auctoritas perspici posset. Atque ille primo, quod mihi maximæ lætitiæ fuit, ita mecum locutus est, ut nullas insidias neque vitæ suæ, neque regno diceret se aut intelligere fieri, aut etiam suspicari. Cum ego ei gratulatus essem, idque me gaudere dixissem, cohortatus, ut recordaretur casum illum interitus paterni, & vigilanter se tueretur, atque admonitu senatus consuleret saluti suæ: tum a me discessit in oppidum Cybistra. Postero autem die cum Ariarathe, fratre suo, & cum paternis amicis, majoribus natu, ad me in castra venit, perturbatusque & flens, cum idem & frater faceret & amici, meam fidem, vestram com-

rum habet imaginem *Ariobarzanis* circumscripto titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. alterum Ariarathis cum litteris, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ. Ex quibus inscriptionibus intelligimus *Ariobarzanem* quidem appellatum fuisse *Philorhomæum*, Ariarathem vero *Euseben*. Cicero tamen utrumque titulum soli tribuit Ariobarzani: nisi forte aliquod mendum sit in his verbis, & nomen Ariarathes desit, cum scriptum antea fuisset: *Vt ego reges Ariarathem & Ariobarzanem Euseben & Philorhomæum*, &c. Incidi postea in argenteum nummum Ariobarzanis hujus, quem hic describit Cicero, in cujus una parte Ariobarzanis ipsius imago, in altera inscriptio incisa est, ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥΣ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. Vrsin.

A nostro ordine) Senatorio. Corr.

Quod ei permagnum & perhonorificum) Legendum ex antiquis libris: *quod & ei permagnum, & honorificum videbatur*. Græv.

Atque admonitu senatus consuleret saluti suæ) Quia Hittorpianus codex habebat *admonitum*, rescribi volebat Guilielmius *admonitum*, vel, quod Stewechianus *admoniti*, volebat *admonitis*. Sed his omnibus nihil opus. Paullo ante scribunt locupletius Palatinus sextus & Hittorpianus: *Idque me gaudere dixissem: & tamen adolescentem essem cohortatus*. Gebh.

In-

commendationem implorare cœpit. Cum admirarer, quid accidisset novi: dixit, ad se indicia manifestarum insidiarum esse delata, quæ essent ante adventum meum occultata, quod ii, qui ea patefacere possent, propter metum reticuissent: eo autem tempore spe mei præsidii complures ea quæ scirent, audacter ad se detulisse: in his amantissimum sui, summa pietate præditum, fratrem, dicere ea, quæ is me quoque audiente dicebat, se sollicitatum esse, ut regnare vellet: id vivo fratre suo accidere non potuisse: se tamen ante illud tempus eam rem numquam in medium propter periculi metum protulisse. Quæ cum esset locutus, monui regem, ut omnem diligentiam ad se conservandum adhiberet: amicosque patris ejus avique judicio probatos hortatus sum, regis sui vitam, docti casu acerbissimo patris ejus, omni

Indicia manifestarum insidiarum) Pro *judicia manifesta insidiarum*, ut contra XII. ep. 16. *summaque modestiæ fama*. At X. ep. 8. *optimæ mentis cogitata enunciare*. Capitolinus Pio c. 2. *Non satis magnæ pietatis est argumentum*: male Casaubonus, & Salmasius corrigunt *magnum*. CORT.

Propter metum reticuissent) Locum non genuinum esse scripturæ varietate deprehendo. Palatinus sextus, *tacuissent*: alii *obticuissent*: primus vero & Stewechianus *renuntiassent*, unde faciendum forte *rem mussassent*, ut volebat Guilielmius. GRÆV.

Amicosque in patris ejus fide, atque judicio probatos, &c.) Hoc loco veteres codices manci sunt ad unum omnes, ut suspicer hunc locum, ut multos alios, restiturum esse suppletumque ab aliquo arbitrio suo potius & conjectura, quam veterum & integrorum codicum auxilio. Nos tamen nulla re vulgatam & receptam lectionem permutavimus, suspectum tamen mirum in modum habemus: nec enim valde sincerus sermo nobis videtur *in patris ejus fide atque judicio probatos*. Quid enim facit ibi præpositio illa *in*? nobis sane omnem sensum (si legitima alia verba sunt) perturbare videtur. *Patris judicio probatos* optima nobis locutio videtur; *fide* non ita. Videant, quæso, hunc locum accuratius doctiores elegantioresque viri: nisi fallor, parum hunc sermonem probabunt: ακυρος enim profecto est, & male cohærens; nos tamen nihil aliud quam suspicionem adferimus; cum fide tantum antiquam multorum codicum scripturam proponemus: quæ fortasse si diligentius animadversa fuerit, magno erit adjumento ad veram lectionem investigandam; est autem hæc: *Amicosque in patris ejus, atque judicio probato hortatus sum*, &c. VICTOR. *In patris ejus fide*) Al. *in patris ejus*. Fuit, quum ego suspicatus sum legendum esse *imperiis ejus*. CORR. *Amicosque, pat. ejus atque avi jud. pr.*) Sic video nuper esse hunc locum emendatum a Tito Popmæo: & recte; nam vulgata lectio, *amicosque in patris ejus fide, atque judicio &c.* ferri non potest. LAMB. *Am. q. in patr. ejus atq. avi jud. pr.*) Repræsento lectionem, quam reperio in Palatino sexto, optimo codice: nam primus, secund. tertius, Gruterianus, prisca editio, *amicosque in patris ejus atque judicio probatos*: mutile. Quartus vero & quintus vulgatam & quam Victorius secutus est, prorogant, *amicosque in patris ejus fide atque judicio probatos*. Notat Egnatius in Mediceo ab aliena manu το *fide* additum, quod Victorius quoque non diffitetur: mavult

omni cura custodiaque defenderent. Cum rex a me equitatum, cohortesque de exercitu meo postularet; etsi intelligebam, vestro senatusconsulto non modo posse me id facere, sed etiam debere: tamen, cum respub. postularet, propter quotidianos ex Syria nuncios, ut quam primum exercitum ad Ciliciæ fines adducerem: cumque mihi rex, patefactis jam insidiis, non egere exercitu populi Romani, sed posse se suis opibus defendere videretur, illum cohortatus sum, ut in

vult tamen deleri τὸ *in*. Andreas Schottus lib. III Nodor. cap. 4. vestigiis, ut ait, codicis Medicæi insistens, *amicosque patris ejus avique judicio probatos*, emendabat; mihi non displicet Titi Popmæ conjectura quam proxima nostro libro; *amicosque patris ejus atque avi judicio probatos*. GEBH. Nihil certius est emendatione Andreæ Schotti. Nam τὸ *in* etiam in Menteliano non conspicitur; in quo legitur, *amicosque ipsius ejus atque judicio probatos*; ex *avique* vero natum est *atque*. Sed & ipsa sententia postulat hanc lectionem. Non intellexit Manutius hunc locum. *Amici* enim sunt consiliarii Regum & Principum, quos *purpuratos aulicos* vocat Tac. qui & *comites* dicti. Suet. Tib. cap. 46. & 55 Vetus inscriptio,

C. SENTIO
SEVERO
QVADRATO
C. V. COS.
AMICO ET
COM. AVG. N.

Vide quæ notavi ad Iustin. lib I. c.4. *Amici* igitur *patris avique judicio probati* sunt Consiliarii, quorum fidem pater avusque in testamentis suis laudaverant, & filiis commendaverant Vt hic *probari judicio*; sic in lib. XIII. ep. 46. *ornari judicio*: *& hominem probum existimares, qui patroni judicio ornatus esset*: & contra *improbari judicio*. Sic dicitur eadem ratione, qui in testamento est præteritus, cum jure cognationis ei hæreditatis consortium ac pars deberetur, *judicio improbatus*. Cic pro Domo sua: *Cum Marci Papirii fratris sui esset testamento & judicio improbatus, nomen ejus se velle persequi dixit*; pro quo dixit *judicio notari* in Orat. pro Sext. *Iudicium* autem sæpe est judicium extremum, testamentum. Iustin. lib. V. c. 11. *Regnum Artaxerxi*, (Darius) *Cyro civitates, quarum præfectus erat, testamento legavit. Sed Cyro judicium patris injuria videbatur*. Plin. lib. VII. ep. 31. *Idem quam reverenter, quam feliciter amicos colat, multorum supremis judiciis credere potes*: hoc est, testamentis. GRÆV. *Patris ejus fide atque judicio*. Lectio hæc est vulgata, quæ non adeo incommoda est, etiamsi *in* addatur, ac visum & plerisque editoribus. *Patris judicio probatos* concinne dictum, censet etiam Victorius; at non *equa fide*: cui Lambinus, aliique adhærescunt. Verum *fide patris*, est fide in patrem, quod nescio cur pro inconcinno habeatur. Nisi quod *patris* Genitivus ita utramque suam vim aliam ad *fide*, aliam ad *judicio* infert. Sed non sine exemplo, quale fere est illud lib. XIII. ep. 64. *adolescentis nobilis commendationem atque gloriam*. Nihilo tamen minus probo emendationem Andr. Schotti III. Nodor. Cic. c. 4. vestigiis Codicis Medicæi insistentis, qui dedit: *amicosque patris ejus avique judicio probatos*, quam etiam in textum recepit Grævius. Illud vero *judicio probatos* non tam ad testamenta regum, quibus laudaverint consiliarios illos, referrem, ut fecit Grævius: quam ad alias commendationes, quæ multæ esse possunt: ut quod avus habuerit, nec dimiserit, & pater tra itos retinuerit, fidem illis habuerit, res gravissimas illis crediderit, quæ omnia *judicium* dicuntur. Vide XIII. ep. 66. infra ep. 4. & 21. & alibi. CORT.

Pr-

ut in sua vita conservanda primum regnare disceret: a quibus perspexisset sibi insidias paratas, in eos uteretur jure regio: pœna afficeret eos, quos necesse esset, reliquos metu liberaret: præsidio exercitus mei ad eorum, qui in culpa essent, timorem potius, quam ad contentionem uteretur: fore autem, ut omnes, cum senatusconsultum nossent, intelligerent, me regi, si opus esset, ex auctoritate vestra præsidio futurum. Ita confirmato illo, ex eo loco castra movi, iter id Ciliciam facere institui. Cum hac opinione e Cappadocia discederem, ut consilio vestro, casu incredibili ac pæne divino, regem, quem vos honorificentissime appellassetis nullo postulante, quemque meæ fidei commendassetis, & cujus salutem magnæ vobis curæ esse decrevissetis, meus adventus præsentibus insidiis liberaret. Quod ad vos a me scribi non alienum putavi, ut intelligeretis ex iis, quæ pæne acciderunt, vos multo ante, ne ea acciderent, pro-

Pœna afficeret eos quos necesse esset, ceteros metu liberaret) Quomodo regnare oporteret, præclare intelligebat Cicero: sciebatque inutile esse, quemadmodum non graviter animadvertere in eos, qui in vitam principis conspirassent, ita etiam eos, qui non valde illi culpæ affines essent, in diuturniore metu continere: homines enim propter metum sæpe fortia, & callida consilia in animo versant: ac desperatione suadente, ea tentant, quæ nisi omnem spem suæ salutis abjecissent, numquam attingerent. Est igitur consilium Ciceronis, Ariobarzani ipsi, & iis qui in eum leviter peccassent, salutare: nam eos tantum necandos censet, quos necesse esset, reliquis autem ignoscendum: ac non solum ignoscendum, sed etiam omnem timorem illis eripiendum. Plato in epistola sua ostendit, Dionysium Syracusarum tyrannum a nullo doctum, ut valde regnandi peritum hoc pulcre tenuisse: cum enim & se, & alios læsisset, animadvertissetque ipsos propter has injurias male affectos esse, veritus, ne metu inducti, audax aliquod facinus aggrederentur, conabatur blandis verbis, & omni genere comitatis omnem metum ex animis ipsorum pellere, ipsumque in primis Platonem bene sperare jubebat. Verba Platonis hæc sunt, quæ quia elegantissima sunt & huic loco valde accommodata, libenter adposuimus: O' δε αισθανομενος παντας ἡμας ὑτω διατεθεντας, φοβυμενος μη μειζον εκ των φοβων· γενοιτο τι, φιλοφρονως παντας ανελαμβανε, και δη και αυτον εμε παρεμυθειτο και θαρρειν διεκελευετο: *Is autem cum animadverteret, omnes nos ita animo affectos, verens, ne quid majus ex timoribus nasceretur, comiter omnes excipiebat, & me ipsum quidem alloquebatur, & bene sperare jubebat.* VICTOR. *Metu liberaret*: metu, ne ipsi etiam puniantur: quam regnandi prudentiam adhibuit etiam Iugurtha, de quo Sall. c. 71. Nam quod Cicero ex Ennio docet II. Offic. c. 7. *Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, perisse expetit*: eum vide, ut & Senecam variis locis. CORTIVS.

Præsentibus insidiis) Certo imminentibus. Confer XII. ep. 8. In.

Ut intelligeretis ex iis quæ pæne acciderunt) Mediceus codex *ut* non habet, quod culpa librarii factum procul dubio arbitrarer, nisi in simili sen-

providisse: eoque vos studiosius feci certiores, quod in rege Ariobarzane ea mihi signa videor virtutis, ingenii, fidei, benevolentiæque erga vos perspexisse, ut non sine causa tantam curam diligentiamque in ejus vos salutem videamini contulisse.

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Scribit de rumore Parthici belli: & affert excusationem, cur publice nihil scripserit. Eodem anno.

MARCVS CICERO M. CATONI S. D.

CVm ad me legati, missi ab Antiocho Commageno, venissent in castra ad Iconium a. d. III. Non. Septembr. iique mihi nunciassent, regis Parthorum filium, quo cum esset nupta regis Armeniorum soror, ad Euphratem cum maximis Parthorum copiis multarumque præterea gentium magna manu venisse, Euphratenque jam transire cœpisse: dicique Armenium regem in Cappadociam impetum esse

sententia, & elocutione hoc idem non multo post commisisset: nam in altera epistola ad Catonem sic locus ille in eo libro inscriptus est: *Cujus etiam interitum facile intelligerem, mihi quantum tribueres Milonis causa in senatu defendenda adprobaris*. Ac ne nunc quidem affirmarim mendo hos locos vacare: est enim durus sermo, & auribus meis uovus: hoc tamen propter libri ipsius auctoritatem adnotare volui, si forte elocutio vera & recta (quod non puto) esset; diligentia mea, si non doctrina, æquis probisque viris ingrata non erit. ID.

Vt non sine causa tantam curam in ejus vos salutem videamini contulisse) Retraxi hic ex Amstelodamensi, Menteliano ac meo secundo fugitivam voculam, quæ male in editionibus desideratur. Sic autem in his libris scribitur: *Vt non sine causa tantam curam in ejus vos salutem diligentiamque videamini contulisse*. Vidi postea in aliis editionibus etiam hanc vocem exstare, male vero in recentioribus omitti. GRÆVIVS.

EPISTOLA III.

M. *T. C. IMPER. M. CATONI*) Cum hanc epistolam scripsit Cic. nondum *Imp.* fuerat appellatus; ut id nomen omitti debeat. CORR. Recte animadvertit Corradus, Manutius, & Sigonius vocem *Imperatoris* mendosam esse. Hinc cum nec in Amstelodamensi, nec in Menteliano nec in meo secundo conspiceretur, eam delendam esse judicavi. GRÆV.

Regis Parthorum filium) Pacorum. CORRAD.

Regis Armeniorum) Artuasdæ; qui Tigranis fuit filius: quem modo *Artuasden*, modo *Artabasden* appellari video. IDEM.

Armenium regem) Ipsum Artuasden. IDEM.

Pu-

esse facturum; putavi, pro nostra necessitudine, me hoc ad te scribere oportere. Publice propter duas caussas nihil scripsi: quod & ipsum Commagenum legati dicebant ad senatum statim nuncios litterasque misisse: & existimabam M. Bibulum proconsulem, qui circiter Idus Sextiles ab Epheso in Syriam navibus profectus erat, quod secundos ventos habuisset, jam in provinciam suam pervenisse: cujus litteris omnia certiora perlatum iri ad senatum putabam. Mihi, ut in hujusmodi re, tantoque bello, maximæ curæ est, ut quæ copiis & opibus tenere vix possumus, ea mansuetudine & continentia nostra, sociorum fidelitate teneamus. Tu velim, ut consuesti, nos absentes diligas, & defendas.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Res a se in provincia gestas ordine exponit: &, ut earum caussa supplicatio sibi, favente Catone, decernatur a senatu, cupere se ingenue confitetur. Paullo, Marcello Coss. Tres partes hujus epistolæ sunt, proœmium, narratio, petitio. Proœmium, cur narretur, ostendit; narratio, cur petatur. In prima proœmii parte, Catonis benevolentia quæritur, commemorata ejus auctoritate & virtute, utraque summa & singulari: in fine, non solere Catonem, ostenditur, ambitionis caussa quidquam concedere, sed, quod ab eo petendum sit, probari prius oportere. Narratio duo genera complectitur, unum, res bellicas; alterum, instituta pacis & rationem administratæ provinciæ. Petitio multas habet partes.

Publice) Ad senatum, cujus intererat maxime, res imperatorum in provinciis gestas cognovisse. FVNC.

Vt, quæ copiis & opibus vix tenere possumus) Nonius Marcell. in voce *Continens*, legit, *ferre vix possumus, ea mans. & contin. nostra, sociorum fidelitate tueamur*. LAMB.

Mansuetudine e. c. n. s. fidelitate) Hoc est *per mansuetudinem & continentiam nostram sociorum fidelitate*, ut nempe socios in fide contineat illis optimis artibus, & per hanc ita partam fidelitatem commodum P. R. obtineat. Qui hæc non intelligunt, dicunt abesse Conjunctionem &, quod est contra ep. 1. Sic supra Plancus X. ep. 15. Et pertinent huc quæ de pluribus Ablativis conjunctis dixi ad VII. ep. 1. XI. ep. 1. & maxime XII. ep. 14. CORT.

EPI-

tes. Petitur ab eo, cujus allatura summam laudem sententia videatur. Rogare non est necesse: non enim patitur amicitia, mutuis officiis & studiis confirmata & aucta: admonere satis est. Amovetur inanis gloriæ suspicio: quod fieri necesse erat cum ad Stoicum hominem Catonem, qui ad unam virtutem omnia referret, scriberetur. Preces adhibentur, cum ea tamen conditione, si res gestæ supplicatione dignæ videantur: quamquam id, quod armis & militari virtute gestum, fit illustrius ac majus cum adjungitur æquitas Imperatoris & abstinentia. Postremo, quasi hæc ad impetrandum non sufficiant, allegatur ad Catonem Philosophia, quæ petitionem adjuvet, suique alumni laudem alteri alumno commendet. Absoluta petitione, opinionem & judicium suum de Catonis officio, si eum ornare sua sententia, & supplicationis honorem decernere voluerit, ita Cicero demonstrat, ut, si adsequatur quod cupit, id acceptum illi referre velit: quasi reliquorum amicorum studiis adsequi non potuerit, nisi Catonis auctoritas accessisset.

M. T. C. IMP. M. CATONI S. D.

SVmma tua auctoritas fecit, meumque perpetuum de tua singulari virtute judicium, ut magni mea interesse putarem, & res eas quas gessissem tibi notas esse, & non ignorari a te, qua æquitate & continentia tuerer socios, provinciamque administrarem. His enim a te cognitis, arbitrabar, facilius me tibi quæ vellem probaturum. Cum in provinciam pridie Kal. Sext. venissem, & propter anni tempus ad exercitum mihi confestim esse eundum viderem, biduum Laodiceæ fui, deinde Apameæ quatriduum, triduum Synnadis, totidem dies Philomeli. Quibus in oppidis cum magni conventus fuissent, multas civitates acerbissimis tributis

EPISTOLA IV.

PRopter anni tempus) Vide quæ notavi X. ep. 33. CORT.

Biduum Laodiceæ fui) In his diebus, qui aliter hic atque in epistolis ad Atticum scribuntur, videtur esse Ciceronis μνημονικὸν ἁμάρτημα. CORRAD.

Acerbissimis tributis) Duris & nimiis. Sic supra III. ep. 8. *acerbissimam exactionem*: ubi plura dixi. Pro Quintio: *Nihil duri, nihil acerbi mihi erit, quod remp. tutabitur*. C. Nepos Eumene c. 6. *acerbum imperium*. CORT.

Falso

butis, & gravissimis usuris, & falso ære alieno liberavi. Cumque ante adventum meum seditione quadam exercitus esset dissipatus; quinque cohortes sine legato, sine tribuno militum, denique etiam sine centurione ullo apud Philomelum consedissent, reliquus exercitus esset in Lycaonia, M. Anneio legato imperavi, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactoque in unum locum exercitu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret. Quod cum ab illo diligenter esset actum, ego in castra a. d. VII. Kal. Septemb. veni: cum interea superioribus diebus ex senatusconsulto, & evocatorum firmam manum, & equitatum sane idoneum, & populorum liberorum regumque sociorum auxilia voluntaria comparavissem. Interim cum, exercitu lustrato, iter in Ciliciam facere cœpissem Kal. Septemb. legati a rege Commageno ad me missi, pertumultuose, neque tamen non vere, Parthos in Syriam transisse nunciaverunt. Quo audito, vehementer sum commotus cum de Syria, tum de mea provincia, de reliqua denique Asia. Itaque exercitum mihi ducendum per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciam attingeret, putavi. Nam si me in Ciliciam demisissem, Ciliciam quidem ipsam propter montis Amani naturam facile tenuissem. Duo sunt enim aditus in Ciliciam ex Syria, quorum uterque parvis præsidiis propter angustias intercludi potest, nec est quidquam Cilicia contra Syriam munitius: sed me Cappadocia movebat: quæ patet a Syria, regesque habet finitimos: qui etiamsi sunt amici nobis; tamen aperte Parthis inimici esse non audent. Itaque in Cappadocia extrema non longe a Tauro apud oppidum Cybistra castra feci, ut & Ciliciam tuerer, & Cappado-

Falso ære alieno liberavi) *Et magno ære alieno liberavi*, videtur scribendum. VRSINVS. Sed vide Manut.

Evocatorum) Vide ad ep. 6. lib. III. GRÆV.

Auxilia voluntaria) Qui voluntate sua castra Ciceronis secuti erant. Vide supra XII. ep. 15. CORT.

Exercitu lustrato) Recognito & sacrificiis expiato. CELLAR. Quod secundo loco memorat Cellarius, ejus causa maxime instituta *lustratio*, quam propterea Dio 47. p. 349. καθαρσιον vocat. Confer Lomeier. de Lustrat. c. 31. IDEM.

Aditus in Ciliciam) Per Amanum montem, qui cum aliis *portis Ciliciæ* non debent confundi. Vide Raderum ad Curt. III. c. 4. CORT.

Patet a Syria) Versus Syriam, hoc est,

padociam tenens, nova finitimorum consilia impedirem. Interea in hoc tanto motu, tantaque exspectatione maximi belli, rex Dejotarus, cui non sine causa plurimum semper & meo, & tuo, & senatus judicio tributum est, vir cum benevolentia & fide erga populum R. singulari, tum præsentia, magnitudine & animi & consilii, legatos ad me misit, se cum omnibus suis copiis in mea castra esse venturum. Cujus ego studio officioque commotus, egi ei per litteras gratias: idque ut maturaret, hortatus sum. Cum autem ad Cybistra propter rationem belli quinque dies essem moratus, regem Ariobarzanem, cujus salutem a senatu, te auctore, commendatam habebam, præsentibus insidiis nec opi-

est, *a Syria* facile in Cappadociam intrari potest. Sall. Cat. c. 58. ID.

Nova finitimorum consilia) Ne contra Romanos cum Parthis faciant. *Nova* & *novæ res* sic ubivis dicuntur. IDEM.

Rex Dejotarus) Gallogræciæ tetrarcha, quem senatus propter fidem, bello Mithridatico sibi præstitam, regem appellavit, & Armenia minore, quæ Mithridatis fuerat, donavit. Postea Cæsari invisum Cicero luculenta oratione defendit. FUNC.

Tum præsenti magnitudine & animi & consilii) Ego ex illis sum, qui cum *præsentia* in Medicæo scriptum invenissem, vitiosum locum putavi, minus tamen quam in impressis inquinatum. Quod *præstanti* aut *præsenti magnitudine* animi, recte dici posse nonnulli negant, se ipsos quoque reprehendunt, qui in priore sua editione *præsenti magnitudine* scripserunt: nam quod multos accusant, qui ex *præsente*, *præstantem* faciunt, me laudent necesse est, qui contra ex *præstanti*, *præsenti* feci. Si vetus autem scriptura, elocutioque recta & integra esse ab eruditis viris, & non dura & aspera judicabitur, ego illam valde amabo, quippe quam in libris iis quibus multum tribuo, invenerim. VICTOR. *Tum præstanti magnitudine*) Secutus sum codices Memm. rejecta & vulgata lectione, *præsenti magnit.* quam Florentini probant. Non damno tamen Manutii lectionem, *tum præsentia, magnitudine & animi & consil.* LAMB. *Tum præsenti magnitudine*) Palatini, Hittorpianus, *tum præsentia magn.* sicut & Medicæus. Unde recte hanc lectionem extricavit Victorius, quæ visitur quoque in Vaticani excerptis: Manutius tamen, *tum præsentia, magnitudine & animi & consilii*. GEBHARD. Hercule non est ut discedamus a scriptura librorum antiquissimorum, qui omnes *præsentia* legunt, etiam Amstelodam. & Mentel. qui tamen scribit, *tum præsentia, tum magnitudine*. Postquam omnia diu consideravi, in eam discessi sententiam *magnitudine* esse interpretationem τοῦ *præsentia*, quæ margini illita postea in ipsum contextum irrepsit: de quo loquendi genere alibi plura diximus. Sin *magnitudine* retinendum, legerim potius: *Præsentia & magnitudine animi & consilii*. *Præsentia animi* est animus præsens, qui nullis periculis movetur, animus in omnibus discriminibus imperterritus; magnitudo consilii est summa prudentia. GRÆV. *Tum præsentia magnitudine & animi, & consilii*) Cum sic habeant libri MSi, quorum fides est spectata, etsi variis modis in ea scriptura judicent eruditi viri, ego tamen nihil aliud quam legendum puto: *tum præsentis magnitudine & animi, & consilii*. L. I. ad Att. ep. 18. *In rep. vero, quamquam animus est præsens*. Et sæpius sic præstantem animum junxit Tullius. IAC. GRON.

Te auctore) Qui primus id in sena-ta

opiniantem liberavi: neque solum ei saluti fui; sed etiam curavi, ut cum auctoritate regnaret. Metram, & eum, quem tu diligenter mihi commendaras, Athenæum, importunitate Athenaidis exilio multatos, maxima apud regem auctoritate gratiaque constitui. Cumque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, si sacerdos armis se, quod facturus putabatur, defenderet, adolescens & equitatu, & peditatu, & pecunia paratus, & toto iis, qui novari aliquid volebant:

tu proposuisti, cujusque in sententiam senatus discessit. Noster in Pison. *De me Senatus ita decrevit Gn. Pompeio auctore & ejus sententiæ principe.* CORT.

Metram) *Mithram* opinor scribendum ex antiquis lapidum monumentis. VASIR.

Importunitate Athenaidis) *Iniquitate*, pro *importunitate* habent aliquot veteres libri. IDEM. Sed rectius ii qui *importunitate* habent. *Importunitas* enim est impotens & crudelis dominatio, ut *importunissimi tyranni*, alibi dixit; vide Manut. ad lib. IX ep. 21. GRÆV. *Athenaidis*, Reginæ, matris regis impotenti dominatione. CELLARIVS.

Sacerdos) *Sacerdos*, auctore Strabone, in Cappadocia secundus post regem erat in honore, sæpiusque reges & sacerdotes ex eadem erant gente. CORRAD. Vid. Manut.

Et toto iis, qui novari aliquid volebant) Hæc erat vulgatorum omnium, nec non antiquorum corrupta profecto lectio: alii aliis modis emendarunt: nonnulli *& pecunia paratus & sociis* legunt. Quidam, *& pecunia paratus, & animo*. Nos etiam pro viribus conati sumus hoc mendum corrigere, & in re tam incerta, & in qua omnes laborarint, sibique indulserint, nonnihil nobis permisimus: abundare enim censuimus ex priore monosyllabo, acceptam priorem litteram sequentis dictionis, & eamdem litteram inter duas vocales sitam, ex *i*, importune *t* factam. Nam parvam illam lineam, quæ elementum id commutat, existimavimus supra tres illas vocales adponi debuisse, si *oto* ut nota esset quæ compendiosam illam dictionem perficeret, ut *omnino* significaret. Nos hac conjectura ducti, ausi sumus ita locum restituere. Nam quin sententia egregia sit, si ita legas, nullum puto contradicturum: minus etiam a priscis vestigiis declinavimus, ut quivis existimare potest. VICTOR. *Idem in posterioribus annotationibus: Et toto iis* antea legebatur, non in impressis tantum, sed etiam manuscriptis codicibus, unum excipio qui *& sociis* habebat. Locum vitium habere suspicati sumus, & *omnino* non incommode legi posse judicavimus: arbitrati locum quondam ita scriptum fuisse, *& oto* ex qua scriptura postea ab imperitis librariis *& toto* factum sit. Decepti ne tunc simus, eruditi judicabunt: nos quidem, nisi aliud contra nos excogitatur, in sententia permanemus. Nam quam quidam vulgatam lectionem, a se quoque olim damnatam, tuentur, utunturque ad eam probandam loco Ciceronis ad Atticum: verum id esse crederem, si hic ut alibi fecit, *& quod totum est*, dixisset. Semper enim inveni ita Ciceronem locutum esse, cum hoc significare vult, ut præter exemplum ab illis adductum, hoc ad Q. Fratrem aperte ostendit, 290. *Totum in eo est (quod mihi erit curæ) ut totum ut concinnum sit*: nam *& toto* hac sententia nimis durum est, & nisi valde fallor, probari nullo pacto potest. *Toto iis*) Al. *sociis*: alii, *omnino iis* legunt: alii *iis*, & paullo post, *e toto regno*: ut verbum illud [illegible] loco suo in alienam migra[illegible] [illegible]. Cum & in vulgatis libris & in manuscriptis legeretur *& toto iis*, [illegible]

bant: perfeci, ut e regno ille discederet, rexque sine tumultu ac sine armis, omni auctoritate aulæ communita, regnum cum dignitate obtineret. Interea cognovi multorum litteris atque nunciis, magnas Parthorum copias, & Arabum ad oppidum Antiochiam accessisse, magnumque eorum equitatum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum meorum turmis, & a cohorte prætoria, quæ erat Epiphaneæ præsidii causa, occidione occisum. Quare cum viderem a Cappadocia Parthorum copias aversas, non longe a finibus esse Ciliciæ, quam potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi. Quo ut veni, hostem ab Antiochia recessisse, Bibulum Antiochiæ esse cognovi: Dejotarumque confestim jam ad me venientem cum magno & firmo equitatu, & peditatu, & cum omnibus suis copiis, certiorem feci, non videri esse causam, cur abesset a regno; meque ad eum, si quid novi forte accidisset, statim litteras nunciosque missurum esse. Cumque eo animo venissem, ut utrique provinciæ, si ita tempus ferret, subvenirem: tum id, quod jam ante statueram, vehementer interesse utriusque provinciæ, paca-

netus conjectura ductus legendum putabat, *extorta iis qui*, &c. Sed Victorius melius, *& omnino iis qui*, &c. Alii, *& sociis, qui*, &c. LAMBIN. *Et toto, iis qui novari aliquid volebant*) Retinui lectionem Manutianam, quam & Victorius in suis invenit, testorque eam exstare in Pal. primo, quarto, quinto, & editionum primaria: Victorius tamen ex conjectura, *& omnino iis, qui novari aliquid vel* quam præ se ferunt excerpta Vaticani: Palatinus sextus & Hittorpianus, *& tuto his*: Peckio excerpta, & alius Guilielmio inspectus *& toto is*: legit inde *ultroneis*, vel *& vero his*. Puteanus conabatur, *pecunia paratus, extorta iis*, &c. GEBHARD. *Et toto iis, qui novari*) Et quod summam rem continet, iis, quoque, qui ipso in regno quærebant mutationem, paratus & succinctus; lib V. ad Att. 20. *Est totum, quid Cal. Martiis futurum sit*. III. ad Q. ep. 1. *Totum in eo est tectorium ut continuum sit*. *Totum hi, qui aliquid novi*, per appositionem, quam dicunt Grammatici. J. F. GRONOV. Hæc est veterum Codicum scriptura, pro qua vulgo ex conjectura Victorii edunt: *& omnino iis, qui*. Sed *toto* pro *quoad totum* idem est, quod *omnino*. Neque tamen sic accipiendum puto; quin potius *toto* ex *totus* corruptum esse existimo: *totus iis*, est plane deditus & simul acceptus illis, qui novari aliquid volunt. Lucan. V. v. 742. *Iam totus adest in prelia Cæsar*: adde ep. 7. XIV. ad Attic. ep. 1. *Octavius mihi totus deditus*. CORT.

Epiphaneæ) *Epiphanea* est oppidum Ciliciæ, aliud ab illo, quod ad Orontem in Syria fuit. GREV.

Occidione occisum) Sic Græci cum Hebræis, pariterque Latini verborum vim augere solent. Vide ad V. ep. 21. dicta. CORT.

Vt utrique provinciæ) Syriæ, & Ciliciæ. CORR.

Si ita tempus ferret) Duo codices Memmiani habent, *si ita opus ferret*; quod non placet. LAMB.

Tum id, quod jam ante statueram) Hæc

pacare Amanum, & perpetuum hostem ex eo monte tollere, agere perrexi. Cumque me discedere ab eo monte simulassem, & alias partes Ciliciæ petere, abessemque ab Amano iter unius diei, & castra apud Epiphaneam fecissem, a. d. quartum Idus Octobres, cum advesperasceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut ad tertium Idus Octobres, cum lucesceret, in Amanum adscenderem: distributisque cohortibus & auxiliis, cum aliis Q. Frater legatus, mecum simul, aliis C. Pontinius legatus, reliquis M. Anneius & L. Tulleius legati præessent: plerosque nec opinantes oppressimus, qui occisi captique sunt interclusi fuga. Eranam autem, quæ fuit non vici instar, sed urbis, quod erat Amani caput, itemque Sepyram, & Commorin, acriter & diu repugnantibus, Pontinio illam partem Amani tenente, ex

Hæc lectio ex Mediceo est, ab Egnatio, ad primam impressionem enotata, & ab Victorio quoque usurpata in editione: conspicio jam eam quoque in Palatinis, Vaticani excerptis. Hittorp. vulgo *tamen id, quo jam ante constitueram*. Paullo post Hittorpianus codex legit, *abessemque Amano iter unius diei*: putatque Guilielmius legendum *abissemque Amano*. GEBH.

A. d. IIII. Idus Octobr.) Ita legi debet. Nam quo profectus est IIII. Id. eo III. Id. pervenit. CORR.

M. Anneius & L. Tulleius) In epistolis ad Att. semper scribitur *M. Annius* & *L. Tullius*. ID.

Oppressimus) Ex improviso super illos venimus. Dixi ad IX. ep. 13. CORT.

Qui occisi, captique sunt, interclusi reliqui, fugeranam autem, &c.) Nos hoc loco Mediceum codicem, ut probiorem, integrioremque secuti sumus: nullum enim meliorem, minúsve corruptum invenimus. Quare cum hic nostrum librum legis, puta te miræ vetustatis exemplar ante oculos habere. Confugio autem hic ad vetustatem, fidemque antiqui codicis; sunt enim hæc tam minuta castella, ut vix alibi reperias nomina eorum, ut possit aliorum scriptorum testimonio confirmari veræ lectionis integritas. Vox illa *reliqui* in nullis est antiquis, & profecto abundat: dicit enim se plerosque, nec opinantes oppressisse, qui occisi, captique sunt *interclusi fuga*. Quos enim fuga subito adventu intercluserunt, hi occisi, captique sunt. Docet autem quomodo capi, occidique potuerint. Non enim illis fuga patuit in castella, obstructis a militibus viis. *Intercludi fuga*, ut *intercludi commeatibus*, dictum est. *Eranam* autem vicum, seu urbem (ut vult Cicero, ut se magnas res gessisse ostenderet) nullibi memini me legisse. VICT. *Interclusi reliqui fugeranam*) Alii legunt, *interclusi fuga, Eranam*. Hæc autem loca, quæ a Cicerone scribuntur; sunt adeo ignobilia, ut non multum operæ iis perquirendis sit ponendum. CORR. *Qui occisi captique sunt, interclusi fuga, Eranam* &c.) In Mediceo erat, *interclusi fuge ranam*, ex qua recte hanc lectionem extricavit accuratissimus Victorius. Nam vox *reliqui* ab omnibus nostris æque abest. Primus Palatinus & prisca editio, *interclusi fugierant amani autem*. GEBH.

Acriter & diu repugnantibus) Videtur legendum *repugnantes*: verumtamen nihil muto: subintelligi enim potest, hostibus, vel aliquid tale. LAMB. *Acriter & diu repugnantibus*) Vi-

ex antelucano tempore, usque ad horam diei decimam, magna multitudine hostium occisa, cepimus: castellaque sex capta: complura incendimus. His rebus ita gestis, castra in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexandri quatriduum: & in reliquiis Amani delendis agrisque vastandis, quæ pars ejus montis meæ provinciæ est, id tempus omne consumsimus. Confectis his rebus, ad oppidum Eleutherocilium Pindenissum exercitum adduxi: quod cum esset altissimo & munitissimo loco, ab iisque incoleretur, qui ne regibus quidem umquam paruissent: cum & fugitivos reciperent, & Parthorum adventum acerrime exspectarent: ad existimationem imperii pertinere arbitratus sum comprimere eorum audaciam, quo facilius etiam ceterorum animi, qui alieni essent ab imperio nostro, frangerentur. Vallo & fossa circumdedi, sex castellis castrisque maximis sepsi; aggere, vineis, turribus oppugnavi, ususque tormentis multis, multis sagittariis, magno labore meo, sine ulla molestia sumtuve sociorum, septimo quinquagesimo die rem confeci: ut omnibus partibus urbis disturbatis, aut incensis, compulsi in potestatem meam pervenirent. His erant finitimi pari scelere & audacia Tibarani: ab his, Pindenisso capto, obsides accepi, exercitum in hiberna dimisi. Q. Fratrem negotio præposui, ut in vicis aut captis, aut male pacatis exercitus collocaretur. Nunc velim, tibi sic persuadeas, si de his

Videtur leg. *repugnantes*, nempe urbes illæ Sipyram & Commorin. Deinde *Pontinio —— illam partem Amani —— tenenti*. I. F. GRON. Sepyra & Commori, sive *incolis* ejus. Liv. 24. Confer XII. ep. 15. CORT.

Apud aras Alexandri) Sup. lib. II. ep. 10. CORR. Cum his locis Alexander vicerit Darium, victoriæ monumenta statuit tres aras in ripa Pinari amnis, Iovi, Herculi, & Minervæ sacratas. Curt. lib. III. c. 12. FVNC.

Eleutherocilium) Al. ἐλευθέρων Κιλίκων, hoc est, *liberorum Cilicum*: nam testatur Plinius, in illis locis populos plures liberos fuisse. ID.

Pindenissum) Pindenissus est ad montem Amanum in Cilicia. GRÆV.

Ceterorum animi . . . frangerentur) Quam ob caussam Cato deprehensos ex conjuratione Catilinæ necandos esse censet apud Sall. Cat. c. 52. CORTIVS.

Vallo & fossa) Obsidionalibus, de quibus ad Crispi Iug. c. 23. & de reliquis machinis ad Ejusd. c. 22. ID.

Tibarani) Scribendum opinor *Tibareni*: Græce enim Τιβαρηνοί. VRSIN. Hi *Tibarani*, sive *Tebarani*, nam & sic veteres scribunt libri, quinam sint, nondum eruditorum industria potuit indagare. Nam *Tibareni* supra Armeniam, vicini Mossynæcis, & Chalybibus longissime ab hoc tractu sunt remoti. GRÆV.

ad

his rebus ad senatum relatum sit, me existimaturum, summam mihi laudem tributam, si tu honorem meum sententia tua comprobaris. Idque, etsi talibus de rebus gravissimos homines & rogare solere, & rogari scio; tamen admonendum potius te a me, quam rogandum puto. Tu es enim is, qui me tuis sententiis sæpissime ornasti: qui oratione, qui prædicatione, qui summis laudibus in senatu, in concionibus ad cœlum extulisti: cujus ego semper tanta esse verborum pondera putavi, ut uno verbo tuo cum mea laude conjuncto, omnia adsequi me arbitrarer. Te denique memini, cum cuidam clarissimo atque optimo viro supplicationem non decerneres, dicere, te decreturum, si referretur ob eas res, quas is consul in urbe gessisset. Tu idem mihi supplicationem decrevisti togato, non ut multis, repub. bene gesta, sed, ut nemini, rep. conservata. Mitto, quod invidiam, quod pericula, quod omnes meas tempestates & subieris, & multo etiam magis, si per me licuisset, subire paratissimus fueris: quod denique inimicum meum, tuum inimicum putaris: cujus etiam interitum, ut facile intelligerem, mihi quantum tribueres, Milonis causa in senatu defendenda adprobaris. A me autem hæc sunt profecta, quæ

Ad cœlum extulisti) Confer IX. ep. 14 X. ep. 26. XII. ep. 25. XII. ad Attic. ep. 21. CORT.

Vt uno verbo tuo) Adde ep. 6. *Et Cato quidem unus Ciceroni erat pro centum millibus*, ipso teste II. ad Attic. ep. 5. ID.

Cum cuidam clarissimo) Cæsari, nisi fallor. Nam cum in senatu, ut refert Plutarchus, Cæsari supplicatio decerneretur, Cato censuit Cæsarem potius hostibus dedendum. CORR.

Quas is consul in urbe gessisset) Antiqui mei vulgatam receptamque lectionem habent: alius codex (ut quidam tradunt) *quas consul in urbe gessisset*. Verius tutiusque de tota hac re statui posset, si vir, de quo loquitur, & negotium etiam ipsum, de quo agit, intelligeretur. Quis enim scit, an intelligat P. Lentulum, qui cum Ciceronis causam Cos. enixe adjuvisset, posteaque fortasse ob res foris gestas supplicationes sibi decerni postulasset, adversum habuerit Catonem, qui in ea re disputanda vocem illam conjecerit, *Se decreturum fuisse, si referretur ob eas res, quas idem Cos. in urbe gessisset?* Nam ita etiam Cato præclarum de Cicerone judicium fecerit: cum censuerit res illas, quæ pro salute ipsius sine armis gestæ essent, dignas esse supplicatione, ac præponendas iis quas in imperio cum exercitu idem ille, qui ei quondam saluti fuerat, pro Rep. gessisset. Neque tamen hoc quod a nobis cogitatum est, verum esse affirmamus; sed hujusmodi aliquid, quod idoneum sensum habeat, conservata recepta lectione, intelligi commode posse judicamus. VICT.

Rep conservata) Conjuratione Catilinæ oppressa. CORR.

quæ ego in beneficii loco non pono, ſed in veri teſtimonii atque judicii, ut præſtantiſsimas tuas virtutes non tacitus admirarer: quis enim idem non facit? ſed in omnibus orationibus, ſententiis dicendis, cauſis agendis, omnibus ſcriptis, Græcis, Latinis, omni denique varietate litterarum mearum, te non modo iis, quos vidiſſemus, ſed iis de quibus audiſſemus, omnibus anteferrem. Quæres fortaſſe, quid ſit, quod ego hoc neſcio, quid gratulationis & honoris a ſenatu tanti æſtimem. Agam jam tecum familiariter, ut eſt & ſtudiis, & officiis noſtris mutuis, & ſumma amicitia dignum, & neceſsitudine etiam paterna. Si quiſquam fuit umquam remotus & natura & magis etiam, ut mihi quidem ſentire videor, ratione atque doctrina ab inani laude & ſermonibus vulgi, ego profecto is ſum. Teſtis eſt conſulatus meus; in quo, ſicut in reliqua vita, fateor ea me ſtudioſe ſecutum, ex quibus vera gloria naſci poſſet: ipſam quidem gloriam per ſe numquam putavi expetendam. Itaque & provinciam ornatam, & ſpem non dubiam triumphi neglexi. Sacerdotium denique, cum, quemadmodum te exiſtimare arbitror, non difficillime conſequi poſſem, non appetivi. Idem poſt injuriam acceptam, quam tu reip. calamitatem ſemper appellas, meam non modo non calamitatem, ſed etiam gloriam, ſtudui quam ornatiſsima ſenatus populique Roman. de me judicia intercedere. Itaque & augur poſtea fieri volui, quod antea neglexeram: & eum honorem, qui a ſenatu tribui rebus bellicis ſolet, neglectum a me

Litterarum mearum) Hoc eſt, monumentorum ſcriptorum meorum. Livius VI. 1. *Quod & raræ per eadem tempora litteræ*; vide ibi Gronovium. GRÆV.

Neſcio quid gratulationis) Supplicationis. CORR.

Provinciam) Galliam, ep. 2. lib. V. IDEM. *Prov. ornatam*) Hoc eſt, cujus præfecto in illam ituro a ſenatu decreta erant ex ærario pecunia, miniſtri, jumenta, tabernacula, aliaque neceſſaria ſumtu publico. GRÆV.

Spem n. d. triumphi neglexi) Exiſtimabat enim Tullius id, quod ad Attic. II. ep. 5. ſcripſit: *Etiam eſt in non accipiendo honore nonnulla gloria*. CORT.

Sacerdotium denique) Auguratum. CORR.

Poſt injuriam acceptam) Exſilii. IDEM.

Augur poſtea fieri volui) In P. Craſſi locum, Pompeio & Hortenſio cooptantibus. IDEM.

Eum honorem) Supplicationem, & triumphum. IDEM.

Ne-

a me olim, nunc mihi expetendum puto. Huic meæ voluntati, in qua inest aliqua vis desiderii, ad sanandum vulnus injuriæ, ut faveas, adjutorque sis, quod paullo ante me negaram rogaturum, vehementer te rogo: sed ita, si non jejunum hoc nescio quid, quod ego gessi, & contemnendum videbitur; sed tale atque tantum, ut multi nequaquam paribus rebus honores summos a senatu consecuti sint. Equidem etiam mihi illud animum advertisse videor, scis enim quam attente te audire soleam, te non tam res gestas, quam mores, instituta, atque vitam imperatorum spectare solere, in habendis aut non habendis honoribus. Quod si in mea causa considerabis, reperies, me exercitu imbecillo contra metum maximi belli firmissimum præsidium habuisse, æquitatem & continentiam. His ego subsidiis ea sum consecutus, quæ nullis legionibus consequi potuissem: ut ex alienissimis sociis amicissimos, ex infidelissimis firmissimos redderem, animosque novarum rerum exspectatione suspensos, ad veteris imperii benevolentiam traducerem. Sed nimis hæc multa de me, præsertim ad te, a quo uno omnium sociorum querelæ audiuntur: cognosces ex iis, qui meis institutis se recreatos putant. Cumque omnes uno prope consensu de me apud te ea, quæ mihi optatissima sunt, prædicabunt: tum duæ maximæ clientelæ tuæ, Cyprus insula, & Cappadociæ regnum, tecum de me loquentur: puto etiam regem Deiotarum, qui uni tibi est maxime necessarius. Quæ si etiam majora sunt, & in omnibus seculis pauciores viri reperti sunt, qui suas cupiditates, quam qui hostium copias vincerent, est profecto tuum, cum ad res bellicas hæc, quæ rariora & difficiliora sunt, genera virtutis adjunxeris, ipsas etiam illas res gestas justiores esse & ma-

Neglectum a me olim) Cum provinciam deposui, ex qua fortasse triumphare potuissem. IDEM.

Si non jejunum) Inane, indignum. Vide quæ dixi ad II. ep. 17. III. ep. 10. CORT.

Mores instituta) Quomodo remp. & quibus moribus administraverint. Sæpe hæc conjungit Cicero. Nos quædam de voce ad Sall. Cat. c. 5. IDEM.

Qui suas cupiditates) Non aliud est, quod de Mario Vellej. II. c. 11. *Quantum bello optimus, tantum pace pessimus.* Confer omnino Sall. Cat. c. 2. ID.

Justiores esse) Manutius malit *illustriores*; quod non probo. *Justæ res* sunt quæ tantæ sunt, ut supplicationem

& majores putare. Extremum illud est, ut, quasi diffidens rogationi meæ, philosophiam ad te allegem: qua nec mihi carior ulla umquam res in vita fuit, nec hominum generi majus a diis munus ullum est datum. Hæc igitur, quæ mihi tecum communis est societas studiorum atque artium nostrarum, quibus a pueritia dediti ac devincti, soli propemodum nos philosophiam illam veram & antiquam, quæ quibusdam otii esse ac desidiæ videtur, in forum atque in rempub. atque in ipsam aciem pæne deduximus, tecum agit de mea laude; cui negari a Catone fas esse non puto. Quamobrem tibi sic persuadeas velim: si mihi tua sententia tributus honos ex meis litteris fuerit, me sic existimaturum, cum auctoritate tua, tum benevolentia erga me, mihi, quod maxime cupierim, contigisse. Vale.

EPISTOLA V.

Argumentum.

Mirum in hac epistola videre licet artificium: cum enim se Cato excuset, quia supplicationem non decreverit: idem tamen decretam esse gaudet: rursus, cum supplicationis honorem Ciceroni sua sententia non tribuerit; se tamen de illo sensisse honorificentius, quam eos, qui supplicationem decreverunt, probare conatur. Paullo, & Marcello Coss.

M. CA-

nem & triumphum mereantur. Sic *justum pretium*, *justa arma*, *justa acies*, apud Liv. *justus miles* apud Sueton *justa habitudo*, *magnitudo* apud alios; & plura talia. Græv.

Majus a diis munus) Verissime id quidem Cicero vel propter commoda illa, quæ recenset V. Tuscul. Qu. c. 2. & aliis locis quamplurimis. CorTIVS.

Otii esse ac desidiæ) Plerisque Romanis ita videbatur, & ipse Cicero, propter intensum horum studiorum amorem, ab invidis *Græculus* vocabatur, auctore Plutarcho in vita p. 875. adde Tacit Agricol. c. 8. Confer Sall. Iug c. 4. otii dixit, uti idem Crispus Iug. c. 83. *quia justitiæ videbatur, alienam rem periculo suo curare*. In.

Epi-

M. CATO M. T. C. IMP. S. P. D.

QVod & resp. me, & nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam virtutem, innocentiam, diligentiam, cognitam in maximis rebus, domi togati, armati foris, pari industria administrare gaudeam. Itaque, quod pro meo judicio facere potui, ut innocentia consilioque tuo defensam provinciam, servatum Ariobarzanis cum ipso rege regnum, sociorum revocatam ad studium imperii nostri voluntatem, sententia mea & decreto laudarem, feci. Supplicationem decretam, si tu, qua in re nihil fortuito, sed summa tua ratione & continentia, reipub. provisum est, diis immortalibus gratulari nos, quam tibi referre acceptum mavis, gaudeo. Quod si triumphi prærogativam putas supplicationem, & idcirco casum potius, quam te laudari mavis: neque supplicationem sequitur semper trium-

EPISTOLA V.

Administrari gaudeam) Amstelod. Mentel meus secundus, Lambiniana, & omnes editiones antiquiores, *administrare gaudeam*. Primus immutavit hanc scripturam P. Victorius, eumque secutus est Manutius & Gebhardus. Sed perperam. Quis enim *administrari* pro *exerceri*, ut Manutius interpretatur, umquam accepit, aut legit? *administrare* vero pervenuste sæpe ponitur absolute subintellecto rem, aut id quod administratur. Cæsar III. de Bell. Civ. c. 26. *Illo adhibita audacia & virtute, administrantibus, M. Antonio & Fusio Caleno, naves solvunt*. Id. IV. de Bello Gallico: *Equitesque in ulteriorem portum progredi, & naves conscendere & se sequi jussit: a quibus cum paullo tardius esset administratum, ipse hora circiter diei quarta cum primis navibus Britanniam attigit*. Sallust. Iugurth: *Milites neque pro opere consistere propter iniquitatem loci, neque inter vineas sine periculo administrare*. Eadem ratione & *curare* sæpe simpliciter usurpatur. Sallust. Catilin. cap. 59 *Caium Manlium in dextra, Fesulanum quemdam in sinistra parte curare jubet*: & sic alibi sæpius. GRÆV.

Administrare. Opus suum facere: absolute, ut Sall Iug cap. 92. ibi plura. CORT.

Laudarem) Laudarem tantum, sed supplicationem non decernerem: ep. 11. lib. VIII CORR.

Diis immortalibus gratulari) Quod in supplicationibus præcipue eveniebat. *Diis enim immortalibus supplicia decernebantur*, Sall. Iug. c. 55. & *gratulari* est proprie *gratias agere*. Terent. Heaut. A. V. Sc. I. v. 6. Liv. XXX. c. 17. Idem XLV. c. 2. CORT.

Triumphi prærogativam) Quia prærogativæ tribus vel centuriæ tantus erat suspectus & reverentia apud jure vocatos in comitiis, factum, ut vox ipsa *prærogativæ* acciperetur pro secundo omine, certo signo, indicioque & pignore ac quasi arrhabone futuræ rei optatæ vel secundæ. Cic. Act. I. in Verr. *Qui quam sit isti amicus, attendite: dedit enim prærogativam suæ voluntatis ejusmodi, ut illi pro prærogativa eam reddidisse videatur*. Liv. lib. III. *Icilius ubi audivit tribunos militum in Aventino creatos, ne comitiorum militarium prærogativam urbana comitia iisdem tribunis plebis sequerentur*. Et lib. XXI. *In Asdrubalis locum haud dubia* res

triumphus, & triumpho multo clarius est, senatum judicare, potius mansuetudine & innocentia imperatoris provinciam, quam vi militum, aut benignitate deorum retentam atque conservatam esse: quod ego mea sententia censebam. Atque hæc ego idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi, ut, quod maxime volo, existimes me laborare, ut tibi persuadeam, me & voluisse de tua majestate, quod amplissimum sim arbitratus: & quod tu maluisti, factum esse gaudere. Vale, & nos dilige, & instituto itinere severitatem diligentiamque sociis, & reip. præsta.

E P I S T O L A VI.

A R G V M E N T V M.

Exponit, eximia cum Catonis laude, quantam ceperit voluptatem ex ejus sententia, & ex litterarum gratulatione, petitque, ut, si favere noluerit in adipiscendo triumpho, saltem, si adipiscatur, gaudeat. Eodem anno.

M. T.

ne fuit, quin prærogativam militarem; qua extemplo juvenis Hannibal in prætorium delatus, imperatorque ingenti omnium clamore atque adsensu appellatus erat, favor etiam plebis sequeretur. Gronov. IV. Observ. cap. I. apud quem vide plura. Graev.

Casum potius, quam te laudari mavis) Lambinus rescribendum censet *quam te laudari vis*: sed cui hoc loquendi genus ignotum? Publius Terentius: *Ego numquam adeo astutus fui, quin quidquid possem mallem auferre potius in præsentia*. Sic *magis velle*; *rursus redire*, & mille talia. Graev.

Instituto itinere severitatem diligentiamque sociis & reip. præsta) Guilielmius putabat, *instituto in munere*: sed quam posui, est primigenia lectio, in editione prima & in Pall. Vaticano, Pack. Stewech. Hittorp. (ut & Amstelod.) propagata, adeo ut mirari subierit illam nuperam novitiam; *securitatem indulgentiamque*: cum Cato nihil minus nominarit, quam *indulgentiam*: o capita! GEBHARDUS. Recte vero omnes libri; *instituto itinere*: hoc est, ut facere cœpisti, secundum rationem agendi, quam adhuc secutus es. Sic apud Terent. Heauton. I. 1.

—— cœpi non humanitus,
Neque ut animum decuit ægrotum adolescentuli
Tractare: sed vi, & via pervulgata patrum.

hoc est, modo agendi, quem tenent vulgo patres. Auson.

Quod vitæ sectabor iter si plena tumultu
Omnia. Graev.

Ex-

M. T. C. M. CATONI S. P. D.

L*Ætus ſum laudari me*, inquit Hector, opinor, apud Nævium, *abs te*, *pater*, *a laudato viro*. Ea eſt enim profecto jucunda laus, quæ ab iis proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerunt. Ego vero vel gratulatione litterarum tuarum, vel teſtimoniis ſententiæ dictæ, nihil eſt quod me non adſecutum putem. Idque mihi cum ampliſsimum, tum gratiſsimum eſt, te libenter amicitiæ dediſſe, quod liquido veritati dares. Et, ſi non modo omnes, verum etiam multi Catones eſſent in civitate noſtra, in qua unum exſtitiſſe

EPISTOLA VI.

A*Bs te pat. laud. viro*) Al. *abs te pater a laudato viro*: ut etiam in Tuſcul. IV. legitur. CORRAD.

In laude vixerunt) Sic repræſentat illud *laudatum*. Similiter Lamprid. Sev. c. 59. *Poſthæc, cum ingenti amore apud populum & ſenatum viveret*. CORT.

Et, ſi non modo unus, verum etiam multi Catones eſſent) Nos auctoritate veterum codicum, & ratione ducti, *non modo omnes* emendavimus. Si, inquit, omnes eſſent Catones in Civitate noſtra, plus me putarem aſſecutum eſſe, poſtquam a te laudatus ſum, quam ſi mihi triumphus decretus fuiſſet. Sed quid dico omnes? ſi multi eſſent Catones, minus autem eſt multi, quam omnes, ejuſdem ſententiæ eſſem ut currum, laureamque præ tua laudatione contemnerem. Cum autem nedum omnes, aut multi ſint Catones, ſed vix unus fuerit, oportet etiam me reliquorum rationem habere; qui non recte, incorrupteque res judicant: nam eorum quoque exiſtimationem de me magnifacere debeo, cum velim famam & dignitatem meam Clodianis temporibus perculſam & labefactatam inſtaurare: apud quos ſi viderint me a ſenatu ornatum, triumphoque decoratum, rurſus ut ſolebam, florebo: ſin autem eo honore indignus exiſtimabor, numquam maculam illam delere potero. In longa autem ad ipſum epiſtola cauſam exponit, quare velit vel cupiat potius triumphare: ad ſanandum vulnus injuriæ; ſcilicet aptiſſimum triumphum eſſe ſibi judicans: quam etiam cauſam ad Atticum adfert libro VI. his verbis: *Amicorum litteræ me ad triumphum vocant, rem a nobis (ut ego arbitror) propter hanc παλιγγενεσίαν noſtram non negligendam*; videbatur enim ſibi poſt integré adminiſtratam provinciam quaſi exoriri, iterumque naſci: nec enim cenſebat aliter poſſe ſe acceptas injurias delere ex animis hominum, niſi ſummis poſtea honoribus ornatus eſſet, antiquaſque laudes ob conſervatam patriam ſibi merito tributas renovaſſet. Si autem omnes, aut multi ſaltem (gratius omnino, meliuſque fuiſſet, ſi omnes) eo judicio quo Cato eſſent, non opus ſibi eſſe Cicero exiſtimaſſet novis Senatus populique de ſua laude judiciis. Sciret enim in animis eorum numquam ſuam laudem imminutam eſſe, caſumque illum ſuum ab ipſis Reipub. calamitatem ærumnamque potius, quam ſuam habitum eſſe. VICTOR. *Etſi non modo omnes, &c.*) Sic legendum ex recenſione Victorii, editione primaria, Palatino ſexto, (Amſtelod.) Vaticani excerptis, Hittorpiano. Lambinus ne non ſinceriſſimas incruſtaret, faciebat, *quod ſi non modo omnes, verum, &c.* Guilielmius legebat, *&*, *ſi modo omnes*, *vel etiam multi*. Vulgo, *&*, *ſi non modo unus*, *verum*. GEBHARD. *Si non modo omnes*. Sic Vict. Gebh. Gron. Græv. ex MSis vulgo male; *ſi non modo unus*. Hoc vult: laudes tuas triumpho anteferrem

tiſſe mirabile eſt, quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? Nam ad meum ſenſum, & ad illud ſincerum ac ſubtile judicium, nihil poteſt eſſe laudabilius, quam ea tua oratio, quæ eſt ad me perſcripta a meis neceſſariis. Sed cauſam meæ voluntatis, non enim dicam cupiditatis, expoſui tibi ſuperioribus litteris: quæ etiam ſi parum juſta tibi viſa eſt, hanc tamen habet rationem, non ut nimis concupiſcendus honos, ſed tamen, ſi deferatur a ſenatu, minime adſpernandus eſſe videatur. Spero autem, illum ordinem, pro meis ob remp. ſuſceptis laboribus, me non indignum honore, uſitato præſertim, exiſtimaturum. Quod ſi ita erit, tantum ex te peto, quod amiciſsime ſcribis, ut, cum tuo judicio, quod ampliſsimum eſſe arbitraris, mihi tribueris, ſi id quod maluero accidit, gaudeas. Sic enim feciſſe te, & ſenſiſſe, & verius ſcripſiſſe video, reſque ipſa declarat, tibi illum honorem noſtrum ſupplicationis jucundum fuiſſe, quod ſcribendo adſuiſti. Hæc enim ſenatuſconſulta non ignoro ab amiciſsimis ejus, cujus de honore agitur, ſcribi ſolere. Ego, ut ſpero, te pro-

rem non modo ſi omnes Catones eſſent in civitate noſtra, qui virtutem per ſe æſtimarent & inanibus gloriæ non caperentur; ſed etiam ſi multi tantum eſſent, & reliquis inanium captatoribus aliquid dandum eſſet; quos tamen ſpernerem, ut multis illis probarer. Nunc vero cum unus tantum ſit, externos etiam honores certis de cauſis cupio, de quibus ep.4. CORT.

Vnum exſtitiſſe) Te: cum vero multi non ſint Catones, ſed plerique omnes potius ſint imperiti, iis etiam aliquid dandum eſt, & quaſi ſcenæ ſerviendum. CORRAD.

Quem ego currum, quam lauream) Hoc eſt, quem triumphum. Flor. IV. 2. *Primum de Gallia triumphum tranſmiſerat Rhenus, & Rhodanus, & ex auro captivus Oceanus; alterum laurus Ægyptia, &c. Tertius de Pharnace currus & Ponto*. Ibid. cap. 12. *Digna res lauro, digna curru ſenatui viſa*. GRÆV.

Superioribus litteris) Quarta hujus lib. CORRAD.

Non ut nimis concupiſcendus honos) Sic habent tres codices Memmiani, & Huraltinus, & Clericanus. LAMBIN.

Amiciſſime ſcribis) Epiſtola ſuperiore. CORRAD.

Sic enim feciſſe te, & ſenſiſſe, & verius ſcripſiſſe video) Sic Victorius & Palatini, ſicque ex codice vetuſto primam impreſſionem emendat Egnatius: neque aliter Vaticani excerpta, & Hittorpianus. Guilielmius nihilominus ariolabatur, *etſi ſic & feciſſe te*. Paullo poſt Peckio excerpta, Hittorpianus, Pall. ſcribunt, *cujus honore agitur ſcribi ſolere*: unde ille, *cujus honor agitur*. GEBHARD. Amſtel. Mentel. & Græv. ſec. quoque non agnoſcunt *de*, ut recte videatur conjeciſſe Guilielmius. Ovid. *Agitur pars tertia mundi*. Cic. pro Sulla: *At vero ... honos agebatur ampliſſimus familiæ noſtræ, hoc eſt, conſulatus parentis noſtri*. GRÆV.

Epi-

propediem videbo, atque utinam repub. meliore, quam timeo.

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

C. Marcello de consulatu gratulatur: suamque illi dignitatem commendat. Sulpicio & Marcello Coss.

M. T. C. PROCOS. C. MARCELLO COS. DESIGN. S. P. D.

MAxima sum lætitia affectus, cum audivi te consulem factum esse: eumque honorem tibi deos fortunare volo, atque a te pro tua parentisque tui dignitate administrari. Nam cum te semper amavi dilexique; tum mei amantissimum cognovi in omni varietate rerum mearum: tum patris tui pluribus beneficiis, vel defensus tristibus temporibus, vel ornatus secundis: & sum totus vester, & esse debeo: cum præsertim matris tuæ, gravissimæ atque optimæ feminæ, majora erga salutem dignitatemque meam studia, quam erant a muliere postulanda, perspexerim. Quapropter a te peto in majorem modum, ut me absentem diligas, atque defendas.

EPI-

EPISTOLA VII.

TE *Cos. factum*) Cum L. Paullo. CORRAD.

Fortunare volo) Verbum *Velle* vim alacritatis & lubentiæ habere, inter alia, hoc exemplo docuit I. Broeckhusius ad Prop. II. Eleg. VIII. v. 13. Sic in formula Terentii Phorm. A. V. Sc. III. v. 4. *factum volo*. In le factum, ut sæpe pro *volebant*, delerint librarii *vovebant*, vide Heins. ad Val. Flacc. V. v. 26. Ovid. I. Am. El. III. v. 3. CORT.

Parentisque tui) Epistola sequenti. CORRAD.

Secundis: & sum totus vester, & esse debeo) Succinctius ac melius sic editio prima & Victoriana, Palat. Hittorp. (Amstelod.) Peckio, Vaticanique excerpta; emisso illo superfluo humore ac pituita scholæ, *necesse est, ut & sim totus vester & esse debeam*. GEBHARD. *Totus vester*: *plane deditus*. Sic V. ep. 20. VII. ep. 5. adde notam ad VIII. epist. 8. & ad VI. epist. 7. Ter. Adelph. A. IV. Sc. II. *in amore totus est*. CORT.

Matris tuæ) Iuniæ: epistola sequ. CORRAD.

EPI-

EPISTOLA VIII.

ARGVMENTVM.

Gratulatur C. Marcello de filio consule designato: petitque, ut se absentem diligat atque defendat. Eodem anno.

M. T. C. PROC. C. MARCELLO COLLEGÆ S. P. D.

Marcellum tuum, consulem factum, teque ea lætitia affectum esse, quam maxime optasti, mirandum in modum gaudeo: idque cum ipsius causa, tum quod te omnibus secundissimis rebus dignissimum judico: cujus erga me singularem benevolentiam vel in labore meo, vel in honore perspexi: totam denique domum vestram vel salutis, vel dignitatis meæ studiosissimam cupidissimamque cognovi. Quare gratum mihi feceris, si uxori tuæ Iuniæ, gravissimæ atque optimæ feminæ, meis verbis eris gratulatus. A te id, quod suesti, peto, me absentem diligas atque defendas.

EPISTOLA IX.

ARGVMENTVM.

M. Marcello gratulatur de fratre patruele consule designato: petitque ab eo, ut sibi quamprimum, annuo provinciæ imperio finito, successor mittatur. Eodem anno.

M. T.

EPISTOLA VIII.

COLLEGÆ) In auguratu: quod ex lib. II. de Divinat. disces. CORRAD.

Marcellum tuum) C.Marcellum filium tuum. IDEM.

Cos. factum) Cum L.Paullo. IDEM.

Mirandum in modum gaudeo) Sic Pall. Stewech. Vaticani & Peckio excerpta: editiones, prima atque Victorii, non *mirum*: sicut infra introduxi ex editione prima, Victorio, Palatino primo (sic & Amstelod. & Mentel. & Græv. sec.) *A te id, quod suesti, peto*: licet negare non possim, exstare in Palatino sexto, Stewechiano, Hittorpiano, quemadmodum & Lambinus edidit, *consuesti*: sed illud germanius esse putavi. Vulgo excusum est, *quod consuevisti*. GERHARD.

Epi-

M. T. C. PROCOS. M. MARCELLO COS. S. P. D.

TE & pietatis in tuos, & animi in rempub. & clarissimi atque optimi consulatus, C. Marcello consule facto, fructum cepisse, vehementer gaudeo. Non dubito, quid præsentes sentiant: nos quidem longinqui, & a te ipso missi in ultimas gentes, ad cœlum mehercule te tollimus verissimis ac justissimis laudibus. Nam cum te a pueritia tua unice dilexerim, tuque me in omni genere semper amplissimum esse & volueris, & judicaris: tum hoc vel tuo facto, vel populi R. de te judicio, multo acrius vehementiusque diligo: maximaque lætitia afficior, cum ab hominibus prudentissimis, virisque optimis, omnibus dictis, factis, studiis, institutis, vel me tui similem esse audio, vel te mei. Vnum vero si addis ad præclarissimas res consulatus tui, ut aut mihi succedat quam primum aliquis, aut ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & senatusconsulto, & lege finisti, omnia me per te consecutum putabo. Cura ut valeas, & me absentem diligas, atque defendas. Quæ mihi de Parthis nunciata sunt, quia non putabam a me etiam nunc scribenda esse publice, propterea ne pro familiaritate quidem nostra volui ad te scribere: ne, cum ad consulem scripsissem, publice viderer scripsisse.

EPI-

EPISTOLA IX.

M. *MARCELLO COS.*) Cum Ser. Sulpicio. CORRAD.

C. Marcello) Fratre tuo patruele. IDEM.

Cos. facto) Cum L. Paullo. IDEM.

Et a te ipso missi) Vt a Cos. IDEM.

In ultimas gentes) Imperii Romani. Sic *ultimas*, *extremas terras* Cicero frequenter. Et sic etiam C. c. 16. CORT.

Hoc tuo facto) Quo C. Marcellum Cos. designandum curasti. CORRAD.

Populi R. de te judicio) Suffragiis declarato. IDEM.

Dictis factis) Quibus *omnia* comprehendere solent auctores. Sueton. Cæs. c. 76. Plura ad ea Crispi Cat. c. 23. *Prorsus neque dicere, neque facere quidquam pensi habebat*. CORT.

Similem) Æmulum quoque & imitatorem studiorum, & laborum tuorum, in Oratione pro ipso, & in Bruto vocat. CORRAD.

Et lege) Epist. 7. lib. II. IDEM.

EPI-

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

Commendat studiose suam existimationem consuli Marcello in supplicatione decernenda.

M. T. C. IMP. C. MARCELLO C. F. COS. DESIGN. S. P. D.

CVm id accidit, quod mihi maxime fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam (mirificus enim generis ac nominis vestri fuit erga me semper animus) cum ergo ita accidit, ut omnium vestrum studio tuus consulatus satisfacere posset, in quem meæ res gestæ, lausque & honos earum potissimum incideret: peto a te id quod facillimum factu est, non adspernante, ut confido, senatu, ut quam honorificentissimum senatusconsultum, litteris meis recitatis, faciundum cures. Si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligis me præcipue diligi. Patris tui beneficia in me sunt amplissima: neque enim saluti meæ, neque honori amicior quisquam dici potest. Frater tuus quanti me faciat, semperque fecerit, esse hominem qui ignoret arbitror neminem. Domus tua denique tota me semper omnibus summis officiis prosecuta est. Neque vero tu in me diligendo cuiquam concessisti tuorum. Quare a te peto in majorem mo-

EPISTOLA X.

C. *Marcello Cos.*) Male additur in vulgatis *designato*. Hæc enim epistola, & ea quæ proxime sequitur, ad consulem scriptæ sunt. LALLEM.

Cum ergo ita accidit) Epanalepsis est, Ciceroni usitatissima, ut I. ep. 9. *Scripsi etiam (nam etiam ab orationibus ... me refero ad mansuetiores musas) scripsi igitur Aristoteleo more tres libros*. Sic Plancus X. epist. 18. ubi vide notata. Cassius XII. ep. 13. Cicero IX. epist. 16. II. ad Qu. Fratr. ep. 3. XVI ad Attic. ep. 3. *Tu vero sapienter (nunc demum enim rescribo his litteris ...) sapienter igitur manus dedisti*. Vides, modo *sed*, modo *igitur* in adsumtione adhiberi, quod & alibi, ubi ad incepta redeunt, fieri solet, ut IX. ep. 8. *Tu ea igitur mediis excitatus misi*. XII. ep. 1. Plura Gronov. ad Liv. II. c. 12. & XXV. c. 27. C. Nepos Eumene c. 3. adde Boecler. ad ejusd. c. 2. & Davisium ad Cæsar. III. B. G. c. 20. & Drackenborch. ad Silium XII. v. 441. CORT.

Patris tui) Epist. 8. hujus libri. CORRAD.

Frater tuus) Patruelis M. Marcellus, superiore epist. IDEM.

Epi-

modum, ut me per te quam ornatissimum velis esse: meamque & in supplicatione decernenda, & in ceteris rebus existimationem satis tibi esse commendatam putes.

EPISTOLA XI.

ARGUMENTUM.

Agit gratias consuli Marcello de supplicatione decreta: eo se propediem ad urbem fore significat.

M. T. C. IMP. C. MARCELLO COS. DESIGN. S. P. D.

QVantæ curæ tibi meus honos fuerit, & quam idem exstiteris consul in me ornando & amplificando, qui fueras semper cum parentibus tuis & cum tota domo, etsi res ipsa loquebatur, cognovi tamen ex meorum omnium litteris. Itaque nihil est tantum, quod ego non tua caussa debeam, facturusque sim cum studiose, ac libenter. Nam magni interest, cui debeas: debere autem nemini malui, quam tibi: cui me cum studia communia, beneficia paterna, tuaque jam ante conjunxerant; tum accedit, mea quidem sententia, maximum vinculum, quod ita remp. geris, atque gessisti, qua mihi carius nihil est, ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantumdem ego unus debeam, non recusem. Quamobrem tibi velim hi sint exitus, quos mereris, & quos fore confido. Ego, si me navigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsos Etesias, propediem te, ut spero, videbo.

EPI-

EPISTOLA XI.

MEus honos) In decernenda mihi supplicatione. CORRAD.

Quam idem exstiteris . . . qui fueras) Quam me ornaveris & amplificaveris ita, ut semper consuevisti. *Quam* eleganter ita intendit. Vide IV. ep. 5. VIII. ep. 1. CORT.

Parentibus tuis) Epist. 3. hujus lib. CORRAD.

Cum studiose ac libenter) Vix tamen integram judico hanc lectionem. Neque vero emendationem eorum contra omnes libros probo, qui *cum . . sum* edidere. Sed Cicero dedit *cum studio & libenter*: quod eo facilius credideris, si conferas quæ dixi ad XIII. ep. 69. adde tamen XVI. epist. 21. CORT.

Quæ incurrebat in ipsas etesias) Cum in

EPISTOLA XII.

Argumentum.

Et gratulatur Paullo de consulatu, sicuti epist. 7. gratulatus est Marcello: & ab eo petit, ut operam det, ne quid sibi temporis ad annuum provinciale munus addatur. Marcello, & Ser. Sulpicio Coss.

M. T. C. IMP. L. PAVLLO COS. DESIGN. S. P. D.

ETSI mihi numquam fuit dubium, quin te populus R. pro tuis summis in remp. meritis, & pro amplissima familiæ dignitate, summo studio, cunctis suffragiis consulem facturus esset: tamen incredibili lætitia sum affectus, cum id mihi nunciatum est: eumque honorem tibi deos fortunare volo, a teque ex tua, majorumque tuorum dignitate administrari. Atque utinam præsens illum diem mihi optatissimum videre potuissem, proque tuis amplissimis erga me studiis atque beneficiis tibi operam meam studiumque navare. Quam mihi facultatem cum hic nec opinatus & improvisus provinciæ casus eripuit; tamen, ut te consulem rempub. pro tua diguitate gerentem videre possim, magno-

in aliis editionibus, tum in Manutiana, & ea quæ nuperrime exiit, ita legitur, consentientibus etiam nonnullis Ciceronianis; quos ego libenter rogaverim, cujus generis sit *ete-sias*: & libri proxime sequentis epistola IX. ex quota declinatione Græca factum sit *hebdomadam*. Sed hæc Græca sunt, ideoque ab illis ignorantur: & ut Græca non essent, ignorare tamen eu suo quodam jure possent: quia non esse ex Ciceronianæ grandiloquentiæ dignitate, in ediscendis grammaticorum Latinorum, nedum Græcorum, præceptionibus tempus atque operam ponere Ciceronipetæ isti existimant. Testis ille, qui ita scribit: *pro plurali singulare positum est*. Quod grammatice peritus dixisset: *pro plurali singularis positus est*. Sed quid si apud Tullium vocem *numerum* neutro genere usurpatam in vetusto exemplari reperit, in illo ipso nimirum, in quo & *multissimus* pro *plurimus* se reperisse dicebat ex eadem familia quidam, atque adeo usurpabat? Quemadmodum vero dicit *singulare* (numerum) *positum est*, novo quodam more: ita etiam paullo post *quanta* pro eo quod dicimus *quot*, vel *quam multa*. Quid si vero etiam hic alicujus vetusti libri auctoritate nititur? At tu lege hic *ipsos*, & *hebdomadem*. Henr. Stephanus.

Epistola XII.

L. *PAVLLO COS. DES.*) Cum C. Marcello. Corrad.

Illum diem) Comitiorum. Idem.

Navare). In petitione Consulatus. Idem.

Epi-

gnopere a te peto, ut operam des, efficias, ne quid mihi fiat injuriæ, neve quid temporis ad meum annuum munus accedat. Quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet.

EPISTOLA XIII.

ARGVMENTVM.

Petit, ut sibi supplicationem decernendam curet: suamque ceteris in rebus existimationem commendat. Paullo, & Marcello Coss.

M. T. C. IMP. L. PAVLLO COS. S. P. D.

MAxime mihi fuit optatum Romæ esse tecum multas ob caussas, sed præcipue, ut & in petendo, & in gerendo consulatu meum tibi debitum studium perspicere posses. Ac petitionis quidem tuæ ratio mihi semper fuit explorata: sed tamen navare operam volebam. In consulatu vero cupio equidem te minus habere negotii: sed moleste fero, me consulem studium tuum adolescentis perspexisse, te meum, cum id ætatis sim, perspicere non posse. Sed ita fato nescio quo contigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper detur facultas, mihi ad remunerandum nihil suppetat præter voluntatem. Ornasti consulatum, ornasti reditum meum. Incidit meum tempus rerum gerendarum in ipsum consulatum tuum. Itaque cum & tua summa amplitudo & dignitas, & meus magnus honos magnaque existimatio postulare videatur, ut a te plurimis verbis contendam ac petam, ut quam honorificentissimum senatusconsultum de meis rebus gestis faciendum cures, non audeo vehementer a te contendere, ne aut ipse tuæ perpetuæ consue-

EPISTOLA XIII.

MIhi *semper fuit explorata*) Habui pro *expedita*, ut nec mea, nec alius opera ad *explicandam* eam egeres: adde XIII. ep. 19. CORT.

Mihi ad remunerandum) Legendum censeo, *mihi ad te remunerandum*, *&c.* LAMBIN.

Ornasti reditum meum) Ab exsilio. CORRAD.

Rerum gerendarum) In Cilicia. IDEM.

ſuetudinis ergà me oblitus eſſe videar, aut te oblitum putem. Quare, ut te velle arbitror, ita faciam: atque ab eo, quem omnes gentes ſciunt de me optime meritum, breviter petam. Si alii conſules eſſent, ad te potiſſimum, Paulle, mitterem, ut eos mihi quam amiciſsimos redderes: nunc, cum tua ſumma poteſtas ſummaque auctoritas, notaque omnibus noſtra neceſsitudo ſit, vehementer te rogo, ut & quam honorificentiſsime cures decernendum de meis rebus geſtis, & quam celerrime. Dignas res eſſe honore & gratulatione, cognoſces ex iis litteris, quas ad te, & collegam, & ſenatum publice miſi; omniumque mearum reliquarum rerum, maximeque exiſtimationis meæ procurationem ſuſceptam velim habeas. In primiſque tibi curæ ſit, quod abs te ſuperioribus quoque litteris petivi, ne mihi tempus prorogetur. Cupio te conſulem videre, omniaque ſpero cum abſens, tum etiam præſens, te conſule, adſequi. Vale.

EPISTOLA XIV.

ARGUMENTUM.

Facturum ſe ſtudioſe Fabii cauſa, quæ Caſſius rogaverat, pollicetur; dolet ſe Caſſium non vidiſſe ad urbem e provincia redeuntem: rogat, operam det, ne quid ſibi temporis ad annuam provinciæ adminiſtrationem accedat. Paullo & Marcello Coss.

M. T. C. IMP. C. CASSIO PROQUÆST.
S. P. D.

M. Fabium quod mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quæſtum: multi enim anni ſunt, cum

Et collegam) C. Marcellum. CORR.
Exiſtimat. m. pr. ſuſceptam) Pergas, quod facere cœpiſti, quovis modo exiſtimationem meam defendere. Neque Ciceronem opinio fefellit. Quamvis enim uterque conſul illi faveret: Paullus tamen in ſupplicatione decernenda plus laboravit: lib. VIII. ep. 11. FUNC.

EPISTOLA XIV.

C. *CASSIO PRO QUÆST.*) Epiſt. 10. lib. VIII. CORR.

M. Fa-

cum ille in ære meo est, & a me diligitur propter summam suam humanitatem & observantiam. Sed tamen quod ab eo egregie dilligeris, multo amicior ei sum factus. Itaque quamquam profecerunt litteræ tuæ; tamen aliquanto plus commendationis apud me habuit animus ipsius erga te, mihi perspectus & cognitus. Sed de Fabio faciemus studiose, quæ rogas: tu multis de causis vellem me convenire potuisses: primum, ut te, quem jamdiu plurimi facio, tanto intervallo viderem: deinde, ut tibi, quod feci per litteras, possem præsens gratulari: tum, ut quibus de rebus vellemus, tu tuis, ego meis, inter nos communicaremus: postremo, ut amicitia nostra, quæ summis officiis ab utroque culta est, sed longis intervallis temporum interruptam consuetudinem habuit, confirmaretur vehementius. Id cum non accidit, utemur bono litterarum, & eadem fere absentes, quæ, si coram essemus, consequemur. Vnus scilicet fructus, qui in te videndo est, percipi litteris non potest: alter

M. Fabium) Epist. 14. lib. II. IDEM.

Cum ille in ære meo est) *Cum* pro *quibus*. Sic *ex quo* & *postquam* alibi adhibentur. Plaut. Aulul. Prolog. v. 4. Idem Asinar. A. V. Sc. II. v. 40. Persa A. I. Sc. III. v. 56. CORT.

Sed tamen quod ab eo egregie diligi sensi) Sic Victorius emendavit. Antea legebatur, *sed tamen quod te ab eo egregie diligi sensi*. Sed in MSis abest *te*: sensus tamen id postulat. Itaque rectius scribi censeo in Amstelodam. Palat. prim. Mentel. meo secundo, *sed tamen quod ab eo egregie dilligeris*. GRAV.

Convenire potuisses) In Cilicia. CORRAD.

Tanto intervallo viderem) Ad annos quatuor: hoc est, a profectione Crassi in Parthos ad L. Paullum & C. Marcellum Coss. IDEM. Post tantum intervallum, tanto intervallo interjecto, ut *paucis diebus*, & similia dicuntur. Confer omnino citata ad XIV. epist. 5. adde X. ep. 23. & II. ep. 7. Iustinus cum aliis addit *Post*: *nec multo post tempore* & similia, quod vero in iis dictionibus etiam omitti, docuit Gronovius ad Livium XXX. c. 21. CORT.

Bono litterarum) Sic eleganter antiquissimi pariter, ac recentiores loquuntur, ubi id, quod res quæque operatur, & commoda ejus denotare volunt. Sic VI. ep. 5. Quinctil. Declam. CCXCVI. Instit. Orat. XI. c. 3. *vocis bona*. Scriptores Ecclesiastici: *de bono Crucis*, & similia protulerunt. IDEM.

Vnus scilicet ille fructus) Secutus sum libros vulgatos. Nam manuscr. alii habent *unus ille fructus*: alii *unus scilicet fructus*: alii *unus scilicet uni fructus*. LAMBIN. *Vnus fructus, qui in te videndo est*) Sic scripsi, quod alii libri ignorant τὸ *ille* (sicut Pall. Hittorpianus, Peckio excerpta, editio prisca, & Manutiana,) alii τὸ *scilicet*, quæ revera duæ voculæ ab glossographo interjectæ sunt. Palatinus certe sextus, *unus scilicet fructus*: quod numquam alias facere solet, ut inter scribendum voluerit consulere captui suo. Nihil verius est hac nostra emendatione, GEBHARD. Amstelod. *unus scilicet uni fructus*. *Scilicet* cum in omnibus exstet libris Pall. quos Gebhardus,

alter gratulationis est; is quidem exilior, quam si tibi teipsum intuens gratularer. Sed tamen & feci ante, & facio nunc, tibique cum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quod te de provincia decedentem summa laus, & summa gratia provinciæ prosecuta est. Tertium est, ut id, quod de nostris rebus coram communicassemus inter nos, conficiamus idem litteris. Ego ceterarum rerum causa tibi Romam properandum magnopere censeo. Nam & ea, quæ reliqui, tranquilla de te erant: & hac tua recenti victoria tanta, clarum adventum tuum fore intelligo. Sed si qua sunt onera tuorum, si tanta sunt, ut ea sustinere possis, propera: nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius; sin majora: considera, ne in alienissimum tempus cadat adventus tuus. Hujus rei totum consilium tuum est: tu enim scis, quid sustinere possis. Si potes, laudabile atque populare est: sin plane non potes, absens hominum sermones facilius sustinebis. De me autem idem tecum his ago litteris, quod superioribus egi, ut omnes tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam & senatus, & populus annuam esse voluit, temporis prorogetur. Hoc a te ita contendo, ut in eo fortunas meas positas putem. Habes Paullum nostrum

nostri

dus, Guilielmius, & ego inspexi, minime delendum est. GRÆV.

Pro rerum magnitudine) Quas gessisti in Syria contra Parthos. CORR.

Hac tua recenti victoria tanta) Contra Parthos, quos ab oppido Antiochia insecutus, rem bene gessisti, quo tempore ego Amanum vastavi. CORRAD.

Onera tuorum) Forte accusationes quorumdam ex iis, qui cum Cassio in provincia fuerant, quorum damnatio præjudicium fuisset in Cassium. LALLEM.

Prope nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius) Recepi quidem hanc lectionem ob consensum tot librorum: habetur enim illa in Palatino primo, Vaticani, & Peckio excerptis, editionibus, primana, Victoriana; sed tamen ut magis probem Palatini sexti scripturam, *propera; nihil tibi erit lautius*: ut emendavit recte Manutius, quod in uno Masseorum invenisse testatur, & in altero uno *propere*. Vulgatum est, *ut ea sustinere possis: nihil tibi erit lautius*. GEBHARDUS. In contextu tamen recte secutus est Manutium, quamvis & Amstelod. & Mentel. legunt quoque *prope*. GRÆV.

Laudabile atque populare) Populo gratum, atque acceptum. Confer quæ dixi ad IX. ep. 14. adde XII. ep. 4. CORT.

Nervos in eo contendas) Intendas vim, atque operam tuam. Vide notam ad III. ep. 10. IDEM.

Paullum nostrum) Consulem. CORRAD.

Est

nostri cupidissimum : est Curio , est Furnius. Sic velim existimare, quasi in eo sint mihi omnia. Extremum illud est de iis, quæ proposueram, confirmatio nostræ amicitiæ, de qua pluribus verbis nihil opus est. Tu puer me appetisti, ego autem semper ornamento te mihi fore duxi : fuisti etiam præsidio tristissimis meis temporibus. Accessit post tuum discessum familiaritas mihi cum Bruto tuo maxima. Itaque in vestro ingenio, & industria mihi plurimum & suavitatis, & dignitatis constitutum puto. Id tu ut tuo studio confirmes, te vehementer rogo : litterasque ad me & continuo mittas, & cum Romam veneris, quam sæpissime.

EPISTOLA XV.

ARGVMENTVM.

Consilium suum de non renovando civili bello demonstrat: clementiam Cæsaris laudat : Italiæ gemitum, & civitatis querelas ostendit: Cassii sententiam non de præsentibus modo, sed etiam de futuris rebus exquirit. Cæsare iterum, & Servilio Coss.

M. T. C. CASSIO S. P. D.

ETsi uterque nostrum spe pacis, & odio civilis sanguinis abesse a belli pertinacia voluit : tamen, cum ejus consilii princeps ego fuisse videor, plus fortasse tibi præstare

Est Curio, est Furnius) Ambo Tribuni plebis. IDEM.

Puer me appetisti) Quod in rebus amoris Suetonius, & alii usurpant. Hic *desiderium amicitiæ* denotat. CORT.

Post tuum discessum) Cum Crasso. CORR.

Cum Bruto tuo) Cum M. Bruto, cujus tu sororem Juniam tertiam habes uxorem. ID.

EPISTOLA XV.

ABesse a belli pertinacia voluit) Vulgo *necessaria pertinacia*: sed nos tum voculam non necessariam & hic ineptam, tum a Palatino sexto, Hittorpiano, Mediceo, Victoriana editione exclusam rejicere ipsi quoque voluimus. GEBH.

Voluit) Ego, Pompeio victo, in Italiam rediens : tu, classem in Hellesponto Cæsari tradens. CORR.

Ejus consilii princeps) Discedendi ab armis. IDEM. Ejus ego rei primum consilium cepi & dedi. GRAV. *Auctor*, cum quo conjungere solet Cicero, ut videre est ex nota ad ep. 4. CORT.

ſtare ipſe debeo, quam a te exſpectare. Etſi, ut ſæpe ſoleo mecum recordari, ſermo familiaris meus tecum, & item mecum tuus, adduxit utrumque noſtrum ad id conſilium, ut uno prœlio putaremus ſi non totam cauſam, at certe noſtrum judicium definiri convenire. Neque quiſquam hanc noſtram ſententiam vere umquam reprehendit, præter eos, qui arbitrantur melius eſſe deleri omnino remp. quam imminutam & debilitatam manere. Ego autem ex interitu ejus nullam ſpem ſcilicet mihi proponebam, ex reliquiis magnam. Sed ea ſunt conſecuta, ut magis mirum ſit accidere illa potuiſſe, quam nos non vidiſſe ea futura: nec, homines cum eſſemus, divinare potuiſſe. Equidem fateor meam conjecturam hanc fuiſſe, ut illo quaſi quodam fatali prœlio facto, & victores communi ſaluti conſuli vellent, & victi ſuæ: utrumque autem poſitum eſſe arbitrabar in celeritate victoris. Quæ ſi fuiſſet, eamdem clementiam experta eſſet Africa, quam cognovit Aſia, quam etiam Achaia, &, ut opinor, ipſo legato ac deprecatore. Amiſsis autem

Præter eos) Intelligit eos, qui bellum in Africa renovarunt. CORRADVS.

Spem ſcilicet mihi) *Scilicet* demonſtrandi vim habet, ut IV. ep. 6. CORT.

Prælio facto) Primo, hoc eſt, Pharſalico. CORR.

Et victores communi ſaluti conſuli vellent, & victi ſuæ: utrumque autem propoſitum eſſe arbitrari in celeritate victoris) Ita hunc orationis tractum reformavi ex Palatino primo, duobus Guilielmianis, ac Medicæo; niſi quod ille *conſule*, pro *conſuli*, antiqua ſcriptura. Paullo etiam ante *quaſe* (ſicut & Hittorpianus) ponit pro *quaſi*: ut *ſive* pro *ſivi*. Vulgo editum eſt: *Communi ſaluti conſulere vellent, & victi ſuæ: utrumque autem poſitum eſſe arbitrabar*. GEBHARD. Quamvis etiam in Amſtelodam. legitur *propoſitum*, ſententia tamen non fert hoc verbum. Præterea quo hunc locum conſidero diligentius, tanto magis mihi perſuadeo, *arbitrari* irrepſiſſe hic, & eo remittendum, unde malum pedem tulit. Sin hæc videantur φορτικώτερα, diſtinguendum & legendum cum Manutio & vulgatis, *victi ſuæ: utrumque autem poſitum eſſe arbitraber in celeritate victoris*. Illam tamen ſcripturam, *propoſitum* & *arbitrari* omnes tres noſtri codices præ ſe ferunt. GRÆV.

Experta eſſet Africa) Vbi tunc bellum a Pompeianis renovabatur. CONRAD.

Quam cognovit Aſia, quam etiam Achaia) Cæſar enim multis, qui ſe in Aſiam, aut in Achaiam contulerant, veniam dedit. IDEM.

Et, ut opinor, ipſo legato) Cæſarem hic legatum fingit Manutius, quod nullo modo procedit. Forte: *Te, ut opinor, ipſo allegato ac deprecatore*. Te apud Cæſarem pro iis interveniente. De verbo *allegare* hoc lib. ep. 4. & 10. I. FR. GRON. *Ipſo legato*) Cæſare. CORRAD. Sed Cæſar non fuit legatus. Hinc conjicit Gronovius: *Te, ut opinor, ipſo allegato ac deprecatore*: te apud Cæſarem pro iis interveniente. Sic *allegare* accipitur ep. 4. & 10. hujus libri. GRÆV.

Ipſum

autem temporibus, quæ plurimum valent, præsertim in bellis civilibus, interpositus annus alios induxit, ut victoriam sperarent, alios, ut ipsum vinci contemnerent. Atque horum malorum omnium culpam fortuna sustinet. Quis enim aut Alexandrini belli tantam moram huic bello adjunctum iri, aut nescio quem istum Pharnacem Asiæ terrorem illaturum putaret? Nos tamen in consilio pari casu dissimili usi sumus: tu enim eam partem petisti, ut & consiliis interesses, &, quod maxime curam levat, futura animo prospicere posses: ego, qui festinavi, ut Cæsarem in Italia viderem, sic enim arbitrabamur, eumque multis honestissimis viris conservatis redeuntem, ad pacem currentem, ut ajunt, incitarem, ab illo longissime & absum, & absui. Versor autem in gemitu Italiæ, & in urbis miserrimis querelis: quibus aliquid opis fortasse ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisque parte ferre potuisset, si auctor adfuisset. Quare velim pro tua perpetua erga me benevolentia, scribas ad me, quid videas, quid sentias, quid exspectandum, quid agendum nobis existimes. Magni erunt mihi tuæ litteræ: atque utinam primis illis, quas Luceria misse-

Ipsum vinci contemnerent) Verbum loco Nominis positum. Silius I. v. 13. Lucan. I. v. 282. Adde omnino Donatum ad Ter. Andr. A. III. Sc. II. v. 7. Auson. Idyll. 30. CORT.

Culpam fortuna sustinet) Sic plane IX. ep. 8. *Sed superiorum temporum fortunæ reip. causam sustineat*: fortunæ tribuitur, fortuna in culpa est. IDEM.

Alexandrini belli) Quasi dixisset *Alexandrino bello*, *per* bellum illud, quod A. Hirtius, sive alius quisquam late descripsit. Confer de structura V. ep. 2. II. ep. 3. IDEM.

Istum Pharnacem) Mithridatis filium, Ponti regem, quem cum Cæsar vicisset, tria illa verba ad amicos scripsit: *Veni, vidi, vici*. CORRAD.

Illaturum putaret) Victo Cn. Domitio Calvino, cui Cæsar Asiam, finitimasque provincias administrandas tradiderat. IDEM.

Consiliis interesses) Primum Alexandriam profectus, deinde Cæsarem contra Pharnacem secutus. ID.

Currentem, ut ajunt, incitarem) Simile est illud Plinii lib. I. ep. 8. *Addidisti ergo calcaria sponte currenti*. Nec abeunt istæ loquendi rationes apud Quinctil. Decl. XII. *Vulneratum jugulasti, titubantem stravisti, fumantem incendisti*, Eurip. Alcest. v. 1064. Μή μ' ἕλῃς ᾑρημένον. *Ne me occidas perditum*. Cic. Lib. XIII. ad Attic. ep. 45. CVPER. Sumtum est ab Homero proverbium, ut docuit Cellarius ad Plin. I. ep. 8. quem vide. CORT.

Miserrimis querelis) Propter scelera & seditiones Marci Antonii, magistri equitum, & L. Trebellii, atque P. Dolabellæ Trib. pleb. CORR.

Si auctor) Cæsar. CORR.

Luceria) Luceria est oppidum Apuliæ infra Theanum ad fluvium Cerbalum, qui nunc *Foggia* dicitur: ipsum vero oppidum nunc *Lucera* & *Nocera*. Fuit colonia Romanorum, quam Pompeius

miseras, paruissem: sine ulla enim molestia dignitatem meam retinuissem. Vale.

EPISTOLA XVI.

ARGUMENTUM.

Iocatur in opiniones Epicureorum; id est, in ipsum Cassium, Epicureæ philosophiæ deditum. Cæsare quartum consule, bellum in Hispania contra Pompeii liberos gerente. Videtur autem scripta post sequentes duas: ut hic sit ordo: prima, quæ incipit, Longior epistola: *secunda*, Præposteros, *quam ipse alteram esse dicit: tertia*, Puto te, *quam tertiam appellat.*

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

PUto te jam suppudere, cum hæc te tertia jam epistola ante oppresſit, quam tu scidulam, aut litteram: sed non

peius hoc bello civili sibi sedem belli elegerat. Appiano dicitur Νυκερια, sicut & hoc loco in Amstelodam. scribitur *Nuceria*, in aliis *Niceria*. Nimirum hæ litteræ facile invicem permutantur, uti & vulgata hujus temporis ostendit appellatio. Nam & nunc *Luceria* & *Nocera* dicitur. Est alia in Gallia Togata ejusdem nominis urbs, quæ itidem in antiquis monumentis modo *Luceria*, modo *Nuceria* dicitur. GRAEV.

EPISTOLA XVI.

CUm hæc tertia jam epistola ante te oppresſit) Nos cum antiquis codicibus *ante operis sit* scripsimus, eleganti (ni fallimur) sensu: etsi nos intelligimus eruditos viros, ut in aliis quibusdam, receptam lectionem secutos, eodem modo dicendi usos esse, ut qui antiquam scripturam non vidissent: illam enim, ut opinor, magis probassent. *Puto te suppudere*, inquit, *cum hæc tertia jam epistola sit operis*, id est opus, volumenque pæne conficere possit, quam tu schidam, aut litteram; hæc enim infra posita non respondent numero epistolarum, sed magnitudini suarum jam trium: illius se mirari dicit ne *schidulam* quidem habere, aut litteram. *Scidulam* autem ut in antiquis libris semper invenimus, scripsimus sine aspiratione, licet a verbo σχίζω videatur deductum esse nomen. Alia autem sunt nomina a Græcis derivata aspiratam litteram habentibus, ipsa tamen non retinent. Sic autem & in epistolis ad Atticum hoc nomen scriptum invenimus libro primo: *Enitere per amicos, clientes, hospites, libertos denique, ac servos tuos, ut scida neque depereat*. Et in Plinianis vetustis codicibus. Alii autem *schedam* scribunt, ut hic omnes vulgati codices habebant, quod non tam probo. VICTOR. *Cum hæc tertia jam epistola ante operis sit*) Quod ita olim scripsimus, dedimus id antiquorum codicum auctoritati, in quibus ita scriptum ostendimus; vetustam lectionem quibus potuimus argumentis confirmavimus, quam qui non probat, receptam sequatur. IDEM in posterior. Adnotationibus. Quinque Palatini, Gruteria-

non urgeo: longiores enim exspectabo, vel potius exigam. Ego, si semper haberem, cui darem, vel ternas in hora darem. Fit enim nescio quid, ut quasi coram adesse videare, cum scribo aliquid ad te: neque id κατ' ειδωλων φαντασιας, ut dicunt tui amici novi: qui putant etiam διανοητικας

teriamus, *ante operis fit*, *quem tu scedam aut litteram*: ut mirer profecto tum hic maxime Manutium obscœvantem tam candidis Victorii auspiciis. Palatinus sextus solus, *cum hæc te tertia jam epistola ante oppresserit, quam tu cedulam*. Retinui ergo lectionem a Victorio, homine antiquitatis & Ciceronis studiosissimo, primo ex Mediceo productam, & a tot Palatinis libris stabilitam; sed in eo ab illo dissensi, quod *schedulam* prætulerim, licet non damnem illius *scidam* & in Vaticani excerptis propositam. Lambini fidem hic merito suspectam habeo, reponentis *syllabam aut litteram*. Vulgo, *cum hæc te tertia jam epistola ante oppressit quam tu schedulam*, &c. GRUTERUS. Tres quoque codices, quibus usus sum, scribunt, *operiq fit*, sed sine ullo sensu. Nam illum, quem P. Victorius elicuit inde, nemo deprehendere potest Latine sciens in his verbis. Quis enim ita loquitur *epistola operis est*, pro *opus est*? Sed licet hoc loquendi genus posset probari, sententiam tamen quis probabit? ut recte vidit Manutius. Itaque cum Riccii codici adstipuletur Palatinus sextus, & unus alterque Guilielmii, & omnes editiones ante Victorianam, non dubitavi & hic Manutium potius sequi, quam Victorium. GRÆV. *Cum hæc te tertia*) Pronomen *te* non est in MSis: lego, *quem hæc tertia epistola jam ante oppressit*: cui supervenit, *quam tu schedam aut litteram* intellige ad me miseris. I. FR. GRON. *Ante te oppressit*. Ex improviso ad te venit. Confer IX. ep. 13. CORT.

Quem tu schedulam aut litteram) Ego potius putavi esse legendum *quam tu syllabam aut litt.* quemadmodum reperi scriptum in cod. Memm. & Cleric. quam vel, ut habent excusi, *scedulam*, vel, ut P. Victorius edidit, *scidam*: quod Carisius interpretatur chartam. Nam præter horum librorum auctoritatem (quam non puto contemnendam præ aliorum auctoritate) longe, meo quidem judicio, concinnius & elegantius est ita loqui: Hæc epistola te oppressit, ante quam tu ad me syllabam, aut litteram miseris: quam sic: Ante quam tu ad me chartam, aut litteram. Supra autem legendum fortasse est, *oppresserit*, ubi est *oppressit*, pro *operis fit*: quod est in libris manuscriptis. LAMB. Alii tamen omnes libri refragantur. GRÆV. *Scidulam* est ex antiquissimis libris, qui & *scidam* pro *schedam* aliis locis exhibent. Antiqui enim consonantibus non aspirabant: vide Cic. in Orat. c. 48. & inter E & I arctissimam esse cognationem abunde notum est. Supple præterea *dedisti*, *scripsisti*, ut IX. ep. v. *Sed quid ego hæc ad te?* CORT.

Longiores enim exspectabo) Plura Nonius Marcellus c. 4. n. 152. citat, quam in omnibus editis habentur, hoc pacto: *Sed non urgeo. Longiores enim exspectabo, vel potius exigam, quando hercle ego temere exigam*: quæ sane non adeo absurda sunt. ID.

Κατ' ειδη η φαντασιας) Antiqui codices aliter, nec tamen, ut putamus, incorrupte, sed longe minore errato, κατ' ειδων φαντασιας. Nos duas litteras in medio defecisse arbitrati pro ειδων, ειδωλων scripsimus. Putabant enim Epicurei, ut infra copiose disputat, non aliter nos de aliquo absente cogitare, nisi simulacrorum spectrorumve phantasiis impulsi. Quod cum apertius hac epistola disseratur, planumque omnibus mediocriter doctis sit, a nobis longius non tractabitur. VICTOR. *Κατ' ειδη η φαντασιας*) *Per species vel visa: per species & imagines*, videtur quasi interpretari Cicero ipse lib. II. de Divinatione, ubi de his plura disputat; alii tamen legunt, κατ' ειδων φαντασιας. alii κατ' ειδωλων φαντασιας. CORR.

Tui

τικας φαντασιας spectris Catianis excitari. Nam, ne te fugiat, Catius Insuber, Epicureus, qui nuper est mortuus, quæ ille Gargettius, etiam ante Democritus, ειδωλα, hic spectra nominat. His autem spectris etiam si oculi possent feriri, quod vel iis ipsa occurrunt, animus qui possit, ego non

Tui amici novi) Epicurei. Cassius enim, auctore Plutarcho in Cæsare & Bruto, Epicureus erat. ID.

Catius insuper Epicureus —— quæ ille Gargettius) Sic omnes vetusti & impressi codices. Quidam nuper *Insuber* emendarunt, quam nec damnamus, nec sequimur adhuc lectionem: nusquam enim patriam ejus, regionemve, in qua ortus esset, invenimus. Est autem *Catius* ille, de quo Horatius in Satyris: nam per *Gargettium* Epicurus intelligitur a loco ubi natus. Laertius in principio ejus vitæ: Επικουρος Νεοκλεους και Χαιρεστρατης, Αθηναιος, των δημον Γαργηττιος, γενους τε των Φιλαιδων. *Epicurus Neoclis & Chæreſtratæ filius, Athenienſis, domo Gargettius, genere Philladarum*. Statius etiam eumdem, *ſenem Gargettium* appellat. VICTOR. *Catius*) Hic scripsit quatuor libros de rerum natura, & de summo bono, de quo Quinctilianus ita scribit: *In Epicureis levis quidem, ſed non injucundus tamen auctor eſt Catius*. CORR. *Ille Gargettius*) Epicurus, qui τον δημον Γαργηττιος a Diogene Laertio, a Suida vero Γαργηττειος fuisse dicitur. ID. *Gargetthius* poscit Græca scribendi consuetudo, & in veteribus etiam numismatibus ΓΑΡΓΗΤΘΟΣ scriptum reperitur. VRS. Puto falli Vrsinum. Non enim Γαργηττιος exstat in nummis, sed Γεργιθος. Apud Golzium in thesauro exhibetur nummus Γεργιθιων. Γαργιθος erat oppidum Æolidis, quod etiam dicebatur Γεργις, & Γεργιθα, teste Strabone, & Stephano, de quo plura viri Cl. Holstenius ad Stephanum & Harduinus in nummis antiquis populorum & urbium illustratis. Δημος Epicuri dicebatur *Gargettus*: hinc ipse Statio I. Sylv. 3. *ſenior Gargettius*. GRÆ.

Democritus) Quem secutus est Epicurus. CORRAD.

Ειδωλα) *Simulacra*, *imagines*, quas effluere semper ex omnibus corporibus putavit. *Viſum* per illas fieri, ex eorum opinione proponit A. Gellius V. c. 16. Adde Gassend. de phil. Epic. P. II. sect. I. c. II. Gentil. ad Apulej. Apolog. §. 203. CORT.

Quod vel iis ipſa occurrunt) Quis non videat hunc locum, *quod velis ipſa currunt* depravatum esse? & tamen omnes codices sic habent. Germanicus tantum pro *currunt*, *occurrunt* habet. Nos vocem illam *velis* in duas divisimus dictiones, ut a principio fuisse credimus, vitioque postea librariorum compactas, ut sit, *vel iis*: sæpe autem, cum duæ hærent vocales, in antiquo codice una tantum scribitur, ut alibi adnotavimus. Adfert autem rationem, quare difficilius credat nos de aliquo cogitare occursu simulacrorum, quam eorumdem incursu videre quidpiam (videre autem nos δια της των ειδωλων εμπτωσεως censebant Democritus & Epicurus: quod in epistola ad Atticum etiam ostendit Cicero, in qua disputat de fenestrarum angustiis): Quod si, inquit, his spectris oculos feriri posse concesserim (vix autem hoc concedit, ut spectra cum sint tam ασωματα oculos ferire possint,) sed si concesserim, inquit, videbor aliqua ratione facere, quod saltem oculis spectra occurrunt, ut possint τη εμπτωσει & occursu visionem conficere & excitare. Quomodo autem animus & διανοια feriri possint, non video; non enim spectra animo, ut oculis occurrunt: qua enim ratione corpus penetrare possent? frangerentur enim ασωματα οντα. Libro autem primo de Finibus hanc eamdem rem tangit: *Imagines, quæ ειδωλα nominant, quorum incurſione non ſolum videamus, ſed etiam cogitemus.* Etsi ante vulgati depravate *incurſionem* legebant. Sunt autem verba Ciceronis contra L. Torquatum, qui Epicuri disciplinam sectabatur disputantis. Vbi

non video. Doceas tu me, oportebit, cum salvus veneris, in mea ne potestate ut sit spectrum tuum, ut, simul ac mihi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat: neque solum de te, qui mihi hæres in medullis: sed si insulam Britanniam cœpero cogitare, ejus *ειδωλον* mihi advolabit ad pectus. Sed hæc posterius: tento enim te quo animo accipias: si enim stomachabere & moleste feres, plura dicemus: postulabimusque, ex qua hæresi vi hominibus armatis dejectus sis, in eam restituare. In hoc interdicto non solet

Vbi etiam minus verisimile esse putat nos incursione & *εμφασεσι* simulacrorum cogitare, quam videre. De occursu autem simulacrorum hac ipsa epistola paullo post: ut prorsus hanc veram esse credam hujus loci lectionem, depravatam autem ab aliquo, qui has Epicuri rationes (quod nunc amissis ejus disciplinæ libris, obscuræ sunt) ne gustasset quidem. Qui tamen et Ciceronis infinita loca intelligat, atque Lucretium candidissimum poetam legere possit, non penitus rudis ejus disciplinæ esse vult, Epicuri vitam a Laertio perscriptam legat, ubi fere omnes illius sententias decretaque ipsas verbis explicata colligit. Liber autem primus de Finibus, & non parva pars secundi, ex verbis pæne Epicuri contexti sunt, a Cicerone summa fide & elegantia conversis. VICTOR. Iis facile assentior, qui legunt, *quod vel iis ipsa occurrunt*. CORR. Sic restitui *quod, cum velis, ipsa accurrunt* conjectura ductus. Dicebat enim Epicurus, imagines seu simulacra ad arbitrium nostrum ad nos advolare, sive ea quibus cerneremus, sive quibus cogitaremus. Præterea, quæ sequuntur, meam conjecturam confirmant: ibi, *In mea ne potestate sit spectrum tuum*, &c. Postremo *accurrunt*, non *occurrunt*. Sic enim Lucret. lib. IV.

An ne voluntatem nostram simulacra tuentur,
Et simul ac volumus, nobis accurrit imago?

Et M. Tullius lib. II. de Divinat. *Quid? ergo istæ imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut, simul atque velimus, accurrant?* LAMB. *Quod velis ipsa currunt*) Sic MSi: Gruteri editio, *quod vel iis ipsa currunt*. Lego, *quo velis, ipsa currant*. Hæc, inquit, *ειδωλα*, vel spectra, quamvis oculis se possent objectare, tamen (moveant licet & cursitent ipsa, quamcumque in partem velitis vos Epicurei) animum nostrum qui vel qua ratione percutere possint, non exputo, nec cogitando reperio. I. FR. GRON. *Vel iis ipsa occurrunt*. Sic emendarunt viri docti, cum in omnibus Codd. reperissent: *velis ipsa currunt*: in uno tamen *occurrunt*. Prior lectio si salva est, posses interpretari: *quod vi quadam irruunt*, quod in re incredibili optime adhibuerit Tullius. Posterior redderet: *quod, si velis, præsto sunt*. Vt II. de Divinat. *Quid? ergo istæ imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut simul atque velimus, accurrant?* Lambinus vero *occurrere* in *accurrere* non debuit mutare, cum supra jam vidimus, alterum pro altero poni. CORT.

Ex qua heresi) Hoc est, secta Philosophorum. *Hæresis* enim apud Græcos & Latinos in bonam partem accipiebatur olim, ut & *secta*, etiam apud primos Christianos. Fortasse autem Stoica fuit, aut Academica secta, quam deseruit. GRÆV.

Vi, hominibus armatis) Ep. 13. lib. VII. CORR. Est formula sollemnis in interdicto prætorio VNDE VI, quo aliquis in possessionem suam, de qua vi & armatis hominibus erat deturbatus, restituebatur; de qua vide ad lib. VII. ep. 13. Io.

Vir-

ſolet addi, *In hoc anno*. Quare ſi jam biennium, aut triennium eſt, cum virtuti nuncium remiſiſti, delinitus illecebris voluptatis, in integro res nobis erit: quamquam quicum loquor? cum uno fortiſsimo viro: qui poſtea quam forum attigiſti, nihil feciſti, niſi pleniſsimum ampliſsimæ dignitatis. In iſta ipſa αἱρέσει metuo ne plus nervorum ſit, quam ego putarim, ſi modo eam tu probas. Quid tibi in mentem venit? inquies: quia nihil habebam aliud, quod ſcriberem. De rep. enim nihil ſcribere poſſum; neque enim quod ſentio libet ſcribere.

EPISTOLA XVII.

ARGVMENTVM.

Queritur de tabellariorum importunitate: P. Sullæ mortem, rumores de bello Hiſpanienſi, Panſæ profectionem in provinciam ſignificat: Caſſii conſilium de manſione Brunduſina probat: officium litterarum & poſtulat, & pollicetur. Eodem anno.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

PRæpoſteros habes tabellarios; etſi me quidem non offendunt; ſed tamen cum a me diſcedunt, flagitant litteras; cum ad me veniunt, nullas afferunt: atque id ipſum facerent commodius, ſi mihi aliquid ſpatii ad ſcribendum darent: ſed petaſati veniunt: comites ad portam exſpectare dicunt. Ergo ignoſces: alteras habebis has breves: ſed exſpecta

Virtuti ... voluptatis) *Academicis*, vel *Stoicis*, qui virtutem ſummum bonum erepunt, nuncium remiſiſti, Epicuro *deditus*. CORT.

Forum attigiſti) Virilem togam induiſti; vide ſuperius ad lib. V. ep. 11. GRÆV.

Αἱρέσει) Epicuream intelligit. CORRAD. *Sectæ*, quod vocabulum μέρον de philoſophandi rationibus in bonam partem dicitur. Sic nec Chriſtiani refugerunt ſuam religionem *ſectam* dicere. Minuc. Felix c. 40. *De ſectæ jam noſtræ ſinceritate conſentio*. Prud. II. in Symmach. v. 276. Sic v. 93. X. Periſteph. v. 125. Apotheos. Præfat. II. v. 1. Lactant. de Opif. Dei c. 1. CORT.

Plus nervorum) Epicurei enim, ut voluptatibus dediti pro effeminatis habebantur. IDEM.

EPISTOLA XVII.

Alteras habebis has breves) Nos putamus punctis male diſtinctas eſſe has dictiones: ut longe diverſum ſenſum

specta πάντα περὶ πάντων. Etsi quid ego me tibi purgo, cum tui ad me inanes veniant, ad te cum epistolis revertantur? Nos hic (tamen ad te scribam aliquid) D. Sullam patrem mortuum habebamus, alii a latronibus, alii cruditate dicebant: populus non curabat: combustum enim esse constabat: hoc tu pro sapientia tua feres æquo animo: quamquam πρόσωπον πόλεως amisimus. Cæsarem putabant moleste laturum, verentem, ne hasta refrixisset. Mindius Mar-

sum præ se ferant a vero, nisi fallimur: non enim *alteras habebis*, intelligimus, quod alias longiores pleniusque nunc polliceatur, ideoque æquiore animo velit ferre illum harum brevitatem: nam id paullo post large promittit verbis illis, *sed exspecta πάντα περὶ πάντων* sed ignosci sibi vult quod hæ non solum breves sint, sed alias etiam ante breves acceperit, ut hæ sint jam secundæ litteræ ad eum scriptæ breves. Quo magis postea liberalius spondet, se copiose omnia perscripturum: videbatur enim sibi nonnihil culpæ admisisse, qui iterum jam breves misisset: ut si *alteras has habebis breves*, dixisset, nullus scrupulus fuerit, interposita autem vox illa *habebis* locum obscuriorem facit, sed est elegantissimus modus dicendi a Cicerone crebro usurpatus, ut lib. X. ad Atticum tres dictiones in medium inculcaverit, *alteram tibi eodem die hanc epistolam dictavi*. Lib. autem XIII. ordine permutato: *Has alteras hodie litteras*, dixit: ut etiam lib. IV. *Nam ut veni Romam, iterum nunc sum certior factus esse, cui darem litteras: itaque has alteras dedi; prioribus tibi declaravi*, &c. Ut nihil scrupuli restet quin hic per *has alteras*, secundas significet. VICTOR. Conjungenda hæc sunt, ut significet: *has secundas breves litteras esse*: idque recte jam vidit Victorius ex IV. ad Attic. Adde dicta ad XII. ep. 25. CORTIVS.

Tamen ad te scribam aliquid. Nos hic D. Sullam patrem, &c.) Omnino elegantius in antiquis codicibus, quemadmodum nos scripsimus, legitur hic locus: ut verba illa *tamen ad te scribam aliquid* sint post duas illas dictiones *nos hic*. Cum enim supra dixisset non opus sibi esse excusatione cum Cassio, nec debere se illi purgare, cum inanes ab eo veniant tabellarii, ad eumque cum epistolis revertantur, quasi hoc loco finem epistolæ facere voluisset: imprudenter tamen addit, *nos hic* principium narrationis. Ideoque statim cognito errore infert, *tamen ad te scribam aliquid*; se castigans, quod propositum mutaverit: quasi dicat: Non tamen potui, ut decreveram, me continere, quin aliquid ad te scriberem. Nos profecto hanc lectionem argutiorem politioremque putavimus: inventamque in priscis exemplaribus nullo pacto prætermittere debuimus. Speramus etiam eruditos ingeniososque multo hanc magis vulgata probaturos esse. VICTOR. *D. Sullam*) Al P. *Sull.* CORR. Stephanus Pighius monuit in fastis suis ad annum urbis conditæ DCCII legendum heic & infra *D. Silanum*. GEBHARD. Vide lib. IX ep. 10. GRÆV.

Mortuum habebamus) Apud nos mortuus est. *Habere* enim verbum præsentiæ, ut VI. ep. 13. CORT.

Combustum) Quamvis Sullani, quorum unus fuerat P. *Sulla*, olim M. Marium comburi prohibuerint. CORRADVS.

Πρόσωπον πόλεως) *Specimen civitatis*. Videtur laudari, ut apud Senec. *specimen antiquum imperii*; sed revera significat, vel amisimus hominem unde scire posses, quam corrupta civitate utamur; vel sine ullo ad hunc respectu, omnem faciem bene constitutæ reip. perdidimus per Cæsarianos. I. FR. GRON.

Pigmen-

Marcellus, & Attius pigmentarius valde gaudebant, se adversarium perdidisse. De Hispania novi nihil; sed exspectatio valde magna: rumores tristiores, sed αδεσποτοι. Pansa noster paludatus a. d. III. Kalend. Ian. profectus est, ut quivis intelligere posset id, quod tu nuper dubitare cœpisti, το καλον δι' αυτο αιρετον esse. Nam quod multos miseriis levavit, & quod se in his malis hominem præbuit, mirabilis eum virorum bonorum benevolentia prosecuta est. Tu quod adhuc Brundusii moratus es, valde probo & gaudeo: & mehercule puto te sapienter facturum, si ακενοσπουδος fueris. Nobis quidem, qui te amamus, erit gratum: & amabo te, cum dabis posthac aliquid domum litterarum, mei memineris. Ego numquam quemquam ad te, cum sciam, sine meis litteris ire patiar.

EPISTOLA XVIII.

ARGUMENTUM.

Epistolæ brevitatem excusat festinatione tabellarii: tristitiam temporum significat: de bello Hispaniensi nihil ait esse cer-

Pigmentarius) *Materialist.* Glossæ: *Pigmentarius* μυροπωλης, φαρμακοπωλης, μυρεψος. Adde Barth. Advers. 39. c. 16. Rhod. in Scrib. Larg. Compos. 22. Firmic. Astron. VIII. c. 25. vide Munker. ad Fulgent. Mytholog. III. c. 8. p. 124. CORT.

Rumores tristiores) De Seapula, & Pompeii filiis. CORR.

Quod tu nuper dubitare cœpisti) Factus Epicureus. IDEM.

Hominem præbuit) Memorem rerum humanarum, aut *sapientem*. Nam sic II. ad Atric. ep. 2. *Herodes si homo esset, eum potius legeret, quam unam litteram scriberet*. Et pro *sapiente* vocem in eo loco & X. ep. 11. capit Grævius, ubi Cicero: *Sed quoniam est homo, & nos diligit, ipse quoque a nobis diligatur*. Sed pro gnaro rerum humanarum posuit XII. ep. 38. & si pro sapiente aliquo modo dicatur, ea sapientia intelligenda, quæ conditionem humanam respicit. CORTIUS.

Si αχρειος πιλος fueris) Nos deletis his ineptissimis verbis cum antiquis codicibus ακενοσπουδος scripsimus, una tantum parum perversa littera. In illis clara hæc erat scriptura, ut mirer, unde Græcas illas voces eruerint, quæ in vulgatis nihil prorsus quod hic quadraret significantes legebantur. Cic. ad Att. prima noni libri epistola, nimiam suam diligentiam in rebus inanibus, & nullius momenti investigandis taxans, *sed hæc fortasse κενοσπουδα* dixit, ut non debeat majus studium in illis inquirendis poni; κενοσπουδος autem Suidæ est, qui in rebus inanibus levibusque studium ponit: ut quid hic ακενοσπουδος significet, dubium non sit: elegans prorsus verbum, & quod solum decla-

se certi, nihil novi: absenti Cassio gratulatur, sua caussa dolet. Eodem anno.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

Longior epistola fuisset, nisi eo ipso tempore petita esset a me, cum jam iretur ad te: longior etiam, si φλύαρον aliquem habuisset: nam σπουδάζειν sine periculo vix possumus. Ridere igitur, inquies, possumus. Non mehercule facillime: verumtamen aliam aberrationem a molestiis nullam habemus: Vbi igitur, inquies, philosophia? Tua quidem in culina, mea molesta est: pudet enim servire. Itaque

claret sententiam, quæ nisi pluribus verbis Latine exprimi non posset. VICTORIVS. Αχρειος πιλος) *Inutile* ... al. *αχρειος πιλος inutilis galea*, al. Ακενοσπουδος *minime curiosus*: idque magis placet. CORR.

EPISTOLA XVIII.

Si *φαιδρον aliquam habuisset*) Antiqua exemplaria φλυαρον recte, φλυαρος enim φλυαρος και ληρος, ut docet Suidas, quod pulcre respondet sequenti Græcæ dictioni. Longior, inquit, epistola fuisset, si nugas fabulasque habuisset aliquas, quas jocose scribendo pleniorem epistolam fecissem: de rebus enim seriis vix sine periculo agere possumus, quod temporum iniquitate accidebat. Opponitur autem σπουδαζειν jocis, risui, nugis, ut exprimit Aristophanes, *σκωπτειν πειρα και κωμωδειν τα σπουδαζειν αμελως*· ut nihil de loci hujus integritate dubitari possit. Quod autem paullo post in eadem epistola legitur, *& quidem in culina mea molesta est* verba alicujus poetæ videntur: nullibi tamen ea me legere memini: nos autem nihil mutavimus: invenimus enim hoc loco antiquos codices cum vulgatis convenire: quare tantum librorum consensum condemnare temerarium visum esset. Scimus alios aliis modis emendasse: cum autem docuerint quo consilio auctoritateque hoc fecerint, nos sententiæ illorum subscribemus: verum dum nihil certius adferunt, non peccare nobis videmur (ut in malis) qui antiquorum codicum fidem sequamur. VICTOR.

Sine periculo) Ne Cæsarianos offendamus. CORR.

Vbi igitur, inquies, philosophia tua? Quidem in culina mea, molesta est) Quid de his verbis sentiremus, antea locuti sumus: operam dederunt alii, ut ex hoc tam depravato loco commodus aliquis sensus eliceretur, in quo mihi laborandum esse non putavi: in tanta enim caligine ac tenebris, me lucem aliquam dispicere posse non speravi. Illorum lectionem, ut acute excogitatam, non reprehendo: ut veram, germanamque laudare nullo modo possum: nam verba etiam illa, quæ adjunguntur, *pudet enim servire* non valde mihi videntur sententiæ, quam excogitarunt, convenire. VICTOR. *Philosophia -- quidem inquilina*) Quasi a te civitate donata: hoc est, Latinis litteris scripta. al. *in culina*. CORRAD. Libri omnes MSi habent: *Vbi igitur, inquies, philosophia tua? & quidem in culina mea molesta est*. Sed Paullo Manutio non assentiri olim non potui, qui locum corruptum ac mendosum esse putat. Sic autem legendum existimat: *Vbi igitur philosophia? tua quidem, in culina: mea, in palæstra est*, ut hoc membrum, *mea, in palæstra est*, opponatur illi superiori membro, *tua quidem, in culina est*. Nunc nondum constitui apud me, probare debeam, necne. Quidam amicus meus, vir doctus, sic potius legi putat oportere: *Vbi igitur philosophia? tua quidem, in culina: mea*, in

Itaque facio me alias res agere, ne convicium Platonis audiam.

in molestia est : cui assentior. Sic autem loquitur lib. IV. epistolarum ad P. Nigidium Figulum: *Id tibi affirmo, te in istis molestiis, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum*. Idem lib. VI. ep. ad Ligarium: *Quare mihi crede, & memoriæ manda, me tibi id affirmasse, te in istis molestiis diutius non futurum*. Sic eadem epistola, infra, non longe: *Ne tu quidem in istis incommodis esses*. Idem eod. lib. *Atque illæ arbitrabantur, cum a te abessent ipsæ, multo in graviore te cura futurum*. Idem lib. IX. *Scio te semper mecum in luctu fuisse*, &c. Terent. in Andr. *Propterea nunc misera in mærore est*. Paullo ante, hac ep. 18. videtur legendum, *si φλυαρον aliquem habuissem*, non, ut vulgo, *habuisset*. LAMB. *Ubi ig. inquies, Philosoph. t. Quid. in cul. m. mol. e.*) Sic habet Palatinus sextus, (sic & Amstelodam.) sic quoque Mediceus, nisi quod suo more *molestast*. Notatque Egnatius illam lectionem emendatorum ingenio exivisse, *In culina quidem mea, sed molesta est*. Manutius putabat legendum olim, teste Lambino; *Ubi igitur Philosophia? tua quidem, in culina: mea, in palæstra est*; quam tamen conjecturam ipse probare non potuit, sed hanc cujusdam amici sui; *Ubi igitur Philosophia? tua quidem, in culina: mea in molestia est*. Guilielmius pro *in molestia est*, putabat, *in molestra est*. Videndus Festus. Palatinus primus (& Mentel.) *ubi igitur, inquies Philosophia tua? quidem in culina mea molestasset*: quæ scriptura vitiosa nata est ab Mediceo. Editio prima exhibebat: *Ubi igitur, inquies, Philosophia tua, & quidem inquilina mea molestia est*. Nos stetimus ab optimo Palatino, & Victorio, GEBHARD. Meus secundus: *Ubi igitur, inquies, Philosophia tua? Quidem in culina mea, sed molesta*. Sed recte videtur omnino Manutius hunc locum interpunxisse, & verum ejus sensum deprehendisse. Nam Philosophia ei molesta erat, quod ei exprobraret quasi, quod serviret, & non potius ut Cato fortiter se a servitute vindicaret: de qua re in aliis quoque queritur epistolis. GRÆV. *Tua in culina; mea in palæstra*) Ad gravem quæstionem ne nihil dicat, ridicule respondet. *In culina*, quia voluptatem sequens Epicuri: *in palæstra*, quia mihi placent, qui virtutem & laborem præferunt. I. F. GRON.

Pudet enim servire) Aliquid agere publice; quia qui partem reip. tractat, is se componere ad nutum unius necesse habet. IDEM.

Facio me alias res agere) Pro *facio* alii leg. *scito*. CORR. *Facio me alias res agere*) Fingo me non philosophiz, sed aliis rebus operam dare. GRÆV. *Facio me alias res agere*) Fingo me rerum mearum satagere, & abstineo negotiis. I. F. GRON. Pro *fingo* accipiunt Cor. Man. I. Fr. Gron. & Grævius, quo sensu *fac* imperativus aliquoties apud Nostrum. Rectius vero propria sua notione cum Bengelio intellexeris, eo tamen modo, quo supra III. ep. 8. ubi vide notata. Nam infinitivum pro tali positu adhibuit etiam Sulpicius IV. ep. 12. *Visum est faciendum quoquo modo res se haberet. nos certiores facere*; ubi pluribus eum confirmavi. Hic vero *me* additum tanto magis sensum in proclivi ponit. CORT.

Convicium Platonis) Iustos esse, qui in veri vestigatione versentur, quique ea, quæ plerique expetunt, contemnant: cum potius peccent. Nam studio discendi impediti, quos tueri debent, deserunt. Ego vero ne ita peccem, fingo me alias res agere, quamvis hoc tempore parum proficiam. CORR. *Convic. Platonis*) Monuit Claudius Puteanus V. Cl. Comicum intelligi, cujus hi sunt versus in Phaone,

> *Υμιν γαρ ουδεν καθαπερ ἡ παροιμια,*
> *Εν τῳ καπηλῳ νους ενειναι μοι δοκει.*
> *Vobis enim nihil ut fert proverbium,*
> *In caupone mens inesse mihi videtur.*

GEBHARD. Nihil hæc sententia Platonis Comici ad rem facit & intelligen-

audiam. De Hispania nihil adhuc certi, nihil omnino novi. Te abesse, mea causa moleste fero, tua gaudeo. Sed flagitat tabellarius. Valebis igitur, meque, ut a puero fecisti, amabis.

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

Respondet ad duas Ciceronis epistolas, quæ ante proximam superiorem leguntur: maxime autem Epicurum, & Epicureos, quorum ipse in numero erat, a studio virtutis & justitiæ laudat. Cupere videtur, ut Cæsar in Hispania vincat, tam cognita jam ejus clementia. Eodem anno.

C. CASSIVS M. T. C. S. P. D.

S. V. B. Non mehercule in hac mea peregrinatione quidquam libentius facio, quam scribo ad te: videor enim cum præsente loqui, & jocari. Nec tamen hoc usu venit propter spectra Catiana: pro quo tibi proxima epistola tot rusticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum esse dicas. Pansam nostrum secunda voluntate hominum paludatum ex urbe exisse, cum ipsius causa gaudeo, tum mehercule

tiam hujus loci. Rectius utroque Manutius: quia reprehendit Plato servientes. GRÆV. *Ne convicium Platonis audiam*) Volunt Comici, cujus fragmentum ponunt. Non video, quid ad rem faciat. Videtur potius alludere ad id, quod refert ep. 9. l. I. *Atque hanc quidem ille causam sibi ait non attingendæ reip. fuisse, quod cum offendisset pop. Atheniensem prope jam desipientem senectute*, &c. Ne Plato me arguat, quod tali tempore attingere velim rempublicam. IO. FRID. GRON.

De Hispania) De bello Cæsaris adversus Pompeii filios. CELLAR.

EPISTOLA XIX.

TOt *rusticos Stoicos*) Ii enim & oratione, & moribus duriores sunt habiti. CORR. Imperitos & æque inepte loquentes, ut Catius *spectra* inepte dixit. Forsan ineptam censet libertatem eorum loquendi, de qua IX. ep. 22. Plautus Persa A. II. Sc. I. v. 2. Certe ex sequentibus: *Catium Athenis natum esse dicas*, apparet ad *imperitiam* respexisse Cassium. Athenis enim omnem humanitatem & doctrinam adscribebant, & natos ibi etiam reliquis ingenio præstare putabant. Tertullian. de Anima c. 20. CORT.

Secunda voluntate hominum) Omnibus volentibus & plaudentibus. Liv. lib. VIII. *Tres leges secundissimas plebi, adversas nobilitati tulit*. GREV.

Ex urbe exisse) Palatinus primus, Stewechianus, Peckio excerpta, editio princeps, *exsurrexisse*. GRÆV.

cule etiam omnium nostrum. Spero enim homines intellecturos, quanto sit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia: atque ea, quæ maxime mali petant & concupiscant, ad bonos pervenire. Difficile est enim persuadere hominibus, το καλον δι' αυτο αἱρετον esse: ἡδονην vero & ατχραξιαν virtute, justitia, τῳ καλῳ parari,

Ηδονην vero & διαξιαν) Sic omnes habebant vulgati codices, prorsus mendose. Germani videntur exemplar habuisse, quod minus incorruptum hunc locum conservarit: credimus enim illos, ut testati sunt, ex vetusto codice collegisse, quas in marginibus collocarunt, lectionum varietates: ἀταξιαν enim legunt. Quod si in medio syllabam unam reponas, errore librariorum (ut puto) omissam, rectissime hic locus restitutus erit: nec mirum videri debet in Latinis libris antiquitus exaratis Græcas voces aliquantum perversas esse, & inquinatas: cum enim sermonem illum ignorarent, vix poterant ab erroribus cavere: videmus enim illos quasi descripsisse pinxisseque Græcos characteres non negligenter, si consideres eos eorum, quæ scribebant, sententiam non percepisse: quod si quandoque aliqua desunt, aut abundant, venia digni sunt: ego potius miror, quomodo potuerint tam integras Græcas voces effingere ejus linguæ rudes: sed de hoc nimis; ἀταραξιαν, inquam, facies, quam genuinam esse hic vocem puto, & antiquis vestigiis propinquam, & sententiæ ipsi optime quadrantem. Nam diviserat Epicurus voluptates, ut quædam illarum in motu, quædam in statu essent: sed hæc verbis ipsius Epicuri, quæ apud Laertium sunt, melius declarabuntur; sic enim Laertius dicit: *Ο δε Επικουρος εν τῳ περι αἱρεσεων ὡδε λεγει, ἡ μεν γαρ αταραξια και απονια καταστηματικαι εισιν ἡδοναι, ἡ δε χαρα και ευφροσυνη κατα κινησιν ενεργειᾳ βλεπονται. Epicurus autem in de Sectis sic ait: imperturbatio quidem, & non labor tranquillæ sunt voluptates, gaudium vero & lætitia motu sensibus percipiuntur.* Quam etiam divisionem percurrit Cic. lib. I. de Finibus his verbis: *Non enim hanc solam sequimur, quæ suavitate aliqua naturam ipsam movet, & cum jucunditate quadam percipitur sensibus, sed maximam illam voluptatem habemus, quæ percipitur omni dolore detracto*, &c. Sæpe autem est ἀταραξια in scriptis Epicuri: nam hoc præcipue nomine tranquillum istum statum hominis declarat, quo vacuus omni perturbatione degit: ut qui ante nos ἀναλγησιαν emendarant, cum locum corruptum esse in vulgatis animadvertissent, nihil laborantes circa antiqua vestigia, sententiamque tantum secuti, non penitus aberrarint: nostra tamen lectio verior, ut quæ ex antiquis exemplaribus eruta sit: & nomen illud habeat quo præcipue uteretur ipse Epicurus: nam qui λειαν κινησιν emendarunt, multo audacius & improbius fecerunt: lenis enim motus, interpretatio est voluptatis, ut idem sit ἡδονη & λεια κινησις; voluit autem Cassius utramque voluptatem declarare: per ἡδονην enim hic voluptatem in motu intelligit: necesse igitur est vocem, quæ sequitur, voluptatem eam, quæ detractis perturbationibus percipitur, significare. Qui autem ευεξιαν reposuerunt, conati sunt ex corruptis illis characteribus, qui vulgo legebantur, vicinam, & similem vocem elicere: sed nimis se rudes rationis Epicuri ostenderunt; & nedum Epicuri rationem expresserunt, sed vix idoneam sententiam effinxerunt; cum enim ευεξια sit bona corporis habitudo: quomodo ullus umquam proferret eam virtute, justitia, dignitate parari: cum voluptas, securitasque ex his virtutibus in animis hominum gignatur? VICTORIUS. Sed amplius disputavit de hoc loco in nota quæ in posterioribus legitur, & nunc subje-

ctitur

ri, & verum & probabile est. Ipse enim Epicurus, a quo omnes Catii, & Amafinii, mali verborum interpretes, proficiscuntur, dicit: ουκ εστιν ηδεως, ανευ του καλως και δικαιως, ζην. Itaque & Pansa, qui ηδονην sequitur, virtutem retinet: & ii, qui a vobis φιληδονοι vocantur, sunt φιλοκαλοι, και φιλοδικαιοι, omnesque virtutes & colunt & retinent. Itaque Sulla, cujus judicium probare debemus, cum dissentire philosophos videret, non quæsivit, quid bonum esset, omnia bona coemit: cujus ego mortem forti mehercules animo tuli. Nec tamen Cæsar diutius nos eum desiderare patietur: nam habet damnatos, quos pro illo nobis restituat: nec ipse sectorem desiderabit, cum filium viderit.

ditur notis Manutii in hanc epistolam. GRAV.

Τω καλω) *Honesto*, quod mox Epicuri auctoritate confirmat. CORT.

Omnes Catii & Amafinii) Vetusti codices *Amafinii*, etsi noster aliter operarum vitio habet: scilicet *Amafanii*. C. enim Amafinius Epicuri disciplinam sectatus edidit libros, qui eam rationem explicarent: nam de *Catio* ex Horatio præcipue notum est: etsi hi videntur fuisse ex illis, quos legitimi Epicurei σοφιστας (ut ait Laertius) soliti essent appellare: degenerabant enim nonnihil ab Epicuri decretis, &, ut inquit Cassius, *mali* erant Epicuri *verborum interpretes*. Amafinii multis aliis locis Cicero mentionem facit, etsi fere semper hoc nomen corruptum aliquantulum est. In proœmio lib. IV. Tusculanarum quæstionum bis *Amafanium* appellat: ubi tamen manuscripti codices *Amafinium* habent: *Cum interim illis silentibus C. Amafinius exstitit dicens*. Et paullo post, iterum. Nos cum tot antiqui & probati codices concurrant, *Amafinium* legi debere existimamus; sed cum hoc loco *Amafinii* ante cunctis in libris scriptum esset, aliis vero multis locis in Cicerone *Amafanius*, quis umquam putasset eumdem intelligi debere? Non parum igitur hæc menda, quæ alioqui minuta videntur, sæpe tenebrarum offundunt, ut omnia animadvertere non inutile, nec ineptum negotium esse videatur. VICTOR.

Amafinii) Propter C. Amafinium, sive Amafanium: ut etiam in Quæstura diximus. CORR.

Mali verborum interpretes) Qui non recte Epicuri verba sunt interpretati. IDEM. Verissime sic censet Cassius: & tam Gassendus, quam alii latissime probarunt ex mali Epicuri verborum interpretatione monstrosa Epicureorum dogmata orta esse: adde Senec. de Constant. c. 15. & maxime de Vita Beata c. 12. CORT.

Qui ηδονην seq.) Qui voluptatem sequitur: quia & ipse Epicureus est. CORR.

Qui a nobis) Epicureis. al. *a vobis*. IDEM. Recte *a nobis* Hittorp. & Manut. ed. vulgo *a nobis*. GRAV.

Φιληδονοι) *Amatores voluptatis* sunt etiam *Honestatis & Iustitiæ amantes*. CORT.

Itaque Sulla) Ep. 17. hujus libri. CORR.

Quid bonum esset) Iocus ex ambiguo. IDEM.

Nam habet damnatos, quos pro illo nobis restituat) Ita in manuscriptis legitur, quam lectionem Paullus quoque posteriore sua editione sequitur, & illius sensum declarat, cum in priore *domi notos* legisset culpa impressorum, ut arbitror, cum *domi natos* scribi vellet. Quod si prisca exemplaria *domi natos* haberent, non insulsius fortasse sensus ex illa scripu-

derit. Nunc, ut ad remp. redeam, quid in Hispaniis geratur, rescribe. Peream, nisi sollicitus sum, ac malo veterem & clementem dominum habere, quam novum & crudelem experiri. Scis, Cnæus quam sit fatuus: scis, quomodo crudelitatem virtutem putet: scis, quam se semper a nobis derisum putet. Vereor, ne nos rustice gladio velit ἀντιμυκτηρίσαι. Quid fiat, si me diligis, rescribe. Hui, quam velim scire, utrum ista sollicito animo, an soluto legas: sciam enim eodem tempore, quid me facere oporteat. Ne longior sim, vale, & me, ut facis, ama. Si Cæsar vicit, celeriter me exspecta.

EPISTOLA XX.

ARGVMENTVM.

Interfecto Cæsare, Trebonius ad Asiam regendam profectus est: euntem Cicero amantissimis litteris prosequitur, misso jam ad eum libro suo de Perfecto Oratore: quem librum cum Sabino nescio cui commendaverit, laudat in Sabina gente fidem & probitatem: petit autem a Trebonio crebras litteras, & rationem itineris. Antonio & Dolabella Coss.

M. T.

ptura duci posset, ut appellasset *domi natos* paratos, qui in manu ejus semper essent, quorum magna copia numquam illum deficeret: (*restituat* autem supponat significare, & in ejus locum substituat) hic enim est significatus illius elegantissimæ vocis, crebro a Cicerone usurpatæ; nec tamen hanc receptæ lectioni præponendam censemus. Potiusque e genere illarum castigationem esse censemus, quæ subtiliter magis quam vere excogitantur. VICTOR. *Domi natos*) Al. *damnatos*. CORRAD. P. Manutius in prima editione edidit *domi natos*. LAMBINVS. *Damnatos*: a Pompeianis, aut a libero senatu. Multos enim exsilio multatos aliterque damnatos restituit Cæsar, testis Dio XLIII. p. 237. CORT.

Filium) Antonium, quem secundum heredem in testamento scripserat, Flor. IV. 4. *Sectorem Pompeianorum bonorum*, II. Phil. 26. IO. FR. GRON.

Malo veterem) Cæsarem. CORR.

Quam novum) Cn. Pompeium filium. IDEM.

Crudelitatem virtutem) Ut regerat aliquid in Virtutis venditatores, quomodo Epicureis fecerat Cicero. Manilius V. v. 152. *Morbum virtutis nomine vitant*. Et de simili crudelitate, quam pro *imperio* habeant Romani, conqueritur Galgacus apud Tacit. in Agric. c. 32. CORT.

Ne nos rustice) Citat hunc jocum Cassii, & propter elegantiam laudat Seneca Suasor. I. p. 5. omittit *rustice* N. Faber *rustice* habet, excluso *gladio*. Sed Ciceronis libri nihil variant. IDEM.

Si Cæsar vicit) Pompeii filios in Hispania. CORR.

EPI-

M. T. C. TREBONIO P. S. D.

ORATOREM MEVM, sic enim inscripsi, Sabino tuo commendavi. Natio me hominis impulit, ut ei recte putarem, nisi forte candidatorum licentia hic quoque usus, hoc subito cognomen arripuit: etsi modestus ejus vultus, sermoque constans, habere quiddam a Curibus videbatur. Sed de Sabino satis. Tu, mi Treboni, cum ad amorem meum aliquantum olim discedens addidisti: quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos litteris appellato, atque ita, si idem fiet a nobis. Quamquam duæ causæ sunt, cur tu frequentior in isto officio esse debeas, quam nos; primum, quod olim solebant, qui Romæ erant, ad provinciales amicos de repub. scribere: nunc tu nobis scribas oportet: Res enim publica istic est: deinde, quod nos aliis officiis tibi absenti satisfacere possumus, tu nobis, nisi litteris, non video, qua re alia satisfacere possis. Sed cetera scribes ad nos postea. Nunc hæc primo cupio cognoscere, iter tuum cujusmodi sit, ubi Brutum nostrum videris, quamdiu simul fueris: deinde, cum processeris longius, de bellicis rebus, de toto negotio, ut existimare possimus, quo statu simus. Ego tantum me scire putabo, quantum ex tuis litteris habebo cognitum. Cura, ut valeas, meque ames amore illo tuo singulari.

EPI-

EPISTOLA XX.

TREBONIO) In Hispania Procos. CORRADVS. Aliud in argumento & commentar. docet Manutius. GRÆV.

ORAT. MEVM) Ad M. Brutum: quo Galliam Cisalpinam obtinente, ille scriptus est liber. CORR.

Natio) A Sabinis, qui tetrici, severi, durique, & continentes etiam a scriptoribus appellantur. IDEM.

Candidatorum licentia) Qui & hoc modo gratiam quærebant, dum gratam patriam, & quæcumque alia accepta forent, fingebant. CORR.

Hoc subito cognomen arripuit) De hoc more nescio quid in Quæstura relatum est. CORR.

Habere quiddam a Curibus) Habere speciem aliquam gravitatis & sanctitatis morum. *Cures* enim caput Sabinorum cives habebat antiquorum morum & disciplinæ ac continentiæ. Virgil. Æneid. VIII.

Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.

Olim discedens) Ex Italia in Hispaniam. CORR. Aliter Manutius. GR.

Istic est) Ubi sit Cæsar. CORR. Sed vide Manut. GRÆV.

Ubi Brutum nostrum videris) M. Brutum, Galliam Cisalpinam regentem. Si quis tamen hæc omnia ad profectionem, de qua in epist. 28. lib. X. & epist. 16. lib. XII. dictum est, referat, non video, cur magnopere sit repugnandum. CORR.

 Epi-

EPISTOLA XXI.

ARGVMENTVM.

Rogat, ut sui absentis desiderium crebris & longis epistolis leniat: enumerat Trebonii erga se officia: de Calvo oratore jam mortuo, quid sentiat, exponit. Cæsare Dictatore II. *anno* DCCVI.

M. T. C. TREBONIO S. P. D.

ET epistolam tuam legi libenter, & librum libentissime; sed tamen in ea voluptate hunc accepi dolorem, quod cum incendisses cupiditatem meam consuetudinis augendæ nostræ, nam ad amorem quidem nihil poterat accedere, tum discedis a nobis, meque tanto desiderio afficis, ut unam mihi consolationem relinquas, fore, ut utriusque nostrum absentis desiderium crebris, & longis epistolis leniatur. Quod ego non modo de me tibi spondere possum, sed de te etiam mihi. Nullam enim apud me reliquisti dubitationem, quantum me amares. Nam, ut illa omittam, quæ civitate teste fecisti, cum mecum inimicitias communicasti, cum me concionibus tuis defendisti, cum quæstor in mea atque in publica causa consulum partes suscepisti, cum tribuno pleb. quæstor non paruisti, cui tuus præsertim collega pareret: ut hæc recentia, quæ meminero semper, obliviscar;

EPISTOLA XXI.

EPistolam tuam *) 16. libri XII. Videri potest & *liber*, ex versiculis, qui in ea dicuntur: si modo credimus hanc epistolam & superiorem a Cicerone ad Trebonium in Asiam, & non in Hispaniam missas fuisse. CORR. Vid. Manut. GRÆV.

Discedis a nobis) Non quidem, ut Manutius opinatur, in Asiam, quo post Cæsaris mortem abiit; sed in Hispaniam, quo a Cæsare post præturam missus est, ut mortuo Longino succederet: vide Dion. Cass. lib. XLIII. FVNC.

Cum inimicitias mecum communicasti) Adversus inimicos meos simultates suscepisti. Vide IV. Observ. 2. Io. FR. GRON.

Partes suscepisti) Trebonius quæstor fuit, Pisone & Gabinio Coss. A. V. DCXCV. quo Cicero lege Clodia in exsilium abiit: consules remp. prodiderunt, cuius atque Ciceronis videbatur esse communis causa. Trebonius ergo quæstor partes suscepit designatorum consulum Lentuli atque Metelli, a quibus Cicero tandem restitutus est. FVNC.

Vt hæc recentia) Fortasse de Cæsaris morte. CORR.

In

viſcar, quæ tua ſollicitudo de me in armis, quæ lætitia in reditu, quæ cura, qui dolor, cum ad te curæ & dolores mei perferrentur? Brunduſium denique te ad me venturum fuiſſe, niſi ſubito in Hiſpaniam miſſus eſſes? Vt hæc igitur omittam, quæ mihi tanti æſtimanda ſunt, quanti vitam æſtimo & ſalutem meam: liber iſte, quem mihi miſiſti, quantam habet declarationem amoris tui? primum, quod tibi facetum videtur quidquid ego dixi, quod aliis fortaſſe non item: deinde, quod illa, ſive faceta ſunt, ſive ſic fiunt, narrante te, venuſtiſsima: quin etiam ante quam ad me veniatur, riſus omnis pæne conſumitur. Quod ſi in his ſcribendis nihil aliud, niſi, quod neceſſe fuit, de uno me tam diu cogitaviſſes, ferreus eſſem, ſi te non amarem. Cum vero ea, quæ ſcriptura perſecutus es, ſine ſummo amore cogitare non potueris, non poſſum exiſtimare, plus quemquam a ſe ipſo, quam me a te amari. Cui quidem ego amori, utinam ceteris rebus poſſem, amore certe reſpondebo: quo tamen ipſo tibi confido futurum ſatis. Nunc ad epiſtolam venio, cui copioſe & ſuaviter ſcriptæ nihil eſt, quod multa reſpondeam. Primum enim ego illas Calvo litteras miſi, non plus quam has, quas nunc legis exiſtimans exituras: aliter enim ſcribimus, quod eos ſolos, quibus mittimus; aliter, quod multos lecturos putamus. Deinde ingenium ejus melioribus extuli laudibus, quam tu id vere potuiſſe fieri putas. Primum, quod ita judicabam, acute movebatur: genus quoddam ſequebatur, in quo judicio lapſus,

In armis) In Bello Civili. IDEM.

In reditu) Poſt victum Pompeium. IDEM.

Brunduſium) Quo ego Dyrrachio veneram. IDEM.

Miſſus eſſes) Procoſ. a Cæſare. IDEM.

Sive ſic fiunt) Al. *ſive non, fiunt, ſic*. Vide an legi debeat, *ſive ſecus, fiunt*. CORR. Aſſerit Manutius, conjunctionem hanc *ſic* minuendi vim habere: ut ſenſus ille ſit: Sive dicta mea faceta ſunt; ſive facetiarum per ſe minus habent. Lubentius ego legerem, *ſecus*. QVART. Rectius vero *ſic* ad *te narrante* retuleris, etſi abundanter poſitum ſit, ut XIII. ep 42. *ita*. CORT.

Nihil aliud) Intellige *feciſſes*. Vide quæ dixi ad XII. ep. 22 IDEM.

Quo tamen ipſo tibi confido futurum ſatis) Vel ſic legendum, ut edi juſſi, *q. t. i. confido me facturum ſatis*: vel *quod tamen ipſum tibi confido futurum ſatis*. LAMB. A *fio*. Nam *ſatisfacio* in hoc ſenſu frequentatum. CORT.

Calvo) Epiſtola viceſima quinta libri ſeptimi. CORR.

ipsus, quo valebat, tamen adsequebatur, quod probaret. Multæ erant, & reconditæ litteræ, vis non erat: ad eam igitur adhortabar. In excitando autem, & in acuendo plurimum valet, si laudes eum, quem cohortere. Habes de Calvo judicium & consilium meum: consilium, quod hortandi caussa laudavi: judicium, quod de ingenio ejus valde existimavi bene. Reliquum est, tuam profectionem amore prosequar, reditum spe exspectem, absentem memoria colam, omne desiderium litteris mittendis accipiendisque leniam. Tu velim tua in me studia & officia multum tecum recordere: quæ cum tibi liceat, mihi nefas sit oblivisci, non modo virum bonum me existimabis, verum etiam te a me amari plurimum judicabis. Vale.

Reditum spe exspectem) *Spe* propter numerum additum, quia dixit *amore*, *memoria*, *litteris*. Neque tamen insolenter cum primo *exspectare* verbum fit medium; deinde adduntur Nomina verbis, ut *odisse odio*, *occidione occidere*, supra ep. 4. Vopiscus Firmo c. 5. Sall. Cat. c. 21. CORT.

Absentem memoria colam) Malim legi *absentium*, &c. LAMB.



M. T.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM AD TIRONEM,

LIBER SEXTVS DECIMVS.

ORdinem epistolarum fere omnium ad Tironem ostendit ratio temporis, ex adscripta cuique die, & in ipso argumento satis nota. Prima sine dubio est, quæ incipit, *Paullo facilius*: secunda, *Non queo*: tertia, *Nos apud*: quarta, *Varie*: quinta, *Vide*: sexta, *Facilius*: septima, *Septimum*: octava, *Nos a te*: nona, *Etsi opportunitatem*: decima, *Quo in discrimine*: undecima, *Magnæ*: duodecima, *Omnia*: tertiadecima, *Menandrus*: quartadecima, *Ægypta*: quintadecima, *Spero*: sextadecima, *Video*: decimaseptima, *Sollicitat*: decimaoctava, *Exspecto*: decimanona, *Ego vero*: vicesima, *Quid igitur?* vicesimaprima, *De Tirone*: vicesimasecunda, *Etsi mane*: vicesimatertia, *Tu vero*: vicesimaquarta, *Cum vehementer*: vicesimaquinta, *Etsi justa*: vicesimasexta, *Verberavi*: vicesimaseptima, *Mirificam*.

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

Suum Cicero Tironi desiderium significat. Cum enim e Cilicia proconsul ad urbem rediret, servum sibi carissimum Tironem, cujus præcipue opera in litteris utebatur, ægrum Patris reliquit: ad eum sæpe ex itinere testes amoris ac desiderii sui litteras misit. L. Paullo, C. Marcello Coss.

M. T.

M. T. C. et Cicero meus, et Fr. et Fratris Fil. Tironi S. P. D.

PAullo facilius putavi posse me ferre desiderium tui, sed plane non fero: & quamquam magni ad honorem nostrum interest, quam primum ad urbem me venire; tamen peccasse mihi videor, qui a te discesserim. Sed quia tua voluntas ea videbatur esse, ut prorsus, nisi confirmato corpore, nolles navigare, adprobavi tuum consilium, neque nunc muto, si tu in eadem es sententia. Sin autem postea quam cibum cepisti, videris tibi posse me consequi, tuum consilium est. Marionem ad te eo misi, ut aut tecum ad me quam primum veniret; aut, si tu moratere, statim ad me rediret. Tu autem hoc tibi persuade, si commodo valetudinis tuæ fieri possit, nihil me malle, quam te esse mecum: si autem intelliges opus esse, te Patris convalescendi causa paullum commorari, nihil me malle, quam te valere. Si statim navigas, nos Leucade consequere: sin te confirmare vis, & comites, & tempestates, & navem idoneam ut habeas, diligenter videbis. Vnum illud, mi Tiro, videto, si me amas, ne te Marionis adventus, & hæ

Epistola I.

EArum epistolarum ordinem, in omnibus libris perturbatum, nos, rationem & judicium virorum doctorum secuti, restituimus. Lamb. Ordo Epistolarum in hoc extremo libro valde perturbatus est; nos eum, quem Lambinus construxit, secuti sumus, non multum interesse existimantes, quo loco hæc vel illa legatur. Vitiis bellum indiximus, ut suum nitorem Tullio reciperemus: velitari vero, quid priore, quid posteriore acie collocandum sit, cum tot editionibus, animum numquam induximus. Gebhard. Adisis Var. Lect. libell. Græv.

M. T. C. et Cic. meus et Fr.) Ex Cilicia redeuntes. Corr.

Tironi) Patris ægro relicto. Idem.

Desiderium tui) Absentis: absentes enim desideramus. VI. ep. 23. VII. ep. 15. & sic alibi. Æque eleganter Plin. Paneg. c. 10. *Eo ipso carus omnibus ac desiderandus, quod prospexerat, ne desideraretur*. Cort.

Adprobavi tuum consilium; neque nunc muto) Nihil mutandum censeo. Peckio excerpta, *neque nunc nuto*, sicut & prima editio. Palatinus tertius legit *mitto*. Gebhard. *Neque nunc muto*. Consilium meamque adprobationem. *Non muto factum* apud Terent. Andr. A. I. Sc. I. v. 13. Seneca IV. Benef. c. 38. Cort.

Posteaquam cibum cepisti) Ex medicorum præceptis, qui de cibo ægris dando multa scribunt, & inter se etiam dissentiut, ut scribit Celsus. Corr.

Patris) Patræ urbs Achaiæ nobilis, quæ portum habet commodum. Græv.

Leucade) *Leucas* urbs Acarnaniæ. Idem.

Et navem idoneam) Comites etiam *idoneos*, & tempestates *idoneas* per consuetam Syllepsin, de qua ad I. ep. 9. Apud

& hæ litteræ moveant. Quod valetudini tuæ maxime conducet si feceris, maxime obtemperaris voluntati meæ. Hæc pro tuo ingenio considera. Nos ita te desideramus, ut amemus: amor ut valentem videamus hortatur, desiderium, ut quam primum. Illud igitur potius. Cura ergo potissimum ut valeas. De tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratissimum. III. Nonas Novembres.

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Scribit de sua sollicitudine, suoque ad Alyziam accessu: rogat ut valetudinem diligenter curet.

TVLLIVS TIRONI SVO S. P. D.

NOn queo ad te nec lubet scribere, quo animo sim affectus: tantum scribo, & tibi, & mihi maximæ voluptati fore, si te firmum quam primum videro. Tertio die abs te ad Alyziam accesseramus. Is locus est citra Leucadem stadia CXX. Leucade aut te ipsum, aut tuas litteras a Marione putabam me accepturum. Quantum me diligis, tantum fac ut valeas, vel quantum te a me scis diligi. Nonis Novembr. Alyzia.

EPI-

9. Apud A. Gellium IX. c. 3. quædam editiones: *Philippus cujus vim atque arma toti Græciæ cavendam metuendamque Demosthenis orationes vocificant*: quod cur Thysius pro non-latino habuerit, non video. CORT.

Hæc pro tuo ingenio considera) Si scriberet ad unum alicujus auctoritatis, dixisset, pro tua sapientia. Diligenter expende, ut soles: male Manutius. I FR. GRON.

Desiderium, ut quam primum) Desiderium *hortatur, ut quam primum te videamus*. Apertissimum Zeugma, & eo nomine notandum. Similiter fere VII. ep. 28. *Sapienter hæc reliquisti, si consilio: feliciter, si casu*. CORT.

EPISTOLA II.

N*On queo ad te*) Numerus requirebat, pro *Nequeo*. Sic ex Ennio supra VII. ep. 6. & III. Offic. c. 15. CORT.

Vel quantum te a me scis diligi) Similis adhortatio ep. 4. & aliis. Sed hic præterea est quædam transpositio: nam nos dicimus: *Quantum me diligis*, vel quantum te a me scis diligi, *tantum fac ut valeas*. Sed eodem modo mox in inscriptione ep. 3. & aliis: adde, quod *vel* in posteriori membro habeat vim quamdam correctionis & inferat, Tironi vel propter amorem, quo ipsum Tullius prosequeretur, valetudini studere, opus esse,

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Rogat, ut omni cura valetudini serviat.

TVLLIVS ET CICERO TIRONI SVO, ET Q. PATER, ET Q. FILIVS S. D.

NOs apud Alyziam, ex quo loco tibi litteras ante dederamus, unum diem commorati sumus, quod Quintus nos consecutus non erat. Is dies fuit Nonæ Novembr. Inde ante lucem proficiscentes, ante diem VIII. Idus Novemb. has litteras dedimus. Tu, si nos omnes amas, & præcipue me, magistrum tuum, confirma te. Ego valde suspenso animo exspecto, primum te scilicet, deinde Marionem cum tuis litteris. Omnes cupimus, ego in primis, quam primum te videre, sed, mi Tiro, valentem. Quare nihil properaris: satis quotidie videro, si valebis. Vtilitatibus tuis possum carere: te valere, tua caussa primum volo, tum mea, mi Tiro. Vale.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Tota cohortatio est ad curandam valetudinem.

M. T. C. ET Q. FR. ET Q. FIL. TIRONI S.

VArie sum affectus tuis litteris, valde priore pagina perturbatus, paullum altera recreatus. Quare nunc qui-

esse, & tanta quidem cura, quantus ille sit amor. IDEM.

EPISTOLA III.

NOs apud Alyziam) Haud procul ab Alyzia urbe, circa Alyziam: ep. 2. ad Alyziam scripsit, quomodo Livius XXXII. c. 5. ad Antigoniam. Sall. Iug. c. 58. Dum apud Zamam se certatur. CORT.

Magistrum tuum) Qui te docuit, ep. 10. IDEM.

Satis quotidie videro) Satis properanter, mature, quod addit epist. 4. IDEM.

quidem non dubito, quin, quoad plane valeas, te neque navigationi, neque viæ committas: satis te mature videro, si plane confirmatum videro. De medico & tu bene existimari scribis, & ego sic audio: sed plane curationes ejus non probo. Ius enim dandum tibi non fuit, cum κακοστόμαχος esses: sed tamen & ad illum scripsi accurate, & ad Lysonem. Ad Curium vero, suavissimum hominem, & summi officii summæque humanitatis, multa scripsi: in his etiam, ut, si tibi videretur, te ad se transferret. Lyso enim noster vereor ne negligentior sit: primum quia omnes Græci, deinde, quod cum a me litteras accepisset mihi nullas remisit; sed eum tu laudas. Tu igitur quid faciendum sit judicabis. Illud, mi Tiro, te rogo, sumtui ne parcas ulla in re, quod ad valetudinem opus sit. Scripsi ad Curium, quod dixisses, daret. Medico ipsi puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior. Innumerabilia tua sunt in me

EPISTOLA IV.

Ius enim tibi dandum non fuerat, cum κακοστόμαχος) Celsus quoque l. II. cap. 24. inter ea quæ aliena *stomacho* sunt jurulenta ponit: merito igitur culpavit Asclaponem Medicum Cicero; si enim firmo stomacho jurulenta non conveniunt, quanto magis infirmum affectumque Tironis jus quod ei dederat, lædere potuit? *κακοστόμαχον* appellavit, qui stomacho laboraret. Idem Medicinæ candidissimus auctor, cum inquit: *At imbecillis stomacho, quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pene cupidi litterarum sunt, κακοστομάχους* intellexit. VICTOR.

Ius dand. t. non f.) Ius enim, ut docent medici, stomachum languidum reddit, præsertim si frequentius sumatur. CORRAD.

Quia omnes Greci) Græcorum natio vanitatis & levitatis infamis erat, vide Cicer. pro Sextio cap. 43. pro Flacco c. 4. & alibi: hinc & negligentiores habebantur. Adde Barth. XI. Advers. c. 19. CORT.

Sumtui ne parcas, ulla in re, quod) Pecuniæ erogandæ. De hac locutione veterum, *re quod*, vid. III. Observ. 2. I. FR. GRON. Recte *quod*, ut confirmavit I. Fr. Gronovius: vide Liv. ad IV. ep. 2. citatum & quæ alia ad V. ep. 14. notata. Livius XLIII. c. 17. Sall. Iug. c. 41. ibi plura. CORT.

Quod dixisset daret medico: ipsi puto aliquid dandum esse) Hæc verba (nisi fallor) perperam distincta sunt: &, ut arbitror, ita interpungi debent, *quod dixisset, daret: medico ipsi puto aliquid dandum esse*: ut certiorem faciat Cicero Tironem se ad Curium scripsisse, ut ei daret numeraretque pecuniam, quam dixisset ac poposcisset, ut illa ipse in sumtum uti posset. Admonet tamen Tironem, ut ante omnia medico ipsi partem aliquam illius pecuniæ solvat, quo studiosior ac diligentior ille sit; neque enim verisimile est, jubere Ciceronem mercedem aliquam Curio dari, qui civis Romanus erat & locuples homo, & Ciceronis in primis familiaris, quemadmodum ex epistolis ipsius intelligi potest, quæ sunt in libro ad Marium, nec non ex epistola Curii ad Ciceronem; quidquid enim ille pro salute & commodis Tironis faciebat, officii gratia faciebat & jure amicitiæ, qua cum patrono ipsius arcte conjunctus erat. Hanc etiam

me officia, domestica, forensia, urbana, provincialia, in re privata, in publica, in studiis, in litteris nostris. Omnia viceris, si, ut spero, te validum videro. Ego puto te bellissime, si recte erit, cum quæstore Mescinio decursurum: non inhumanus est, teque, ut mihi visus est, diligit, & cum valetudini tuæ diligentissime consulueris, tum, mi Tiro, consulito navigationi. Nulla in re jam te festinare volo: nihil laboro, nisi ut salvus sis. Sic habeto, mi Tiro, neminem esse qui me amet, quin idem te amet: & cum tua & mea maxime interest te valere, tum multis est curæ. Adhuc, dum mihi nullo loco deesse vis, numquam te confirmare potuisti: nunc te nihil impedit: omnia depone, corpori servi: quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri judicabo. Vale, mi Tiro, vale, vale & salve. Lepta tibi salutem dicit, & omnes. Vale. VII. Idus Novembr. Leucade.

EPISTOLA V.

ARGUMENTUM.

Rogat Tironem, ut valetudinem curet.

TVL-

etiam suspicionem confirmant verba illa, quæ sunt in tertia ab hac epistola: *Curio misi, ut medico honos haberetur, & tibi daret quod opus esset: me cui jussisset curaturum.* Ostendunt enim voluisse Ciceronem in potestate Tironis nummos esse, quamvis ei mandet, quod prætermitti non potuit, ut medico statim mercedem dissolvat. VICTOR.

Mescinio) Epist. 20. lib. V. CORRADUS.

Nihil laboro) Pro *non*, nisi ut salvus sis laboro, qua significatione *nihil* habuimus VI. ep. 6. & X. ep. 24. Sed accipe pro *ob nihil*, *in nulla re*, uti supra IX. epist. 3. *Id laborandum est.* Citavit huuc locum Schefferus ad Phædr IV. Fab. XXIII. v. 16. adde IX. ep. 3. CORT.

Corpori servi) Ea solum modo cura, quibus corpus sanitati restituatur. Plus est *corpori servire*, quam quod Plin. I. ep. 9. dixit, *corpori vacare*, & Phædr. Prolog. III. v. 13. *otium des corpori*. IDEM.

Fieri a te judicabo) Ita regii codices. Vulgati omittunt medias voces, quæ vix subintelligi possunt. LALLEM.

Lepta) Ep. 7. lib. III. CORRAD.

TULLIUS ET CICERO, ET Q. Q. TIRONI HUMANISS. ET OPT. S. P. D.

VIde, quanta sit in te suavitas; duas horas Thyrei fuimus. Xenomenes hospes tam te diligit, quam si vixerit tecum. Is omnia pollicitus est, quæ tibi essent opus: facturum puto. Mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem deportaret, ut ibi te plane confirmares. Videbis, quid Curio, quid Lysoni, quid medico placeat. Volebam ad te Marionem remittere: quem, cum meliuscule tibi esset, ad me mitteres: sed cogitavi, unas litteras Marionem afferre posse, me autem crebras exspectare. Poteris igitur, & facies, si me diligis, ut quotidie sit Acastus in portu. Multi erunt, quibus recte litteras dare possis, qui ad me libenter perferant. Equidem Patras euntem neminem prætermittam. Ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo. Nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius; ei te totum trade. Malo te paullo post valentem, quam statim imbecillum videre. Cura igitur nihil aliud, nisi ut tu valeas: cetera ego curabo. Etiam atque etiam vale. Leucade proficiscens VII. Idus Novembr.

EPI-

EPISTOLA V.

DUas horas Thyrei fuimus) Monet vir eruditus, (indicarunt alii, quorum verba fere pono) videamus an rectius *Thyreis*, legatur: cujus, ut Epiri insulæ, mentionem facit Strabo. Paullo post legunt Palatinus sextus, Hittorpianus, *quasi vixerit tecum*: sed vulgatum defendit Catullus: *Utor tam bene, quam mihi pararim*: imo potius illam, quam ex vet. cod. oræ vulgatarum editionum impresserunt, *quam vixerit tecum*: mihi illa genuinam ac veterem elegantiam redolere videtur. GEBHARD. Rectum est *Thyrei*. Thyreum enim oppidum est Acarnaniæ. Stephanus: Ἐςι και Ακαρνανιας Θυρειον δια των ι, εθνικον Θυρευς. Meminit ejus Livius etiam lib. XXXVI. GRÆV.

Omnia pollicitus est) Omnia sese facturum, quod mox addit: confer ad VII. ep. 32. & II. ep. 12. notata. CORT.

Ut te Leucadem deportaret) Sic rectius ex Pall. Vaticani excerptis, editione prima, ac Victoriana. Hittorpianus tamen *adportaret*: vulgo *deportares*. GEBHARD.

Curio) Ep. 29. lib. VII. CORRAD.

Lysoni) Ep. 19. lib. XIII. IDEM.

Medico) Asclaponi, epist. 20. lib. XIII. IDEM.

Nihil potest illo fieri humanius) Nemo illo exsistit, aut esse potest humanior. Vide IV. epist. 4. XII. ep. 16. CORT.

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Rogat, ne quid omittat, quod ad recuperandam valetudinem spectet.

M. TULLIUS CIC. PATER ET FIL. ET Q. Q. TIRONI S. D.

TErtiam ad te hanc epiſtolam ſcripſi eodem die, magis inſtituti mei tenendi cauſa, quia nactus eram, cui darem, quam quod haberem quid ſcriberem. Igitur illa: quantum me diligis, tantum adhibe in te diligentiæ. Ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratiſſimum omnium, cum valetudinis rationem, ut ſpero, habueris, habeto etiam navigationis. In Italiam euntibus omnibus ad me litteras dabis, ut ego euntem Patras neminem prætermitto. Cura, cura te, mi Tiro; cum non contigit

EPISTOLA VI.

TErtiam) Prima fuit 1. hujus libri, ſecunda fuit 6. hujus libri. CORRAD. Sed vide de hoc epiſt. ordine Var. Lect. lib. XVI. ep. 1. GRÆV.

Quod haberem, quid ſcriberem) Recte *quid* poſt verbum *habeo* poni, late docet Malaſpina ad Cic. I. ad Attic. ep. 12. qui contra poſt verbum *Eſſe* defendit *quod*, & non *quid* dicendum eſſe aſſerit. Mihi contra videtur utrumvis recte poſt utrumque verbum poni poſſe. Eſt enim integrum *habeo aliquid, quod ſcribam*: *Eſt mihi aliquid, quod ſcribam*: & eamdem ellipſin in *ſi quid* alibi obſervavimus. CORT.

Cura te mi Tiro) Nos auxilio vetuſtorum codicum bis *Cura* ſcripſimus, nota figura, & quæ oſtendat majore quodam affectu pronunciata eſſe hæc verba. Quod veriſimile eſt cum tantum de ſalute Tironis ſollicitus eſſet. Ariſtoph. in Ranis non ſemel ſic locutus eſt: *Πραγμα πραγμα γαρ κεκινηται μεγα εν τοις νεκροισι, και στασις πολλη πανυ. Motus, motus ingens exortus eſt inter mortuos, & magna omnino ſeditio.* Item,

Αρν' αρνα μελαιναν παιδες εξενεγκατε.
Agnam, agnam nigram pueri adducite.

Sed tam frequens eſt apud poetas, & oratores hæc figura, ut omnes ſciant vim quam habet, ejuſque elegantia capiantur; ſæpe tamen (quod incommode accidit) vitio librariorum deleta eſt: qui cum in exemplari eamdem vocem repetitam viderent, mendum eſſe putantes, ſemel tantum ſcribebant. VICTOR. *Cura, cura te*: tamquam medicus, ut epiſt. 5. & 7. Sic V. ep. 16. *cura doloris tui*: hoc libro ep. 4. *Curationes* dixit: cui adde Phædr. V. Fab. VI. v. 12. quomodo Sulpic. Sever. de Vita Mart. c. 16. Tertullian. Apolog. cap. 22. Ceterum *Cura, cura te* ſcripſimus auctoritate Codicum, quos Victorius inſpexit. Sic ep. 4. *Vale, mi Tiro, vale, vale & ſalve.* CORT.

Et-

tigit, ut simul navigares, nihil est quod festines: nec quidquam cures, nisi ut valeas. Etiam atque etiam vale. VII Idus Novembr. Actio, vesperi.

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

Adversis ventis Corcyrae se teneri significat. Tironem hortatur, ut se curet, nec nisi confirmatus naviget.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

SEptimum jam diem Corcyrae tenebamur, Quintus autem pater, & filius Buthroti. Solliciti eramus de tua valetudine mirum in modum; nec mirabamur nihil a te litterarum. Iis enim ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyrae non sederemus. Cura igitur te & confirma: &, cum commode, & per valetudinem, & per anni tempus navigare poteris, ad nos amantissimos tui veni. Nemo nos amat, qui te non diligat; carus omnibus exspectatusque venies.

EPISTOLA XII.

COrcyrae tenebamur) Corcyra insula maris Ionii, quae nunc *Corfu*. GRAEV. Detinebamur, ep. 9. *Corcyrae fuimus, tempestatibus retenti*. Sic jam supra aliquoties Noster: & notatum ad X. ep. 31. CORT.

Tenebamur) Ego, filius, & reliqui familiares. Q. autem *frater*, sive (utroque enim modo legitur) *pater*, & ejus filius Buthroti tenebantur. CORRAD.

Buthroti) *Buthrotum* Epiri urbs est. IDEM.

Iis enim ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyrae non sederemus) Iste locus corruptus est, si recte perpendatur. Cicero, qui Patris reliquerat Tironem aegrum, in Italiam navigaverat, sed Corcyrae ventis adversis detinebatur. Hinc dicit se non mirari, nihil litterarum sibi afferri a Tirone, quia istis ventis, qui tunc flabant, commode Corcyra Patras posset curri, non vero Patris Corcyram. Quid vero est, *qui si essent, nos Corcyrae non sederemus*? Atqui erant ii venti, qui Patras propellebant naves Corcyra solventes: propter illas sedebat in illa insula invitissimus. Legendum censeo, ut huic loco sententia constet, *qui nisi essent, nos Corcyrae non sederemus*. Vltimae litterae praecedentis copulae *qui* videntur primam syllabam τοῦ *nisi* imbibisse. Si hi venti non essent, nos Corcyrae non moraremur. GRAEV.

XV. Kal. Nov.) XV. Kal. Decemb. legendum, nemo non videbit, qui epist. 9. hujus lib. leget, in qua a Tirone ad IV. Non. Novemb. discessisse ostendit. CORRAD. Videtur scribendum XVI. scribit enim in 9. hujus libri epistola: *Corcyrae fuimus usque ad XVI. Kal. Decembr.* VRSIN.

Nos Corc. non sederemus) Haereremus. Valer. Max. VII. c. 4. adde quae infra ad ep. 24. CORT.

nies. Cura, ut valeas etiam atque etiam, Tiro noster. Vale xv. Kalend. Novembr. Corcyra.

EPISTOLA VIII.

ARGUMENTUM.

Q. Cicero, quantæ sibi Tironis valetudo curæ sit, amantissimis verbis ostendit.

Q. C. TIRONI S.

MAgnæ nobis est sollicitudini valetudo tua; nam, tametsi qui veniunt, ακινδυνα μεν, χρονιωτερα δε nunciant, tamen in magna consolatione ingens inest sollicitudo, si diutius a nobis absuturus est is, cujus usum & suavitatem desiderando sentimus. Attamen quamquam videre te tota cogitatione cupio; tamen te penitus rogo, ne te tam longæ navigationi, & viæ per hiemem, nisi bene firmum committas, neve naviges, nisi explorate. Vix in ipsis tectis & oppidis frigus infirma valetudine vitatur, nedum in mari & via sit facile abesse ab injuria temporis.

Ψυχος δε λεπτῃ χρωτι πολεμιωτατον,

inquit

EPISTOLA VIII.

Q. *CIC. TIR. S. Magnæ nobis &c.*) Nos secuti antiquorum codicum fidem, qui in hoc omnes conveniebant, hanc epistolam *Q. Ciceroni* restituimus; nam etsi quasdam conjecturas, quæ id confirmarent, adferre possemus, satis esse putavimus librorum vetustatem, testimonium, ut suum unicuique reddatur. Quod autem in cunctis impressis ante legebatur, Q. *Frater tibi Sal. dic.* Nos cum iisdem codicibus scripsimus: *Qu. F. tibi Sal. dic.* F autem filium significare non fratrem, nemo est qui nesciat. VICTOR.

T. CICERO) Al. *Q. Cicero*: itaque legendum est. CORRAD.

Si diutius a nobis) *Si* habet vim τοῦ *quandoquidem*, uti ad XII. ep. 12. docuimus. CORT.

Absuturus est is) Multi MSi *afuturus es is*, ea figura, qua supra XII. ep. 14. *atque hæc is feci, qui*. Ceterum libri meliores omnes *afuturus*, non *absuturus*, quod in Plauto, Terentio, Valerio Flacco & multis aliis Viri docti restituerunt, vide Gifanii Collectanea in Lucret. p. 476. Virg. VII. Æneid. v. 498. Silius XIII. v. 268. Vide quos ibi citat Cl. Drackenborch. IDEM.

Tota cogitatione cupio) Semper de te cogito, &, cum cogito, videre cupio. Sed cum nullum adeo magnum discrimen in his rebus apud veteres fuerit observatum, *tota cogitatione cupere* idem erit, quod *tota anima cupere*. Vellei. Pat. II. c. 17. IDEM.

Nisi explorate) Non tam explorata valetudine tua, quam explorata fide tempestatis. Sic Rutilius I. Itiner. v. 205 IDEM.

Λεπτῳ χρωτι) Optime Pal. prim. λεπτοχρωτι Hesychio est θρυψιχρως, qui

inquit Euripides. Cui tu quantum credas, nescio; ego certe singulos ejus versus singula ejus testimonia puto. Effice, si me diligis, ut valeas, & ut ad nos firmus ac valens quam primum venias. Ama nos, & vale. Q. F. tibi salutem dicit.

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

Navigationis descriptio, & ad curandam valetudinem benevolentiæ plena cohortatio.

M. T. ET C. ET Q. TIRONI S. P. D.

NOs a te, ut scis, discessimus a. d. IV. Non. Novemb. Leucadem venimus a. d. VIII. Idus Novembr. a. d. VII. Actium, ibi propter tempestatem ad VI. Idus morati sumus. Inde a. d. quintum Idus Corcyram bellissime navigavimus. Corcyræ fuimus usque ad XVI. Kalend. Decembr. tempestatibus retenti; a. d. XV. Kalend. Decembr. in portum Corcyræorum ad Cassiopen stadia CXX processimus. Ibi

qui exponit τρυφερος. Hesiodo vero απαλοχρους, qui tenui sive tenero est corpore, ac cute. Eadem ratione μελαγχρως apud Eurip. qui nigra est cute. GRAV.

Q. *Frater*) Q. F. hoc est, *Quintus filius*, describendum fuit. CORRAD.

EPISTOLA IX.

A *Portu Corcyræorum ad Cassiopen*) Vetusta exemplaria *Cassioden*. Nos erratum unius litteræ in illis esse existimavimus, & *Cassiopen* restituimus: de quo portu Strabo lib. VII. *Εν τουτῳ δ' εςι τῳ διαςηματι* Πανορμος τε λιμην και μεγας εν μεσοις τοις Κεραυνιοις ορεσι· και μετα ταυτα Ογχισμος λιμην αλλος, καθ' ὁν τα δυσμικα ακρα της Κερκυραιας αντικειται· και παλιν αλλος Κασσιοπη, αφ' ὑ επι Βρεντεσιον χιλιοι ἑπτακοσιοι ςαδιοι, οἱ δ' ισοι επι Ταραντα απο αλλυ ακρωτηριυ νοτιωτερυ της Κασσιοπης ὁ καλυσι Φαλακρον. *In hoc quidem intervallo Panormus est portus intra Ceraunios montes amplissimus, & post illum Onchismus portus alius, ad quem promontoria Corcyræ in occasum vergentia opposita jacent. Alius item Cassiope, ex quo usque Brundusium stadia intersunt mille & septingenta, totidemque ab altero Cassiope promontorio in austrum spectante usque Tarentum quod Phalacrum idest calvum appellant*. Plinius etiam lib. IV. cap. 12. *Insulæ autem ex adverso Thesprotiæ Corcyra, a Buthroto XII. ∞ pass. eadem ab Acrocerauniis L. ∞. cum urbe ejusdem nominis Corcyra libera civitate & oppido Cassiope temploque Cassii Iovis, pass. IXXXXXVII. in longitudine patens*. Sed & A.Gellius in initio lib XXI. *Navigabamus a Cassiope Brundusium*. VICTOR. *A portu Corcyræorum ad*) Al. *in portum Corcyræorum, & ad*. CORRAD. *Cassiopen*) Ita nunc quoque vocant. IDEM. *Ad Cassiopen* legendum ex Plinio lib. IV. exstant etiam numismata vetera K+Σ. ΣΙΛ.

Ibi retenti ventis ſumus uſque ad IX. Kalendas. Interea, qui cupide profecti ſunt, multi naufragia fecerunt. Nos eo die cœnati ſolvimus. Inde Auſtro leniſsimo, cælo ſereno, nocte illa & die poſtero in Italiam ad Hydruntem ludibundi pervenimus: eodemque vento poſtridie, id erat a. d. VII. Kalend. Decembr. hora quarta Brunduſium venimus: eodemque tempore ſimul nobiſcum in oppidum introiit Terentia, quæ te facit plurimi. A. d. v. Kal. Decemb. ſervus Cn. Plancii Brunduſii tandem aliquando mihi a te exſpectatiſsimas litteras reddidit, datas Idib. Novembr. quæ me moleſtia valde levarunt, utinam omnino liberaſſent. Sed tamen Aſclapo medicus plane confirmat, propediem te valentem fore. Nunc quid ego te horter, ut omnem diligentiam adhibeas ad convaleſcendum? Tuam prudentiam, temperantiam, amorem erga me novi; ſcio te omnia facturum, ut nobiſcum quam primum ſis; ſed tamen ita velim, ut ne quid properes. Symphoniam Lyſonis velim vitaſſes,

ΣΩΠΑΙΩΝ. VRSIN. Vtrumque recte dicitur *Caſſiope* & *Caſſope*. Sed omnes exarati manu codices, quos vidi, meus ſecundus, Mentel. Amſtelod. & præter hos Hittorp. Pal. ſext. ſcribunt *in portum*: quam lectionem cur ſpreverint editores, non video. Nam in Epiro vicina Corcyræi portum habuerunt ad Oppidum Caſſiopen, qui & *Caſſiope* dictus eſt, quem deſcripſit Strabo, & memorat Ptolem. & Vlpian. lib. XIV. Pandect. *Vt ecce ſunt naves, quæ Brunduſium a Caſſiope, vel a Dyrrachio vectores trajiciunt*. Ex illo enim trajiciebant in Italiam. GRÆV.

Solvimus) Poſt cœnam eo die conſcendimus navem. FVNC.

Ad Hydruntem) *Hydrus*, ſeu Hydruntum, hodie *Otranto*, eſt Calabriæ Oppidum Brunduſio diſtans centum quinquaginta ſtadia, Strabone teſte. GRÆV.

Valde levarunt ... liberaſſent) *Levare* eſt *leviorem reddere*, minuere moleſtiam, non omnino liberare. IX. ep. 16. CORT.

Nunc quid ego te horter?) Elegantiſſime & rectiſſime ſic reſtituo ex Vaticani excerptis ac Victorii editione, ſimulque interpungo. Nec multum me deſtituunt Palatini, duabus litteris peccantes, *nunc quidem ego te horter*. (ſic & Amſtelod.) Vulgo, *nunc equidem ego te horter*. GEBHARD.

Symphoniam Lyſonis) Concentum omnes interpretantur: ſed alii ad convivium, alii ad venam referunt, quaſi venam Lyſo Tironi tetigiſſet. Nos tantum dicimus, in duobus veteribus libris aliter legi: in altero quidem *Symphoniam*, ut forte ſcribi poſſit συμπονεῖν: in altero autem, *ſcis quam viam*: ut omnino ad quemdam potius laborem, quam ad voluptatem accommodandum videatur. CORRAD. *Symphoniam Lyſonis*) Vellem non interfuiſſes convivio Lyſonis, in quo Symphonia cecinit, ut loquitur III. Verr. 44. vel Symphoniaci pueri cecinere, V. Verr. 31. pro Cœl. XV. I. FR. GRON. Videtur Tironem invitaſſe ad ſymphoniam audiendam; ex quo, inſueto aeri diutius, quam ferre valetudo poterat, expoſitus, pejus ſe habere cœperat. CELLAR. *Convivium* Lyſonis, in quo ſymphonia audita eſt, vide III. Verr. c. 44. pro Cœlio c. 15. quam frequens enim ſymphe-

tasses, ne in quartam hebdomada incideres. Sed, cum pudori tuo maluisti obsequi, quam valetudini, reliqua cura. Curio misi, ut medico honos haberetur, & tibi daret, quod opus esset: me, cui jussisset, curaturum. Equum & mulum Brundusii tibi reliqui. Romæ vereor ne ex Kal. Ian. magni tumultus sint. Nos agemus omnia modice. Reliquum est, ut te hoc rogem & a te petam, ne temere naviges. Solent nautæ festinare quæstus sui causa. Cautus sis, mi Tiro. Mare magnum & difficile tibi restat. Si poteris, cum Mescinio: caute is solet navigare; si minus, cum honesto aliquo homine, cujus auctoritate navicularius moveatur. In hoc

phonia in conviviis fuerit, tam ex Seneca, quam Petronii c. 32. 33. & multis aliis constat. Sic Plinius I. epist. 15. Erant & medici, qui per *symphoniam* curabant, qualis forte Lyso Græculus, de quo ut & *hebdomadis*, vide A. Gellium III. c. 10. & quæ ibi viri docti. CORT.

In quartam hebdomada) Medici eos dies, quos κρισιμους vocant, in hebdomadas contrahunt, quarum hic *quartam* dici potius arbitror, quam quod quidam putarunt, unam ex illis duodecim hebdomadibus, quibus in libris Hetruscis fatalem hominis ætatem describi Varro commemorat: qua in re Cœlius Calcagninus, Ferrariæ decus atque adeo Italiæ, a me non dissentiebat. CORRADVS. Recte de diebus κρισιμοις ægrotorum intelligit, quæ hebdomadibus describebantur apud Græcos Medicos. Censorinus de Die natali, cap. 11. *Hippocrates quoque, aliique medici in corporum valetudinibus non aliud ostendunt. Namque septimum quemque diem κρισιμον observant*. Idem cap. 14. *Vt in morbis dies septimi suspecti sunt ac κρισιμοι dicuntur, ita per omnem vitam septimum quemque annum periculosum, & velut κρισιμον esse & κλιμακτηρικον vocari*. Gell. III. cap. 10. *Discrimina etiam periculorum in morbis majore vi fieri putant in diebus, qui conficiuntur ex numero septenario: eosque dies omnium maxime, ita ut medici appellant, κριτικους η κρισιμους, cuique videri primam hebdomadam, & secundam, & tertiam*. Videtur igitur Lyso invitasse Tironem ad audiendam symphoniam, sed ea defatigatus, deterius se habuit, ut hinc Cicero vereretur, ne in quartam hebdomadam ejus morbus incurreret, & protraheretur. GRÆV. *Quartam hebdomada*) Sic Victorius, Gronovius, Grævius. Sic *Calcedona*, *lampada*, & multo plura, quæ recenset Th. Munckerus Differt. de Stilo Hygini p. 10. CORT.

Vt medico honos haberetur) Recte Manutius de pecunia intelligit. Cæsar II. de Bello civili: *Quibusdam civitatibus habitis honoribus Tarracone discedit*: hoc est, præmiis distributis. Curtius lib. IX. 1. *Rex copiarum duces coronis & mille aureis singulos donat: ceteris quoque pro portione aut gradus, quem in amicitia obtinebant, aut navatæ operæ honos habitus est*. GRÆV. Non simpliciter *honor* significat istis locis mercedem aut præmium, sed proprie αντιδωρον sive αντευεργετημα. Apposite Tellus apud Ovid. Metam. lib. III. v. 285.

Hos ne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem
Officiique refers. VERBVRG.

Me, cui jussisset, curaturum) Romæ tantum pecuniæ, quantum mihi expensum tulisset. CORRAD.

Ex Kal. Ianuar.) Inde a Kalendis, & post. II. Verr. c. 10. *Hunc judicem ex Kalendis Ianuariis non habebimus*. CORT.

Magni tumultus) Cæsaris causa. CORRAD.

Mare magnum) Longum & impetuosum, Sall. Iug c. 18. CORT.

hoc omnem diligentiam si adhibueris, teque nobis incolumem præstiteris, omnia a te habebo. Etiam atque etiam noster Tiro vale. Medico, Curio, Lysoni de te scripsi diligentissime. Vale, salve.

EPISTOLA X.

ARGUMENTUM.

Narrat, quam Tironi periculosum sit, post morbum in viam se dare: & ejus operam in studiis exigit.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

EGo vero cupio te ad me venire, sed viam timeo; gravissime ægrotasti, inedia, & purgationibus, & vi ipsius morbi consumtus es. Graves solent offensiones esse ex gravibus morbis, si quæ culpa commissa est. Iam ad id biduum, quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formiano ad III. Kalend. esse volo. Ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice. Litterulæ meæ, sive nostræ, tui desiderio oblanguerunt. Hac tamen epistola, quam Acastus attulit, oculos paullum sustulerunt. Pompeius erat apud me, cum hæc scribebam. Hilare & libenter ei cupienti audire nostra dixi, sine te omnia mea muta esse. Tu Musis nostris para ut operas reddas; nostra ad diem dictam fient. Docui enim te,

EPISTOLA X.

VI *ipsius morbi*) *Vis morbi* eleganter dicitur & sæpissime pro ipso morbo: vide mox ep. II. CORT.

Accedent continuo) *Continuati* quasi & cohærentes: vide ad X. epist. 18. IDEM.

Pompeius erat apud me) Nisi *Pomponius* legatur, hæc epistola ante quam in Ciliciam Cicero proficisceretur, scripta fuerit necesse est; nam a Cic. reditu ex Cilicia ad Pompeii discessum ex Italia, nec Tiro in Italia fuit, nec Pompeius animo ita tranquillo, ut Ciceronis scripta audire cupierit: vel certe alius Pompeius significabitur. CORRAD.

Operas reddas) Vt *iterum* Musæ nostræ opera tua uti queant, quæ erat Ciceronis vel aliorum scripta recitare, scribere, evolvere, examinare, ut bene Io. Worstius exponit ad Iustin. Præf. Male vero ibidem Grævius putat *reddere* hic positum esse pro simplici *dare*. CORT.

Nostra ad diem dictam fient) Modus loquendi sumtus a Græcis: illi enim ες ρητην ημεραν. Vtuntur eo sæpe Romanarum rerum Graci scriptores, Plutarchus, Dion, Appianus. Terentius,

te, fides ετυμον quod haberet. Fac plane ut valeas; nos ad summum. Vale. XIIII Kal.

EPISTOLA XI.

ARGVMENTVM.

Rogat, ut præter valetudinem nihil curet: addit de suo ad urbem adventu, de statu reip. civilibus discordiis perturbato, de triumpho, de præfectura Campana. Lentulo, Marcello Coss.

M. T. ET C. TERENTIA ET TVLLIA, Q. FRATER ET Q. F. TIRONI S. P. D.

ETsi opportunitatem operæ tuæ omnibus locis desidero; tamen non tam mea quam tua causa doleo, te non valere. Sed cum in quartanam conversa vis est morbi, sic enim scribit Curius, spero te, diligentia adhibita, etiam firmiorem fore. Modo fac, id quod humanitatis tuæ est, ne quid aliud cures hoc tempore, nisi ut quam commodissime convalescas. Non ignoro, quantum ex desiderio labores; sed erunt omnia facilia, si valebis. Festinare te nolo, ne

tius, *Ad præstitutam diem*, inquit: quemadmodum etiam sæpe Cicero, qui *ad præfinitam* quoque dixit. Plutarch. in Cæsare: αν εν ἡμερα ῥητῃ, μη καταθηται τα οπλα. *Ne ad dictam diem deponerentur arma*. Appianus in Libycis, de Scipione, qui primus Africanus est appellatus: Σικελων δ' αυ τριακοσιους καταγραψας ευδαιμονας, εκελευσεν ηκειν ες ἡμεραν ῥητην. *Cum autem conscripsisset trecentos divites Sicilienses, jussit eos ad dictam diem venire*. Dion lib. XLVII. de Dolabella post Trebonii cædem: Και τοις τε συνουσιν οἱ ῥητην ἡμεραν ες εκλειψιν της φιλιας αυτε προειπον. *Et militibus qui cum eo erant certam diem præfinierunt, intra quam illis fraudi non esset, si a Dolabella discessissent*. VICTOR. *N. a. d. d. fiant*) Al. *a. d. d. fiant*; ut quasi ex his ostendat quod ετυμον *fides* habeat, quæ dicta sit, quod *fiant* dicta. CORRAD.

Ετυμον) Ετυμολογιαν, hoc est, notationem; sic enim Cicero mavult, quam veriloquium transferre. CORRADVS.

Nos adsumus) Verbum fori, ubi litigatores comparent: vide Popmam ad Vellei. Pat. II. c.10. p. 169. Cicero vult fidem & promissa exsolvere, modo *adsit* Tiro. Nisi potius Cicero ipse venire ad Tironem vult in Cumanum, quod per *adsum* aliquoties indicat in ep. ad Atticum, ut XII. ep. 11. XIII. ep. 34. CORT.

EPISTOLA XI.

Labores) Quanto flagres amore mei, & quotidie esse mecum desideres, FVNC.

Vt

ne nauseæ molestiam suscipias æger, & periculose hieme naviges. Ego ad urbem accessi pridie Nonas Ianuar. Obviam mihi sic est proditum, ut nihil possit fieri ornatius. Sed incidi in ipsam flammam civilis discordiæ, vel potius belli: cui cum cuperem mederi, &, ut arbitror, possem, cupiditates certorum hominum (nam ex utraque parte sunt qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt omnino; & ipse Cæsar, amicus noster, minaces ad senatum & acerbas litteras miserat; & erat adhuc impudens, qui exercitum, & provinciam invito senatu teneret: & Curio meus illum incitabat. Antonius quidem noster, & Q. Cassius, nulla vi expulsi, ad Cæsarem cum Curione profecti erant. Postea quam senatus consulibus, prætoribus, tribunis pl. & nobis, qui proconsules sumus, negotium dederat, ut curaremus, ne

Vt nihil possit fieri ornatius) Hæc est Pall. Vaticani (ut & Amstelod.) editionis Victorianæ ipsissima atque optima lectio: nec longe abit impressio prima, *ut nihil fieri potuerit ornatius*: at Hittorpianus, *ut nihil fieri possit ordinatius*: vulgatum est, *ut nihil f. potuerit honoratius*. Paullo post ex Pall. Hittorpiano, Peckio excerptis, editione prima ac Victoriana scripsi: *omnino ex hac quoque parte diligentissime comparatur*: cum alias editum fuerit: *ducem omnino, Ex hac quoque parte diligentissime bellum comparatur*. GEBHARD

Civilis discordiæ) Inter Cæsarem, & Pompeium. CORRAD.

Cæsar amicus noster) Ep. 9. lib. I. CORRADVS.

Minaces ad senatum) Vt omnes ab exercitibus discederent: quod nisi fieret, se dignitatem suam armis defensurum minabatur. ID.

Et erat adhuc impudens) Forte, *ad hoc*, i. e. eousque impudens, ut parere Senatui recusaret jubenti exercitum & provinciam deponere. I. FR. GRON. I. Fr. Gronovius mallet *ad hoc impudens*. Sed nihil arbitror mutandum: ipsum enim *adhuc* impudentem esse innuit, (quasi ad saniora consilia rediturum speraret) & præterea eumdem etiam a Curione incitari. CORT.

Curio meus) C. Curio, qui superiore anno Trib. pleb. fuerat. CORR.

Antonius quidem) M. Antonius Tribun. pleb. ID.

Noster) Ep. 5. lib. XI. ID.

Q. Cassius) Q. Cassius Trib. pl. ID.

Nulla vi expulsi) Expulsos tamen alii scribunt. IDEM. *Nulla vi expulsi*) Sed vim interpretabantur S. C. quo removebantur a rep. Cæsar B. Civ. V. I. F. GRONOV.

Posteaquam senatus, consulibus, prætoribus, tribunis plebis, & nobis, qui proconsules sumus) Præsidio hujus loci emendatur alter in Oratione pro Deiotaro rege: qui cum eamdem sententiam haberet, negligentia librariórum corruptus fuerat, vel potius vitio veteris illius scripturæ aliquantulum perturbatus: *Cum audisset senatus consentientis auctoritate arma sumta, Coss. Prat. Tribb. nobis imperatoribus remp. defendendam datam*: ita enim legendum est, non *novis* ut nunc in omnibus impressis mendose legitur. Notum autem jam omnibus est, veteres librarios nullo pæne discrimine illis litteris usos esse, quæ etiam scriptura in lapidibus antiquis reperitur: erat enim tunc Cicero cum imperio, & habebat fasces laureatos: quare & illum, & reliquos omnes qui cum imperio essent, voluit Senatus providere publicæ

ne quid resp. detrimenti caperet, numquam majore in periculo civitas fuit, numquam improbi cives habuerunt paratiorem ducem. Omnino ex hac quoque parte diligentissime comparatur. Id fit auctoritate & studio Pompeii nostri, qui Cæsarem sero cœpit timere. Nobis inter has turbas senatus tamen frequens flagitavit triumphum: sed Lentulus consul, quo majus suum beneficium faceret, simul atque expedisset, quæ essent necessaria de rep. dixit se relaturum. Nos agimus nihil cupide, eoque est nostra pluris auctoritas. Italiæ regiones descriptæ sunt, quam quisque partem tueretur. Nos Capuam sumsimus. Hæc te scire volui. Tu etiam atque etiam cura ut valeas, litterasque ad me mittas, quotiescumque habebis, cui des. Etiam atque etiam vale. D. pridie Idus Ian.

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

Deplorat statum reip. & initia bellorum civilium exponit, tum suam in Tironem benevolentiam significat.

M. T.

---

ex saluti. In II. Philipp. *Tum contra te dedit arma his ordo Coss. reliquisque imperiis & potestatibus*. Cæsar etiam in primo Comment. cum de hoc SC. loqueretur, inquit: *Dent operam Coss. Pret. Trib. pleb. quique cum imperio sunt ad urbem, ne quid resp. detrimenti capiat.* Romæ de hac animadversione cum eruditis viris locuti sumus. VICTOR.

Nobis q. proconf. f.) Vetus liber habet, *nobis qui pro consulibus ad urbem sumus*. VASIN. *Procoss. sumus*) Nondum urbem ingressi, epist.6. lib.VIII. CORRAD.

Diligentissime comparatur) Sic optime viri doctissimi ex vett. codd. restituerunt hunc locum. Veteres enim absolute *comparare*, intellecto ex proximis quid comparetur, amant uti. Liv. XXXVIII. 12. *Attalum igitur fratrem ejus arcessit a Pergamo, hortatusque ad capessendum secum bellum, pollicetur suam suorumque operam, domum ad comparandum dimittit*: vide ibi Not. Gronov. GRÆV. Parantur omnia, quæ defensioni reip. usui esse possunt. *Comparare* ita absolute ponitur apud C. Nepotem, Livium, & alios. Sic supra XII. ep. 12. *moliri*. CORT.

Lentulus Consul) L. Lentulus Cruscellus Cos. cum C. Claudio Marcello. CORRAD.

Descriptæ sunt) Hoc est, divisæ. Sic alibi dixit, *describere civitatibus vectigalia*. GRÆV.

Nos Capuam sumsimus) Sic ad Atticum: *Vult me Pompeius esse, quem tota hæc Campania, & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & negotii summa referatur*. CORR.

Ego

M. T. C. TIRONI SVO S. P. D.

QVo in discrimine versetur salus mea, & bonorum omnium, atque universæ reipub. ex eo scire potes, quod domos nostras, & patriam ipsam vel diripiendam, vel inflammandam reliquimus. In eum locum res deducta est, ut, nisi qui deus, vel casus aliquis subvenerit, salvi esse nequeamus. Equidem ut veni ad urbem, non destiti omnia & sentire, & dicere, & facere, quæ ad concordiam pertinerent: sed mirus invaserat furor non solum improbis, sed etiam his, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante, nihil esse bello civili miserius. Itaque cum

EPISTOLA XII.

DOmos nostras & patriam) Sic IV. ep. 2. *urbem relictam direptioni & incendiis*. Sæpius autem Pompeii consilium, urbis relinquendæ improbat Cicero. CORT.

Nisi qui Deus, vel casus aliquis) Sic solent, ut Virgil. XII. Æn. 21. 320. IDEM.

Sed mirus invaserat furor non solum improbos) Nos hic vulgatam receptamque lectionem non mutavimus, prisca tamen exemplaria ab ea dissentiunt: quorum lectionem a recentiorib. Grammaticis repudiatam fuisse, ob idque hinc deletam existimo. Non sum autem illam ego contra hos restituere ausus: nec tamen committere volui, ut hujus locutionis exemplum e Latina lingua extinguatur, si forte doctioribus probaretur. Quare rectum me facere putavi, si hic eam adnotassem. Scias igitur optime lector *improbis* tertio multitudinis casu in illis legi. Quod quia non facile credas librariorum negligentia accidisse: quod sequitur, eadem ratione in illis legitur, *sed etiam his*, non *hos* accusandi casu, ut in reliquis libris. Vix autem verisimile est imperitos librarios temere in ambobus locis lapsos. Nos tam novam, & nostris auribus inauditam structuram verborum recipere & probare ausi non sumus: nec tamen culpam mereri nobis videmur, quod hanc rem, quantulacumque est, admonere non piguit. Quidquid de hoc statuent elegantiores & eruditiores viri, nos libenter sequemur. VICTORIVS. Admonuimus olim, Medicæum codicem, & alium item bonum *improbis* habere tertio multitudinis casu: & paullo post eadem ratione *his*; nec tamen tanti mihi fuit auctoritas illorum, ut ita scriberem, quamvis non sine causa id factum esse existimarim: animadvertimus postea optimos auctores ita locutos esse: quare veterem omnino lectionem recipiendam censemus. Citatur testimonium Accii Meleagro, a Nonio Marcello in Vastities: *Quæ vastitudo hæc, aut unde invasit mihi?* Item Terentii Varronis e IV. libro de Vita Populi Rom. 1413. *Tanta porro invasit cupiditas honorum plerisque, ut vel cælum ruere, dummodo magistratus adipiscantur, exoptent.* Aliis etiam in locis apud eumdem, nisi memoria me decipit, veteres scriptores ita locuti esse reperiuntur, & (ut arbitror) exempla passim occurrerent, nisi omnia, quæ contra certas quasdam ipsorum regulas facerent, a recentioribus grammaticis temere deleta essent. IDEM in *Posteriorib. Invaserat.. improbis . . his*) *Invado* enim, & *incedo*, verba, tertio quoque casui veteres jungebant. CORRAD. *Non solum improbis, sed etiam iis qui*) Secutus sum codicum MSorum auctoritatem: qui omnes fere sic habent: atque ita edi-

eum Cæsar amentia quadam raperetur, & oblitus nominis atque honorum suorum, Ariminum, Pisaurum, Anconam, Arretium occupavisset, Urbem reliquimus: quam sapienter, aut quam fortiter, nihil attinet disputare. Quo quidem in casu simus, vides. Feruntur omnino conditiones ab illo, ut Pompeius eat in Hispaniam: delectus qui sunt habiti, & præsidia nostra dimittantur: se ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano, his enim obtigerunt, traditurum: ad consulatus petitionem se venturum, neque se jam velle, absente se, rationem haberi sui: se præsentem trinum nundinum petiturum. Accepimus conditiones: sed ita, ut removeat præsidia ex his locis, quæ occupavit; ut sine metu de iis ipsis conditionibus Romæ senatus haberi possit. Id ille si fecerit, spes est pacis non honestæ; leges

edidit P. Victorius. Vulgati autem sic, *non solum improbos, sed etiam eos, &c.* LAMBIN. *Improbis*, & iis firmant Palatini, Amstelod. Mentel. Græviamus. GRÆV. *Sed mir. invas. fur. non sol. improbis, sed et. his*) Hæc quoque est Palatt. codicum lectio, quam Victorius indicavit; tum etiam editionis primæ: ut flagellanda merito veniat aliorum temeritas, intrudentium casum accusandi pro tertio; nam excudebatur, *sed mirus invaserat furor non solum improbos, sed etiam hos*. Timiditas tamen hic Victorii mihi non placet, rectius Lambinus, qui fidenter eam admisit, sicut & Manutius. GEBHARD. Sæpe Crispus *invasit libido, superbia, vis morbi*; sed semper *hos* & *illos* casu accusandi. *Dandi* tamen casum adjungit Varro apud Nonium: *Tanta porro invasit cupiditas honorum plerisque; ut vel cælum ruere, dummodo magistratus adipiscantur, exoptent*: adi Victorium. CORT.

Amentia quadam) Insanire enim dicuntur, qui rerum suarum studiosi publicam salutem relinquunt. FUNC.

Ariminum) Oppidum Umbriæ perantiquum maritimum, hodie *Rimini*. GRÆV.

Pisaurum) Et hoc Oppidum Umbriæ maritimum, hodie *Pesaro*. IDEM.

Anconam) Picentium Urbs, quæ antiquum nomen retinet. IDEM.

Arretium) Etruriæ Urbs, Colonia, & Municipium, hodie *Arezzo*. IDEM.

Eat in Hispaniam) Provinciam suam. *Proficiscatur*, inquit Cæsar, *Pompeius in suas provincias, ipsi exercitus dimittantur, discedant in Italia omnes ab armis, metus e civitate tollatur, libera comitia, atque omnis Respubl. S.P.Q.R. permittatur*. CORRAD.

Domitio) L. Domitio Ænobarbo. IDEM.

Considio Noniano) Opinor designati C. Considium Nonianum, qui in argenteo denario descriptus est. URSIN.

Ad consulatus) Secundi. CORRAD.

Trinudinum peteret) Al. *trinum nundinum*; mos enim fuit candidatis, in comitium nundinis venire, & in colle consistere, unde coram possent ab universis videri, ut trinundino in suffragiis gratiores essent. IDEM. I.e. tribus nundinis. *Nono* enim quoque die plebs agrestis in urbem confluebat, & res venales permutabat, jure inter se agebat, & suffragia ferebat: & sic a nono die *nundinæ* dictæ. Dionys. Halic. VII. p. 463 Latinitatem defendunt ea, quæ dicta sunt ad I. ep. 9. & XI. ep. 19. CORT.

Ut removeat præsidia) Hæc conditio Cæsari visa est iniqua, ob idque repudiata. CORRAD.

Leges

ges enim imponuntur ; sed quidvis est melius , quam sic esse, ut sumus . Sin autem ille suis conditionibus stare noluerit, bellum paratum est: ejusmodi tamen, quod sustinere ille non possit; præsertim cum a suis conditionibus ipse fugerit : tantummodo ut eum intercludamus, ne ad urbem possit accedere: quod sperabamus fieri posse. Delectus enim magnos habebamus, putabamusque illum metuere, si ad urbem ire cœpisset, ne Gallias amitteret , quas ambas habet inimicissimas , præter Transpadanos : ex Hispaniaque sex legiones, & magna auxilia, Afranio & Petreio ducibus, habet a tergo. Videtur, si insaniet, posse opprimi , modo ut urbe salva. Maximam autem plagam accepit, quod is, qui summam auctoritatem in illius exercitu habebat , T. Labienus, socius sceleris esse noluit: reliquit illum , & nobiscum est : multique idem facturi esse dicuntur . Ego adhuc oræ maritimæ præsum a Formiis. Nullum majus negotium suscipere volui, quo plus apud illum meæ litteræ cohortationesque ad pacem valerent. Sin autem erit bellum , video me castris, & certis legionibus præfuturum. Habeo etiam illam molestiam, quod Dolabella noster apud Cæsarem est. Hæc tibi nota esse volui : quæ cave ne te perturbent, & impediant valetudinem tuam. Ego A. Varroni, quem cum amantissimum mei cognovi , tum etiam valde tui studiosum , diligentissime te commendavi ; ut & valetudinis tuæ ratio-

Leges enim imponuntur) Quod uni Favonio non placebat. IDEM.

Sic esse, ut sumus) In eo statu permanere, in quo sumus . Vide X. ep. 20. CORT.

Ne Gallias amitteret) Prospexerat quidem ei rei Cæsar, VIII. de B. G. c. 54. Sed postea legiones ex hibernis evocare necesse erat. I. Liv. c. 8. IDEM.

Transpadanos) Præsertim Novocomenses, quos Cæsar non multo ante colonos deduxerat. CORRAD.

Afranio & Petreio) *Quinque* legiones illi habebant quidem, sed scutatarum & cetratarum cohortes circiter 80. Vide Cæsar. I. Civ. c. 38. 39. CORT.

T. Labienus) Epist. 14. lib. XIV. CONRADUS. Sollicitatus ab inimicis Cæsaris. Neque tamen Cæsar, cum audiret, de Labieno credidit quidquam. VIII. de Bell. Gall. c. 52. Postea nimis quam Pompeianus. vide III. Civ. c. 13. 19. quod etiam ex I. Civ. c. 15. apparet. CORT.

Reliquit illum) Cæsarem. CORRAD.

Oræ maritimæ) Epist. superiore. IDEM.

A Formiis) *Formiæ* Auruncorum Oppidum maritimum in Latio, hodie *Mola*. GRÆV.

A. Varroni) Is est, quem scribit Cæsar libro tertio de Bello civili, ad colloquium pro Pompeianis venturum fuisse, nisi a Labieno res impedita fuisset. CORRAD.

Quem

rationem haberet & navigationis, & totum te susciperet ac tueretur: quem omnia facturum confido; recepit enim, & mecum locutus est suavissime. Tu, cum eo tempore mecum esse non potuisti, quo ego maxime operam & fidelitatem desideravi tuam, cave festines, aut committas, ut aut æger, aut hieme naviges. Numquam sero te venisse putabo, si salvus veneris. Adhuc neminem videram, qui te postea vidisset, quam M. Volusius, a quo tuas litteras accepi: quod non mirabar; neque enim meas puto ad te litteras tanta hieme perferri. Sed da operam, ut valeas: &, si valebis, cum recte navigari poterit, tum naviges. Cicero meus in Formiano erat, Terentia & Tullia Romæ. Cura ut valeas. IV. Kalendas Febr. Capua.

EPISTOLA XIII.

ARGVMENTVM.

Cohortatio ad valetudinem curandam.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

OMnia a te data mihi putabo, si te valentem videro; summa cura exspectabam adventum Menandri, quem ad te miseram. Cura, si me diligis, ut valeas, &, cum te bene confirmaris, ad nos venias. Vale. IV. Idus April.

EPI-

Quam M. Volusius) Supple *te viderat*: non enim a *videram* pendet, a quo *neminem* regitur. Sall. Cat. c. 47. *Docet, se nihil amplius scire, quam legatos*: quomodo aliquoties Cicero. Terent. Prolog. Eunuch. v. 10. *Causam dicere prius, unde petitur, aurum quare sit suum, quam ille, qui petit, unde is sit thesaurus sibi*: ibi Donatus: *Esset recta locutio si diceret: quam petitorem, aut: quam illum qui petit. Sed quam ille maluit, ut subaudiamus causam dicat, per ζευγμα a superiori figuratum.* CORT.

EPISTOLA XIII.

A *Te data mihi*) Commodata & gratia mea facta. XIII. ep.50. *Hoc mihi da atque largire*. CORT.

Epi-

EPISTOLA XIV.

ARGUMENTUM.

Tirone ægrotante, litterarum suavitate & fructu se carere dicit, eumque rogat, ut omnem curam ad convalescendum adhibeat.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

ANdricus postridie ad me venit, quam exspectaram. Itaque habui noctem plenam timoris ac miseriæ. Tuis litte-

EPISTOLA XIV.

ANdricus) Al. *Menandrus*, ut in præced. epistola. CORRAD.

Itaque habui noctem plenam timoribus ac miseriis) Sic omnes vulgati libri tam magno consensu, ut noster etiam communem culpam sustineat: ut verum enim fateamur, parum in hoc ipso vidimus. Quod tamen tunc peccati cum aliis admisimus, nunc omnino rejecimus, auctoresque unicuique sumus, ut noster etiam liber castigetur; cum antiquisque concordare cogatur, qui rectam lectionem retinent; sic enim legunt: *Itaque habui noctem plenam timoris, ac miserius, tuis litteris nihilo sum factus certior, &c.* Vt meo judicio sic prorsus legi, & intelligi debeat, duo accidisse quæ maxime Ciceronem cruciarint, unum, Andricum postridie venisse quam exspectarat, ut sollicitus de valetudine Tironis, multaque quæ nollet cogitans, noctem quæ intercessit inter diem illum quo exspectabat, & illum quo venit, plenam timoris habuerit. Alterum quod (*miserius*) appellat, in litteris Tironis, quas Andricus attulit, non scriptum fuisse quomodo se haberet, se tamen recreatum dicit. Cognovit enim & adventu Andrici, & ipsius litteris illum vivere: quare majorem illum metum depulit, quem mora Andrici attulerat de morte ipsius: magnum tamen ei dolorem adportavit post sollicitudinem, quam ea nocte habuerat, non esse accurate a Tirone certiorem factum, quomodo se haberet. Quod ipse miseriam quamdam suam & infelicitatem putat. Nolumus hic amplius communem lectionem damnare, ne nostrum judicium una condemnentus, qui primo tam contaminatam, & fœdam scripturam non animadvertimus: veræ tantum & incorruptæ collatio, quam beneficio priscorum codicum nunc promulgamus, satis valet ad illam convincendam in hac ipsa epist.. VICTOR.

Plenam timoris: ac miserius, tuis litteris nihilo sum, &c.) Sic edidit P. Victorius: quorum verborum negare non possum sententiam facilem esse ac planam: *miserius* enim tantumdem fere valet quantum, Quod miserius est. Sed non videtur tamen codicum Memm. scriptura esse repudianda, *plenam timoris ac miseriis. Tuis litteris, &c.* LAMBIN.

Habui noctem plenam timoris ac miseriæ) Secutus hic sum codicem Hittorpianum, qui fere obnoxium habet Palatinum sextum: in illo enim, sicut & ex Memmianis libris adnotat Lambinus, *plenam timoris ac miseriis.* Victorii lectio mihi valde coacta videtur, *itaque habui noctem plenam timoris: ac miserius, tuis litteris:* & revera est interpolatitia ex illa, quam attuli de Palatino sexto; editum est: *plenam timoribus ac miseriis.* Porro pro *nihilo* Hittorpianus codex, *nullo modo*. GERHARD. Elegans verbi *habere* usus, qui in nostra lingua vulgatus est. Corn. Nepos Miltiad. c. 1. Sall. Cat. c. 30. Virg. V. Æn. v. 49. Petron. Sat. c. 132. Et plures sunt hujus

litteris nihilo sum factus certior, quomodo te haberes: sed tamen sum recreatus. Ego omni delectatione litterisque omnibus careo, quas ante, quam te videro, attingere non possum. Medico mercedis (quantum poscet) promitti jubeto: id scripsi ad Vmmium. Audio te animo angi, & medicum dicere, ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex somno tuas litteras, humanitatemque, propter quam mihi es carissimus; nunc opus est te animo valere, ut corpore possis. Id cum tua, tum mea causa facias, a te peto. Acastum retine, quo commodius tibi ministretur. Conserva te mihi; dies promissorum adest; quem etiam repræsentabo, si adveneris. Etiam atque etiam vale. IV. Idus hora VI.

EPI-

jus verbi formulæ, quæ cum aliis linguis quam maxime conveniunt. CORT.

Ac miserius, suis) Sic ex antiquis suis exemplaribus castigavit Victorius. Vulgo *ac miseriæ*. Sed *miserius* est, *quod miserius est*. Sic una voce sensum exprimere solent. Vopiscus Tacito c. 5. Sic Cicero & Terentius, in quem Donatus videndus. Adi autem alia. IDEM.

Scripsi ad Vmmium) Antiqui codices *Vmmium* habent, ubi vulgati *Mummium*: quod nomen nostri librarii corruperunt, quare corrigatur. Ne autem hoc nomen, quia rarum est, amplius ut novum repudietur, adscribemus epitaphium, quod Pisis in antiquo lapide vidimus: in quo valde simile huic & quasi ab eo derivatum nomen legitur:

D. M.
VMMIDIÆ CALE
FELICIO PATER
CALE MATER
MYRTILVS TATA
ET EROS CONIVX
FECER.
VIX. A. XVI. M. VIII. DIEB. VIII.

VICTOR.

Nunc opus est te animo) Integer Hexameter, quales Ciceroni etiam aliis locis exciderunt. Vide notata ad Sall. Iug. principium. CORT.

Dies promissorum adest) Manumissionis; sic enim ex epist. 16. hujus lib. judicamus. CORRAD. Iuridice dictum. L. 213. de V. S. *Venire diem significat eum diem venisse, quo pecunia peti possit*. Phædr. I. Fab. 17. ubi vide Commentatores doctissimos. De *die* confer VII. ep. 23. CORT.

Quem etiam repræsentabo) Non exspectabo, sed antevertam, nisi leg. *quæ*: statim præstabo, nec opperiar diem. IO. FR. GRONOV. Quem etiam *præsentem faciam*, simul ac adveneris: hoc est, statim solvam promissa. Gronovius tamen tam hic in notulis, quam I. de Pec. vet. c. 6. ubi pluribus genus dicendi illustravit, legendum esse censet, *quæ etiam repræsentabo*, ut ad *promissa* pertineat: quod vero præter rei necessitatem videtur, cum alioquin *dies* & *tempus* pro rebus & factis eorum dicuntur. Confer notata supra V. ep. 16. CORT.

Id. Apr.) Al. *id. h.* III. hoc est, Id. hora tertia: ut interpretor. al. *Id. Iun.* CORRAD.

EPISTOLA XV.

ARGUMENTUM.

Suam de Tironis valetudine sollicitudinem significat.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

ÆGypta ad me venit pridie Idus Apriles. Is etsi mihi nunciavit, te plane febri carere, & belle habere; tamen, quod negavit te potuisse ad me scribere, curam mihi attulit, & eo magis, quod Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat. Incredibili sum sollicitudine de tua valetudine, qua si me liberaris, ego te omni cura liberabo. Plura scriberem, si jam putarem libenter te legere posse. Ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi, tibique conservandum. Cura te etiam atque etiam diligenter. Vale. Scripta jam epistola, Hermia venit. Accepi tuam epistolam vacillantibus litterulis: nec mirum, tam gravi morbo. Ego ad te Ægyptam misi, quod nec inhumanus est, & te visus est mihi diligere, ut is tecum esset; & cum eo cocum, quo utere. Vale.

EPISTOLA XVI.

ARGUMENTUM.

Q. Cicero Marco fratri de Tirone manumisso & gratias agit, & gratulatur. Hæc epistola aut eodem tempore, quo ea quæ incipit, Quid igitur? *aut paullo post, vel ante videtur esse scripta; cum utraque Tironem paullo ante manumissum significet.*

Q. C.

EPISTOLA XV.

INgenium tuum . . . confer) Quomodo alibi dixit *Consilium, Operam*, *Curam ad aliquid conferre*; sic hic omnem *prudentiam*. CORR.

Epi-

Q. C. M. CICERONI FRATRI S. P. D.

DE Tirone, mi Marce, ita te, meumque Ciceronem, & meam Tulliolam, tuumque filium videam, ut mihi gratissimum fecisti, cum eum indignum illa fortuna, ac nobis amicum, quam servum esse maluisti. Mihi crede, tuis, & illius litteris perlectis, exsilui gaudio; tibi & ago gratias, & gratulor. Si enim mihi Statii fidelitas est tantæ voluptati, quanti esse in isto hæc eadem bona debent, additis litteris, sermonibus, humanitate, quæ sunt his ipsis commodis potiora? Amo te omnibus equidem maximis de causis, verum etiam propter hanc, vel quod mihi sic, ut debuisti, nunciasti. Te totum in litteris vidi. Sabini pueris & promisi omnia, & faciam.

EPISTOLA XVII.

ARGUMENTUM.

Reprehendit, modeste tamen, Tironem, quia scripserat; Valetudini fideliter inserviendo: *eumque rogat, ut omnino valetudini serviat.*

M. T. C. TIRONI S. P. D.

VIdeo, quid agas; tuas quoque epistolas vis referri in volumina. Sed heus tu, qui *κανων* esse meorum scripto-

EPISTOLA XVI.

CUm eum indignum illa fortuna, ac nobis amicum) Al. *fortuna, hac nobis*. CORRAD. Omnino aut sic legendum est, aut *ac* cum Manutio delendum. GRAEV. Supple *judicasti*, vel simile. Sæpe enim unum verbum (*maluisti*) claudit sententiam, & alia aliis membris sunt addenda: dixi de illa figura ad XII. ep. 14. adde Man. ad Or. pro Quint. c. 26. CORT.

Statii fidelitas) Liberti mei: in epistolis tamen ad ipsum Q. Fratrem semper scribitur, *Stathius*. CORRAD.

In isto) Tirone. IDEM.

Litteris & sermonibus) Litteratis sermonibus, ut ep. 14. Sive potius *&* positum est non suo loco, quod pariter de *que* observatum ad X. ep. 30. CORT.

Vel quod mihi sic) Hoc etiam nomine, ut recte Manutius, ut VII. ep. 27. adde Brouckhus. ad Tibul. I. Eleg. IX. v. 53. *Sic, ut debuisti*, h. e. aperte ut fratrem decet: quod mox explicat: *te totum in epistola illa vidi*, de qua dictione respice VI. ep. 7. XV. ep. 7. IDEM.

ptorum ſoles, unde illud tam *ακυρον*, *valetudini fideliter inſerviendo*? Vnde in iſtum locum *fideliter* venit? cui verbo domicilium eſt proprium in officio, migrationes in alienum multæ. Nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam fidelis dici poteſt, ut ſit, quomodo Theophraſto placet, verecunda tralatio. Sed hæc coram. Demetrius venit ad me: quo quidem comitatu αφομιλητα. ſatis ſcis; tu eum videlicet non potuiſti videre: cras aderit: videbis igitur. Nam ego hinc perendie mane cogito. Valetudo tua me valde ſollicitat: ſed inſervi, & fac omnia; tum te mecum eſſe, tum mihi cumulatiſſime ſatisfacere putato. Cuſpio quod operam dediſti, mihi gratum eſt. Valde enim ejus cauſa volo. Vale.

EPI-

EPISTOLA XVII.

V*Aletudini fideliter inſerviendo*) At non improprium exiſtimabunt, qui de *Officiis* erga ſe ipſum tam multa diſſerunt. Poteſt Tiro reſpexiſſe ad mandatum Patroni, quod ſumma fide ſeſe exſecuturum promittit. Poteſt ſumſiſſe pro *exacte*, *probe*. Florus III. c. 5. Sic *bona fide* idem cum aliis. CORT.

Fideliter venit) Paſſeratius in Propert. p. 545. videtur innuere, Ciceronem hic non recte reprehendiſſe Tironem, cum vox *fideliter* recte apponatur τῳ *inſervire valetudini*, & Gellius non male dixerit lib. XVII. c. 13. *Fidelius conſtantiusque valent quartanam paſſi*, & eodem modo *fideliter valere*, ac *fideliter inſervire valetudini* dicantur. VERBURG.

Ager etiam fidelis) Vnde Quinctil. Declam. XII. ait, *ab agricolis accuſari perfidiam terrarum*: adde Brouckhuſ. ad Tibull. II. El. I. v. 19. CORT.

Demetrius) Libertus. CORRAD.

Quo quidem comitatu αφωμιλητα, ſatis ſcis) Locus obſcurus, & fortaſſe depravatus: nullam in priſcis exemplaribus varietatem inveni; nam quod paullo ante dixit, *doctrinam fidelem* non incommode dici poſſe, & eſſe translationem quæ ferri poſſit, ipſe ea uſus eſt, cum de Oratore inquit, *& habeat qui docere fideliter poſſit*. VICTOR. *Quo quidem comitatu αφωμιλητα*) Locus eſt obſcurus & ſuſpectus: ego nihil varietatis in libris veteribus reperi. Licet dicere, hanc eſſe ſententiam: Ego me ab hoc comitatu abſtraxi ac removi, neque cum eo congreſſus aut collocutus ſum. LAMBIN. *Quo quidem comitatu ανομιλεους*) Sic videtur legendum: quibus comitibus inſtructus. Ανομιλειν eſt conſuetudine alicujus uti, verſari cum aliquo. IO. FR. GRONOV. Απομιλησα. Exiccatus, ſatis collocutus ſum, ut recte Bengelius, ſatietate moleſtiæ plena: adde ep. 22. qualis illa Horatii I. Satyr. 9. CORT.

Cuſpio) Ep. 6. lib. XIII. CORRAD.

En-

EPISTOLA XVIII.

ARGUMENTUM.

Cum epistolam suam Cicero, post manumissum Tironem, inscripsisset hoc modo: M. Tullius Cicero M. Tullio Tironi; *veritus invidiam Tiro, non sic inscribendum, sed ut ante manumissionem, respondit. Cicero non esse mutandam inscriptionem contendit; quin etiam addendum,* suo: *quod majoris etiam esset benevolentiæ signum. Tironi melius esse factum, gratulatur: eumque rogat, ut valetudini prorsus indulgeat, & alia quoque breviter attingit.*

TULLIUS TIRONI S. P. D.

QVid igitur? non sic oportet? Equidem censeo sic, addendum etiam, suo: sed, si placet, invidia vitetur, quam quidem ego sæpe contemsi. Tibi διαφόρησιν gaudeo profuisse; si vero etiam Tusculanum, dii boni,

EPISTOLA XVIII.

QVid igitur?) Adeo accusas. Quid molestiæ tibi affert a me tibi tributus honor, quo dignus es? FUNC.

Non sic oportet) Inscribere tam familiariter meas litteras ad te? CORRADUS.

Equidem censeo sic) Inscribi oportere. IDEM.

Addendum etiam, suo) Ut inscribam, Tironi suo. IDEM.

Si placet) Quandoquidem tibi placet, omittamus hanc inscriptionem, ut vitetur invidia, quam tibi forte concitaret. OLIV.

Invidia vitetur) Quæ tibi ex ea re fortasse apud reliquos familiares nasci videtur. CORRAD.

Tibi διαφώρησιν gaudeo profuisse) Hæc est vetus & sincera lectio *tibi διαφορήσει, &c.* Quid sit διαφόρησις, docet Galenus lib. XIV. Therapeutices, cap. de Iecoris inflammatione, his verbis: *Τηνικαυτα γυν ἡ μεν απο της φλεγμονης ενδειξις των ποιητεων εςι μια· καλουσι δ' αυτην διαφορησιν εκκενουσαν λογῳ θεωρητους πορους τον εν τῳ φλεγμαινοντι μοριῳ χυμον. Tunc igitur, quæ a phlegmone sumatur, una dumtaxat agendorum est indicatio, hanc diaphoresin vocant: hæc humorem, qui in phlegmone obsessa parte continetur, per meatus insensibiles educit.* Latini *digestionem* aut *evaporationem* dixerunt: hujuscemodi res non meum est hic longius declarare: sunt enim medicorum vocabula, & ad eorum artem pertinet ea accuratius explicare. Satis mihi fuit priscam lectionem notam facere, & quam ea huic loco conveniat, ostendere. VICTOR. Διαφόρησιν) Digestionem: alii migrationem interpretantur, scil. ex urbe in Tusculanum. Alii legunt, διαφώνησιν, declamationem, quæ etiam stomacho prodest. CORRAD. Habent αναφώνησιν nonnulli codices veteres: quam lectionem si probabimus, vocis contentionem & exercitationem intelligemus Tironi profuisse. LAMBINUS. Διαφόρησιν) Ventris purgationem, ponunt ad marginem. Medicorum vox, humorum in φλεγμονῃ, sive fervida collectione di-

ni, quanto mihi illud erit amabilius! Sed, si me amas, quod quidem aut facis, aut perbelle simulas, quod tamen in modum procedit, sed ut est, indulge valetudini tuæ: cui quidem tu adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis; ea quid postulet non ignoras: πεψιν, ακοπιαν, περιπατον συμμετρον, τερψιν, ευλυσιαν κοιλιας. Fac, bellus revertare; non modo te, sed etiam Tusculanum nostrum plus amem.

gestio & edactio: unde *διαφορητικα*, medicamenta discussoria, & humores ebibentia. Io. FR. GRON. *Dijectionem* interpretatur Cæl.Aurel. II. de Morb. Acut. c. 32. Sed variæ sunt Medicis *diaphoreses* (sic enim Medici Latini etiam scribunt). Hic vero eam *Discussionem* intelligere videtur, quæ excitata est gestatione, vide Senec. epist. 55. Eam enim stomacho conducere docet Celsus II. c. 15. aut post aliquam *solutionem*, quæ Stomachicis solet esse frequens, melius habere cœpisse ægrotantem innuit, de qua Cælius III. Morb. Chron. c. 2. p. 436. CORT.

In modum procedit) *Modice* procedit, ut corrigeret, quod imputasset Tironi simulationem: *in modum* dixit pro *modo*, ut in dictionibus augendi *mirum in modum*, pro *miro modo*. Aliud autem est *intra modum*, de quo ad IV. ep. 4. IDEM.

Sed ut est indulge valetudini tuæ) Sic Amstelod. Mentel. Græv. sec. & omnes veteres libri. Male Lambinus & Gebhardus *ut ut est*, quod & Manutius malebat. *Ut* sæpe in eodem *sensu* ponitur, pro *ut ut*, quomodocumque. Terent. Phorm. V. 4.

Lætus sum, ut meæ res se se habent,
fratri obtigisse, quod vult.

Hoc est, quomodocumque meæ res se se habent. Plaut. in Pœnulo IV. 2.

—— *Qui habet, quod det, ut homo est,*
Omnia genera recipiuntur.

Sic MSi. Senec. ep. 19. *Ut se res habet ab Epicuro versura facienda est*. Gronovius Observ. III. c. 6. ubi vide plura. GRÆV.

Αλυπιαν) Nos emendavimus *ακοπιαν*, adjuti ab antiquis exemplaribus; quid enim *αλυπια* potest ad bonam valetudinem? quæ vacuitas est doloris; nam quod sanitatem adjuvat lætitia animi delectatioque, paullo post addit, *τερψιν* dicendo; *ακοπια* autem, id est, vitatio immodicarum defatigationum, necessaria est ei qui sanitatem tueri vult; *κοποι* enim, id est, nimiæ defatigationes, febrim gignunt: ut recte *ακοπιαν* posuerit inter ea, quæ bonam valetudinem conservant. Simplic. in Commentariis in Physicam Aristotelis: *Τω γαρ ισχυος χαριν γυμνασαμενω πλειω και δια κοπον πυρεξαντι, απροαιρετον μεν το πυρεξαι ουκ απο τυχης μεν τοι. ειωθε γαρ επι των πλειστων των ασυμμετρων γυμνασιων κοπος επιγινεσθαι, επι δε τουτω πυρετος*. *Nam ei, qui firmitatis adquirendæ gratia se exercuerit plus æquo, & ob defatigationem febri oppressus fuerit, involuntarium quidem erit febri laborare, verum tamen non fortuitum; nam solet post plurimas immodicas exercitationes defatigatio gigni, deinde vero febris*. Sed tam frequens est hoc verbum apud medicos & alios etiam bonos auctores, ut nihil notius sit. Remedia etiam quædam medici, quæ defatigationes has ex nimiis laboribus ortas levent, *ακοπα* appellant. VICTOR. Hoc loco quidam legunt non *αλυπιαν*, sed *ακοπιαν*, quietem quamdam a magnis laboribus. CORRAD.

Τριψιν, ευλυσιαν, &c.) Sic habent iidem libri, non, ut vulgati *τερψιν*; quod probo: *τριψις* autem, id est, frictio. LAMBIN. Sed præstat *τερψιν*. GRÆVIUS. Lambinus in suis invenit *τριψιν*, quod magis est opportunum: *frictiones* enim valde accommodatæ morbo Tironis, licet & *oblectatio* aliquid, sed non ita, juvare possit: *ευλυσιαν κοιλιας facilitatem alvi* rectissime commendat. CORT.

Fi

mem. Parhedrum excita, ut hortum ipse conducat: sic olitorem ipsum commovebis. Helico nequissimus HS CIↃ dabat

Ut hortum ipse conducat) Eo tempore hortos quosdam Cicero emere cupiebat, ut in epistolis ad Atticum sæpe scribit. CORRAD. Est, nisi fallor, hujus loci sensus: Olitor nostrum hortum facit minimi, minimumque pro eo pretium offert, ratus adfuturum neminem, qui velit eum conducere. At quære inter vicinos aliquem, qui hortum hunc vel ad tempus conducat, aut fingat velle se conducere. Sic olitorem excitabis, & adduces, ut summam pecuniæ majorem mihi solvat. QUART.

Helluo nequissimus sestertia duo... dabat, &c.) Vetusti libri sic habent *Helico nequissimus* HS ∞ *dabat*. Noster tamen hic pro nota, quia veteres mille significabant, M habet, cum nondum typi illi, qui a nobis renovati sunt, fabricati essent: aliis autem locis semper ubi M habebant vulgati codices, ∞ in cunctis priscis exemplaribus a nobis inventam notam reposuimus: neque solum in his vidimus epistolarum antiquis libris hoc semper servatum esse, sed etiam in Livianis quibusdam vetustissimis exemplaribus, quæ in D. Marci bibliotheca servantur: quod idem & M. Varronis in eadem bibliotheca miræ antiquitatis codex retinet, & Columellæ non negligenter scriptus a Nicolao Nicolo liber, quem olim Politianus viderat & laudat. Sed quid opus est hæc tam accurate vel ambitiose potius testimonia colligere? nullos umquam vidi antiquiores codices, qui non semper loco millenarii numeri hanc notam retinerent. Non debuimus igitur licet omissam & obsoletam rem contemnere: cum nostrum totum studium fuerit ad priscam & genuinam scripturam hos libros reducere. Nec enim castigare aut emendare receptos Ciceronis codices voluimus: sed ope priscorum exemplarium importunas & ineptas quorumdam audaciorum castigationes ejicere & delere: secuti consilium Timonis Philasii, qui, Diogene Laertio auctore, ab Arato interrogatus, quomodo sincerum, & integrum Homeri poema sibi parare posset, respondisse fertur, Si antiqua ejus exemplaria sibi proposuisset, non quæ ab aliquo castigata jam essent: Censuit ille optimi judicii vir, quo magis tractati essent & castigati antiqui auctores, eo magis contaminatos inquinatosque esse: jam tum enim vigebat hæc pestis, quæ nostris temporibus adeo pervagata est, ut omnes meliores libros fœdis maculis deturpatos habeamus. Eamdem igitur notam renovavimus, ut quantum a nobis fieri potuit, vetustatem illam & integritatem, quam summo nostro labore deprehendimus, exprimeremus: Quomodo autem hæc nota conflata fuit, quia scimus eruditos quosdam viros in hoc multum laborasse, nec tamen rem, ut erat, invenire potuisse, ex Prisciano docebimus, qui in libello de Ponderibus & Mensuris id aperit, his verbis: *Mille secundum Atticos per χ litteram, sed ut sit differentia, ad x circumscriptis lateribus* (ж): quod infra etiam tangit. Quam simile autem haberent Latini suum x (qua littera decem significant) χ Græcæ litteræ, declaratur maxime; quia id quod Græci χιάζονται ab hac littera formato verbo appellant, id ipsi a sua itidem littera *decussare* dicunt. Licet igitur hac ætate omnes mille numerum prima ejus nominis littera describant, cum tamen antiquos potius hac nota usos & antiqua omnia exemplaria, & non contemnendus Grammaticus doceant, non debuimus eorum libros aliter, quam ipsis visum sit, describere; nam qui in suis libris morem usumque nostri temporis potius sequetur, numquam a nobis reprehendetur, quemadmodum nos culpa digni non sumus, si antiquos auctores antiqua consuetudine, & quæ usque ad hæc fere tempora duravit, scribimus; nam in multis etiam non ita antiquis iisdem notis hi numeri designati sunt; modestiores enim librarii tunc erant, & non omnia, quæ

bat nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa. Iste nos tanta impensa derideat? calface hominem, ut ego Mothonem: itaque abutor coronis. De Crabra quid agatur, etsi nunc quidem etiam nimium est aquæ; tamen velim scire. Horologium mittam, & libros, si erit sudum. Sed tu nullos ne tecum libellos? an pangis aliquid Sophocleum? fac, opus appareat. A. Ligurius, Cæsaris familiaris, mortuus est, bonus homo, & nobis amicus. Te quando exspectemus, fac ut sciam. Cura te diligenter. Vale.

EPI-

quæ aliquem scrupulum habebant, rejiciebant, quod posteriores nimis audacter fecerunt. Quod autem olim hanc notam non perciperent, intemperanter temereque aliquis pro ipsa, ducenta scripsit: quod erratum in omnes codices invasit. VICTOR.

Aprico horto) Apricus hortus est tepido ac leni, non torrentissimo Soli expositus. *Aprici colles*, qui Orienti Soli obversi sunt Ovidio. *Apricas terras* poeta simpliciter opposuit frigidioribus. Cl. Salmas. exercitat. Plin. p. 990. ubi vide plura. GRAV.

Nulla casa) Subaudi *existentibus* aut aliud quid. Significat enim Tullius Heliconem tantam summam dedisse, cum acciperet hortum, qui non apricus esset, cum acciperet nullum emissarium, maceriam, casam. CORT.

Vt ego Mothonem) His temporibus hortos ab Othone emturus erat Cicero, ut, nisi velimus hunc significari, & *M.Othonem* legamus, nesciam prorsus, quid sit hominis. CONRAD.

Itaque coronis abutor) Vt ego Mothonem, similem triconem & alium hortum male colentem incitavi; itaque tantum inde florum decerpo, ut abundem coronis, & iis non parcam, & quodammodo luxuriem. IO.FR.GRON.

Nihil admodum floreas ejus coronas, aut dona ejusmodi moror: malim ut majus pro horto pretium constituat. QVART.

De Crabra) In Oratione ult. contra Rullum: *Ego Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam, quia a municipio fundum accepi: Si a Sulla mihi datus esset, Rulli lege non penderem*. Quamvis in impressis mendose *Crebra*. Frontinus quoque sæpe hujus aquæ mentionem facit. GRAV.

An pangis al. Sophocleum) Simile Sophoclis versibus, qui in maxima antiquis erant laude. Vide Servium ad illa Virg. Eclog. VIII. v. 10. *Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno*. *Pangere* pro componere de versibus proprie & sæpissime dicitur. CORT.

Fac opus appareat) Exstet, II. Attic. 9. in publicum exeat, aut saltem videamus. Cato de R.R. 2. *Si ei opus apparet, dicit villicus, sedulo se fecisse*. IO. FR. GRON.

Bonus homo) Observatum est a studiosis Ciceronis, raro ab eo dictum esse *bonus homo*, semper fere *bonus vir*. Itaque legendum hic fortasse est, *bellus homo*. Ego tamen nihil muto. LAMBIN.

Ep-

EPISTOLA XIX.

ARGUMENTUM.

De litteris, de Demetrio, de Aufidiano nomine.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

EXſpecto tuas litteras de multis rebus: te ipſum multo magis. Demetrium redde noſtrum, & aliud, ſi quid poteſt boni. De Aufidiano nomine nihil te hortor; ſcio tibi curæ eſſe: ſed confice. Et, ſi ob eam rem moraris, accipio cauſam: ſi id te non tenet, advola. Litteras tuas valde exſpecto. Vale.

EPISTOLA XX.

ARGUMENTUM.

De valetudine curanda, de libris componendis, de olitore, de reditu Tironis.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

SOllicitat, ita vivam, me tua, mi Tiro, valetudo: ſed confido, ſi diligentiam, quam inſtituiſti, adhibueris, cito te firmum fore. Libros compone, indicem cum Metrodoro lubebit, quando ejus arbitratu vivendum eſt; cum olitore, ut videtur. Tu potes Kalendis ſpectare gladiatores, poſtridie redire, & ita cenſeo; verum, ut videbitur. Cura te, ſi me amas, diligenter. Vale.

EPI-

EPISTOLA XIX.

R*Edde noſtrum*) Forte jocus ſubeſt, ut ſignificet Tironem curare debere, ut Demetrius redeat: de illo ep. 17. CORT.

Et aliud ſi quid poteſt) Aliud boni fac, *mihi commoda*, ſi quid poteſt fieri, curari: de qua Ellipſi vide locum ad XV. ep. 20. citatum. IDEM.

Sed confice) Verbum in re pecuniæ frequentatum, ut ſupra monui. Sic VII. ep. 2. *confeciſſem cum heredibus*. IDEM.

EPISTOLA XX.

Q*Vam inſtituiſti*) Quam *adhibere* cœpiſti: *inſtituere* pro incipere factum, ut V. epiſt. 12. Sueton. Rhetor. c. 1. C. Nepos Annib. c. 2. Sic *inſtituere amicitiam* pro *inchoare* alibi dixit. CORT.

Poſtridie redire) In Tuſculanum. FUNC.

EPI-

EPISTOLA XXI.

ARGUMENTUM.

Propensionem animi ad virtutem, studiumque suum Cicero filius significat: de prædio emto gratulatur: scripta videtur vel Antonio & Dolabella Coss. vel etiam superiore anno, Fabio & Trebonio; nam aliquanto ante consules Antonium & Dolabellam profectum esse Athenas, Ciceronis filium, ex epist. 51. lib. XII. ad Attic. epist. 24. lib. XIII. ad eumdem intelligitur.

C. FIL. TIRONI SVO DVLCISS. S. P. D.

CVm vehementer tabellarios exspectarem quotidie, aliquando venerunt post diem XL. & VI. quam a vobis discesserant: quorum mihi fuit adventus adoptatissimus. Nam cum maximam cepissem lætitiam ex humanissimi & carissimi patris epistola; tum vero jucundissimæ tuæ litteræ cumulum mihi gaudii attulerunt. Itaque me jam non pœnitebat intercapedinem scribendi fecisse: sed potius lætabar; fructum enim magnum humanitatis tuæ capiebam ex silentio mearum litterarum. Vehementer igitur gaudeo, te meam sine dubitatione accepisse excusationem. Gratos tibi optatosque esse, qui de me rumores afferuntur, non dubito, mi dulcissime Tiro: præstaboque & enitar, ut in dies magis magisque hæc nascens de me duplicetur opinio. Quare, quod polliceris, te buccinatorem fore existimationis meæ, firmo

EPISTOLA XXI.

D*Isceßerant*) Erat enim illis Roma proficiscendum Athenas, ubi Cicero M. filius studiorum gratia erat. FVNC.

Quorum mihi fuit adventus adoptatissimus) Sic habet Palatinus prim. sec. sextus (Amstelod.) Vaticani excerpta, editio Victorii: quod licet pusillum, tamen indicandum fuit; eo quod Hittorpianus, *ex optatissimus* & editiones aliæ, *adventus optatissimus*; statim idem & Pal. sextus; *Nam cum maximam cepissem lætitiam; & humanissimi & carissimi patris epistolam*. Et iterum paullo post; *Itaque etiam non pœnitebat*. GEBHARD.

Intercapedinem scribendi) Intervallum, remissionem. Plin. III. ep. 9. Idem II ep. 9. CORT.

. *Duplicatur opinio*) Adeoque fama, nam de *rumoribus* dixerat. Spart. Adrian c. 4. ibi vide Casaubonum. Iustin. VIII. c. 3. IDEM.

Facias

firmo id constantique animo facias licet. Tantum enim mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata ætatis meæ, ut non solum animus a factis, sed aures quoque a commemoratione abhorreant. Cujus te sollicitudinis & doloris participem fuisse, notum exploratumque est mihi; nec id mirum. Nam cum omnia mea causa velles mihi successa; tum etiam tua; socium enim te meorum commodorum semper esse volui. Quod igitur tum ex me doluisti, nunc, ut duplicetur tuum ex me gaudium, præstabo. Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut filium, esse conjunctissimum; nam cum & audio illum libenter; tum etiam propriam ejus suavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo, noctisque sæpenumero partem; exoro enim, ut mecum quam sæpissime cœnet. Hac introducta consuetudine, sæpe inscientibus nobis & cœnantibus obrepit, sublataque severitate philosophiæ, humanissime nobiscum jocatur. Quare da operam, ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum

Facias licet) Facere potes, debes, ut alibi sæpe. Propert. I. eleg. VIII. v. 29. Plaut. Stich. A IV. Sc. II. v. 31. Sall. Cat. c. 58. IDEM.

Nam cum omnia mea causa velles, tum etiam tua) Duas has voces, *mihi successa*, quæ fuerant interjectæ, delevi. Erant enim supervacaneæ, & solœcismum gignebant. Ita enim Latini loquuntur, Omnia tua causa volo: neque addunt hæc, *mihi successa*. LAMBIN. *Velles mihi successa* pro *successisse*. Sic *sol occasus* est qui occidit, in legibus XII. Tab. *homo ventus* & *adventus*, qui advenit, apud Terent. & Sall. G. SCIOPPIUS. Lambinus delet *mihi successa*: Scioppius retinet *successa*, & defendit exemplis, quæ mihi videntur huc non valde pertinere. Quid si legamus *successe* pro *successisse*, ut passim leguntur *implesse*, *commosse* & similia? Quod si cui minus placet, is aut deleat omnino *successa*, aut pro captu refingat, nam vocem illam sanam esse mihi nequeo persuadere; quod enim quidam ex Ovid. Metam. lib. II. v. 788. huc trahunt *successorumque Minervæ*, ii videntur mihi etiam non bene sentire, cum apud Ovid. legendum sit: *secessu namque Minervæ Indoluit*. Posses etiam legere *summa esse*, quod non displicet, errore nato e compendio scribendi. VERBURG. Dure dictum Manutio videtur pro *successisse*. Sed tamen & neutra verba nonnunquam passivo more flectuntur. Lib. VIII. ep. 13. Cœlius Ciceroni, *ætate jam decursa*. Gellius XV. extremo *oppugnatione desita*. CORT.

Cratippo) Epist. 16. lib. XII. CORRADUS.

Nam cum & audio ill. lib. tum) *Cum &* conjunctum vix umquam in significatione hac continuandi invenias, alterutrum abjiciendum est. De *&* nihil difficultatis. Sed credo Caium dedisse, *Nam & audio ill. lib. tum*, ut Pater in Bruto c. 93. Confer XV. ep. 11. Qui talem positum τῶν *&* . . . *tum* non intellexit, adpinxit *cum*, quod postea in textum migravit. CORT.

Obrepit) Supervenit, Poetis frequentatum, in primis quando de Somno verba faciunt. Tibullus I. Eleg. IX. v. 59. Quinctil. Declam. 291. Cic. VI. ad Attic. ep. 3. CORT.

De

virum videas quam primum. Nam quid ego de Bruttio dicam? quem nullo tempore a me patior discedere: cujus cum frugi severaque est vita, tum etiam jucundissima convictio; non est enim sejunctus jocus a philologia, & quotidiana συζητησει. Huic ego locum in proximo conduxi: &, ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. Praeterea

De Bruttio) Alii legunt, *de Bruto*: & intelligunt de M. Bruto, qui, interfecto Caesare, se Athenas contulit, & paullo post secum in Macedoniam ipsum Cic. Ciceronis F. duxit, ep. 14 lib. XII. CORRAD. Sed MSi & Victor. edit. *de Bruttio*: quod & Manutio probatur, quem vide ad hunc locum. GRAEV.

Tum etiam jucundissima convictio) Elegans haec lectio debetur Mediceo, ut adnotat Egnatius, usurpavitque ut genuinam Victorius in editione sua; postеaque in suam transmovit Lambinus: confirmatur jam mihi de excerptis Vaticani. Alias plebeje est, *jucundissima conjunctio*: & cur non a *convivere convictio*? GEBHARD. *Convictio*, pro quo Lucceius supra V. ep. 14. *ad convictum nostrum redeas*. Frequens autem illarum terminationum est permutatio. Sic Gellius XII. c. 2. *partionem* vocat *partum*. Tertullianus contra *sancitum*, *sanctionem*. Censorinus de die IV. *collatum*, *collationem*. Addesis notas ad Sall. Iug. c. 2. CORT.

Non est enim sejunctus jocus) Sic recte Amstelod. & editiones priscae. P. Victorius, & Gebhardus ex quibusdam libris supposuerunt, *non est enim sejunctus locus*: quos hic sequi nos vetat sententia hujus loci. Dicit enim, severam quidem esse vitam Bruttii, consuetudinem tamen suavissimam, praecipue inter coenandum. Philologicis enim illis quaestionibus, & quotidianis disquisitionibus, quibus coenas suas condiant, adspergi ab eo jucundos jocos. Peck. codex pro *Philologia* scribit *Philosophia*, quod si muniretur antiquiorum librorum auctoritate, non improbem. Sed vero similius tamen est, super coenam non in tetricis & spinosis disputationibus philosophicis, sed potius philologicis amoenitatibus illos esse versatos, pro more doctorum aetatis priscae: sicut convivales quaestiones Plutarchi, & Athenaei convivantes sapientes argumento sunt. Hinc vulgata lectio non est sollicitanda. *Jocus* vero mutari in membranis priscis saepe in *locus* ostendunt etiam Phaedri versus in Praefat. lib. II.

Quicumque fuerit ergo narrandi locus,
Dum capiat aurem, & servet propositum suum,
Re commendatur, non auctoris nomine.

Narrandi locus sane nec aurem capit, nec re commendatur; legendum est, ut puer fere vidi,

Quicumque fuerit ergo narrantis jocus.

Quemcumque ego jocum his libris admiscuero, dummodo oblectet audientes, & corrigat errores hominum, dum ridendo verum dicit, non magni fit, quod sive a me, sive ab Aesopo aut alio insigni viro sit prolatus, sed quod sit festivus, urbanus & juxta salutaris. Nec enim frigidi si qui iis exciderunt, magnorum virorum joci probantur, quod Ciceronem nostrum expertum esse nemo paullo humanior ignorat. GRAEVIUS. *Locus* est ex vetustissimis libris; *jocus* vero suppositum a Graevio. Significat enim nullum *locum*, quo cum eo sit, vacuum esse philologia & disputatione. *Philologia* modo jocum, seria modo offert, ut ex Plutarchi Symposiacis, & Athenaei convivantibus apparet. Vnde fere sequitur *convictionem* simul ad *convivia* pertinere: quam notionem vocis *convictus* defendit & adstruit Vossius ad Vellei. Pat. II. c. 33. CORT.

Locum in proximo conduxi) Hoc est, sive aedem, sive cubiculum, in quo habitet. Saepe *locus* est diversorium, hospi-

terea declamitare Græce apud Casſium inſtitui, Latine autem apud Bruttium exerceri volo. Vtor familiaribus, & quotidianis convictoribus, quos ſecum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illi probatiſsimis. Multum etiam mecum eſt Epicrates, princeps Athenienſium, & Leonides, & horum ceteri ſimiles. τα μεν ȣν καθ' ἡμας τȣδε. De Gorgia autem quod mihi ſcribis, erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis: ſed omnia poſtpoſui, dummodo præceptis patris parerem. διαρρηδην enim ſcripſerat, ut eum dimitterem ſtatim; tergiverſari nolui, ne mea nimia σπȣδη ſuſpicionem ei aliquam importaret. Deinde illud etiam mihi ſuccurrebat, grave eſſe, me de judicio patris judicare. Tuum tamen ſtudium & conſilium gratum acceptumque eſt mihi. Excuſationem anguſtiarum tui temporis accipio; ſcio enim, quam ſoleas eſſe occupatus. Emiſſe te prædium vehementer gaudeo, feliciterque tibi rem iſtam evenire cupio. Hoc loco me tibi gratulari, noli mirari; eodem enim fere loco tu quoque emiſſe te, feciſti me certiorem. Habes deponendæ ubi ſunt urbanitates; ruſticus Roma-

hoſpitium, ut in illa ſolemni locutione: *Locus lautiaque legatis præbita*, quæ ſæpe apud Livium legitur. GRÆV.

Caſſium) C. Caſſium, qui & ipſe illo venerat. CORRADVS. Male: vide Manutii notam de Bruttio. GRÆV.

Mitylenis) *Mitylene* Leſbi Oppidum nobiliſſimum & amœniſſimum. IDEM.

Et Leonides) Qui Ciceronis filium, cum metu ſemper mutationis, vocabulis *adhuc*, *ut nunc eſt*, laudabat: meminit Cicero XIV. ad Att. ep. 16. & 18. XV. ep. 16. CORT.

De Gorgia) Leontino, cujus libros hic Cicero filius legebat: vel *Gorgia* rhetore aliquo, qui tunc viveret. CORRAD.

Ne mea nimia σπȣδη ſuſpicionem ei aliquam importaret) Guilielmius ex vetere libro notat *ſuſceptionem*, ſed revera leg. *ſuſpectionem*: quæ vox & ſuperius occurrit. *Gorgias* autem hic erat Rhetor, ut notat ad primam impreſſionem Egnatius, quem Cicero ſubmovit a contubernio convictuque filii; cauſatus, quod adoleſcentes pelliceret ad voluptates & vinum, teſte Plutarcho in Cicerone. GEBHARDVS.

Suſp. ei al. importaret) Delectatur ea phraſi Cicero, qui eodem modo *ægritudinem*, *incommodum*, *ſollicitudinem importare* dixit pro *afferre*. Phædr. I. Fab. XXVIII. v. 6. ubi vide Scheſſerum, Gronovium, & Gudium. CORT.

Hoc loco me tibi gratulari) *Hoc loco* Epiſtolæ. CORRAD. *Hoc loco*, eſt, hac parte epiſtolæ meæ, cum gratulationibus tribuere primas fere epiſtolarum partes ſoleamus. Cicero ipſe ad Cœlium: *Primum tibi, ut debeo, gratulor*. Cœlius ad Ciceronem: *Gratulor tibi affinitate viri medius fidius optimi*. Cicero ad Appium: *Gratulor tibi primum; ſic enim ordo rerum poſtulat: deinde ad me convertar*. Et ad Balbum: *Gratulor tibi, mi Balbe, vereque gratulor*. BERN. RVTIL.

Habes: deponendæ tibi ſunt urbanitates) Sinceriſſima lectio hæc a Lambini libris eſt; quam quoque deprehendi in

Romanus factus es. Quomodo ego mihi nunc ante oculos tuum jucundissimum conspectum propono; videor enim videre ementem te rusticas res, cum villico loquentem, in lacinia servantem ex mensa secunda semina. Sed quod ad rem pertinet, me tum tibi defuisse æque ac tu doleo. Sed noli dubitare, mi Tiro, quin te sublevaturus sim; si modo fortuna me: præsertim cum sciam, communem nobis emtum

in Pall. Vaticani excerptis, & editione prima. Victorius edidit, *habes ubi sunt deponendæ urbanitates*. Vulgo vero: *habes ubi deponendæ tibi sint urbanitates*. GERMANUS. *Ubi* desideratur etiam in Amstelodam. Mentel. & meo secundo: sed a descriptoribus in *tibi* mutatum est, & inde non suo loco repetitum, quod & Victorius vidit. Rescripsi igitur: *habes deponendæ ubi sunt urbanitates*. GRÆV. *Ubi deponendæ tibi sint*) Ubi molestias & ineptias, quæ multæ sunt in urbe ferendæ, quoties earum tædium te ceperit, fugias & abjicias. I. FR. GRON.

Rusticus Romanus) Honestum nomen est plebeji ordinis: quia vera Romuli proles agrestibus operibus exercebatur, & rusticam plebem præponebat urbanæ, cum proceres civitatis in agris morarentur, & ubi consilium publicum desiderabatur, e villis arcessebantur in senatum, unde qui eos evocabant, *viatores* nominati. Cic. pro Sextio in Optimatium, hoc est, qui consilia sua optimo cuique probari vellent, secta collocat *municipales, rusticosque Romanos*. Id. de Senectute: *Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos, & familiares meos*. Lib. I. de Divin. *Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret, præsultorem sibi non placuisse ludis*. Tib. Atinium *de plebe hominem* appellat Livius. GRONOVIUS. Argute dictum. Emerat prædium *rusticum*, propterea *Rusticum* vocat. Et Rusticæ tribus erant urbanis digniores, quemadmodum & veteres Romani hoc nomine ornantur. Varro γερουτοδιδασκαλῳ apud Nonium c. 3. CORT.

Cum villico loquentem) Quod in priscis aliis monumentis adnotavi, in Mediceo hic observatum est, *Vilico* scribi consuetudinem fuisse per unum *l* tantum, quod quamvis omnino non magni momenti sit, tamen quia admirabile est, cum a *villa* deducatur, præterire nolui: libri M. Varronis de Re Rustica pleni sunt hujus nominis, nusquam autem non ita scriptum. in perantiquo illo, qui est in Divi Marci bibliotheca, inveni. In Pandectis Florentinis quoties hoc nomen est, omnes ita scriptum est. Romæ etiam vetere in lapide ita scriptum est, *Decimo vilico*. Rei parvæ doctissimum & optimum virum testem dabimus, Ludovicum Fabrum Panensem, qui, cum hoc adnotavi, præsens aderat: utebar enim judicio illius summe officiosi hominis, in hujuscemodi rebus, quarum ille peritissimus est, perscrutandis. Sed ajunt etiam Capuæ in Sacello Divi Benedicti hanc inscriptionem inveniri:

EVTYCHVS VILICVS
A. PLVMBO EVAGOGVS
A. FLAM.
FECERVNT SIBI ET SVIS.

VICTOR.

In lacinia) In vestis sinu. CORRAD. Parte vestis, pinna chlamydis sive togæ, qua apprehensa instar sacculi efficitur. Sacer Codex *Sinum* potius nominat. Plaut. Mercat. A. I. Sc. II. v. 16. Sueton. Calig. c. 35. Adde Ferrar. Anal. de Re Vest. c. 41. & Ruben. II. de Re Vest. c. 9. CORT.

Ex secunda mensa) Ex pomis. CORRADUS.

Semina) Quæ postea in tuo fundo seras. IDEM. Pomorum, quæ consumta sunt, in mensa secunda. Horat. II. Sat. II. v. 121. Vide de illa Ciaccon. de Triclin. p. 55. & in eum Ursinum p. 312. CORT.

Mal-

tum esse istum fundum. De mandatis, quod tibi curæ fuit, est mihi gratum. Sed peto a te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Græcus: multum mihi enim eripitur operæ in exscribendis hypomnematis. Tu velim in primis cures, ut valeas; ut una συμφιλολογεῖν possimus. Antherum tibi commendo. Vale.

EPISTOLA XXII.

ARGUMENTUM.

Prima pars epistolæ Tironem hortatur ad curandam valetudinem, reliquæ variis de rebus agunt. Scripta est, Tirone iterum ægrotante: cum in agris Cicero, in urbe Tiro esset: quantum ex ipsa licet epistola conjicere.

TULLIUS TIRONI S. P. D.

SPero ex tuis litteris tibi melius esse: cupio certe. Cui quidem rei omni ratione cura ut inservias: & cave, suspiceris, contra meam voluntatem te facere, quod non sis mecum; mecum es, si te curas. Quare malo, te valetudini tuæ servire, quam meis oculis, & auribus. Etsi enim & audio te, & video libenter; tamen hoc multo erit, si valebis, jucundius. Ego hic cesso, quia ipse nihil scribo: lego

Multum enim mihi eripitur operæ) Legendum censeo *deripitur*, quod valet, detrahitur. LAMBIN. Nihil hic contra omnem librorum consensum est mutandum. *Opera* hoc loco est tempus, ut apud Plautum Trucul. IV. IV. 30.

Numquid vis? DI. fac valeas: operæ ubi mihi erit, ad te venero.

Gell. I. 17. *Nunc mihi operæ non est: cum otium erit, revises ad me, atque disces.* De hac notione alia notavit exempla Iohannes Schultingius, vir insignis, quem rei litterariæ & mihi, erat enim inter nos summa animorum & voluntatis conjunctio, præceps fatum eripuit, in notis ad I. Senec. Suasor. GRÆV.

Hypomnematis) Subitariis adnotationibus, quæ exscribendæ multum operæ, & cum eo temporis eripiunt. Hæc enim ita consociata sunt, ut Grævius putaverit *operam* pro *tempore* dici in iis Gellii I. c. 17. *Nunc mihi operæ non est: cum otium erit, revises ad me, atque disces.* CORT.

Antherum tibi commendo) Delenda aspirationis nota ex nomine *Anteriden*. F. URSIN.

EPISTOLA XXII.

TULLIUS TIRONI) Videtur scribendum *M. Tironi*, quia manumissus Tiro a Cicerone, Marci patroni prænomen libertus assumsit. F. URSIN.

Spero ex tuis litteris) Secundum tuas litte-

go autem libentissime. Tu istic, si quid librarii mea manu non intelligent, monstrabis. Una omnino interpositio difficilior est, quam ne ipse quidem facile legere soleo, de quadrimo Catone. De triclinio cura, ut facis. Tertia aderit, modo

litteras, ut supra II. ep. 15. cum notis, & alibi. CORT.

Si quid librarii mea manu) Scriptum, pro *meam manum*, ut nos dicimus. Vide III. ep. 13. IV. ep. 6. V. ep. 3. dicta: posses & *quid mea manu* intelligere, ut ea IX. ep. 11. *litteras meo interitu*. IDEM.

Una omnino interpositio est) Interpositum est aliquid in spatio interlineari de *quadrimo Catone*, quod nec ipse facile legere possum. Sic construenda & exponenda hæc videntur. Nisi malis *interpositionem* accipere pro argumento in scripto intercedente, quemadmodum de personis interpositis in Oratione ea voce utitur Auctor ad Herenn. III. c. 6. IDEM.

Quam ne ipse quidem facile legere soleo) In qua, quoties eam relegi, hæsitare & ipse me sensi. Male delet *το legere* Manut. I. FR. GRON.

De quadrimo Catone) Sic omnes & antiqui, & impressi codices habent. Aliquos tamen scimus *de qua primo Catone* emendasse: parva omnino licentia, unius scil. tantum litteræ conversione, ut cum superiore sermone conjunctum sit hoc membrum: de qua omnino interpositione primo Catone diximus, seu aliquid tale intelligentes; sed quia numquam scimus illum sic appellasse librum de Senectute, sed semper Catonem majorem: ideo receptam lectionem commovere ausi non sumus: quia tamen res non omnino contemnenda visa est, noluimus præterire, quin lectorem admoneremus; præsertim cum sit locus obscurissimus, & nostro etiam judicio non vacuus mendo. VICTOR. *De quadrimo Catone*) Hæc est illa interpositio: & Catonem Uticensem significat, cujus laudationem ipse Cicero scripsit, quam Cæsar sæpissime legendo se dicebat copiosiorem factum, quamvis Anticatones conscripsisset. Al. tamen hic legunt, *de qua primo Catone*. Nonnulli vero etiam viri docti ita legunt, *de qua primo caveto*. CORRAD.

Una omnino interpositio difficilior est, quam ne ipse quidem facile legere soleo de quadrimo Catone) Faernus nullum his verbis inesse mendum existimabat, sed ex Plutarchi auctoritate ita locum explicabat, ut ad Catonis factum referret, cum in domo M. Drusi avunculi Trib. pl. Latinis petentibus civitatem, & se præcipitem illum daturos, joco minantibus, quadrimus constantissime negavit: quod Ciceronem in laudibus Catonis non prætermisisse verisimile est in eo libro, qui Cato minor inscriptus fuit; sed quia aut totam rem, aut aliquam partem interposuisset litteris minutulis, id esse, quod scriberet, ne a se quidem facile legi posse. Quadrimum vero fuisse tunc Catonem, cum egit ea, quæ Plutarchus scribit, colligere possumus ex ea ætate, qua mortuum Catonem Historici tradunt, & ex Drusi Tribunatus anno: Plutarchus quidem anno ætatis duodequinquagesimo obiisse Catonem scribit, Appianus prope quinquagesimo, & Florus XLIX. Dion annum non refert ætatis, sed mortis tempus rejicit in consulatum C. Cæsaris tertium, & M. Lepidi, hoc est, si Fastos Capitolinos sequimur, annum Urbis DCCVII. Drusi Tribunatus fuit anno proximo ante Bellum Marsicum L. Marcio Philippo, Sex. Iulio Cæsare Cos. ann. DCLX. ut in eisdem Fastis est; quibus accedit Ciceronis auctoritas in lib. II. de Legib. Ascon. in Corneliana, & Val. Max. lib. IX. Itaque si fingamus natum Catonem ann. Urbis DCCVII. quinquennium explebit die natali ann. DCLXII. & quinquagesimum annum die natali DCCVII. si mors fuit ante diem natalem ejus anni, erat annorum XLIX. si ante diem natalem ea gessit, quæ Plutarchus refert in Drusi Trib. pleb. domo, quadrimus Cato ea gessit. Quod si fin-

modo ne Publius rogatus sit. Demetrius iste numquam omnino Phalereus fuit, sed nunc plane Billienus est. Itaque te do vicarium, tu eum observabis. Etsi, verumtamen, de illis: nosti cetera. Sed tamen, si quem cum eo sermonem habueris, scribes ad me, ut mihi nascatur epistolæ argumentum, & ut tuas quam longissimas litteras legam. Cura, mi Tiro, ut valeas: hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

EPISTOLA XXIII.

ARGUMENTUM.

Hortatur, ut professionem conficiat, scribitque sibi esse in animo amicitiam Antonii conservare.

TULLIUS TIRONI SUO S. P. D.

TU vero confice professionem, si potes; etsi hæc pecunia ex eo genere est, ut professione non egeat. Ve-

si fingamus natum ann. Urb. DLIIX. facilius dicemus. in Tribunatu avunculi quadrimum fuisse, sive ageret quartum annum, sive excederet aliquot mensibus: mors vero incidet in XLIIX. exactum, & pæne quinquagesimum inchoatum: qua ratione Florus, & Appianus cum Plutarcho consentient; sed & initium Tribunatus fuit ante Idus Decembris ann. DCLXI. in quo verisimile est hæc tum Catonem egisse, licet id Plutarchus non scribat. F. URSINUS. *De quadr. Cat.*) Exstat in Palatino primo, tertio, & editione antiquissima, *de qua primo Catone*: unde alii cum Manutio legunt, *de quo primo caveto*. Alii, *de primo Catone*: nos in hoc obscurissimo loco nihil adferre adjumenti possumus. Palatinus sextus videtur, præferre, *de quadrimio Catone*. GEBHARD.

Tertia) Femina, vel potius pensio. CORRAD. Sed vid. Manut. GRÆV.

Publius) Non Clodius, ut quidam putant, sed alius quispiam, cui Cicero se nummos debere in epistolis ad Atticum sæpe testatur. CORRAD.

Phalereus) Similis Demetrio Phalereo. IDEM. Demetrius, de quo ad me scribis, numquam fuit Demetrio Phalereo similis: numquam fuit elegans, urbanus &c. Ludit in *Demetrii* nomine. QUART.

Nunc plane Billienus est) Dignus suo nomine: vitio laborat ejus, cujus nomen gerit. Videtur enim Grajus homo Demetrius cognomen sumsisse Billieni, quod per Billienum quemdam libertatem, & civitatem accepisset. I. FR. GRON. *Billienus*) Al. *Hellienus*, ut epist. 15. lib. VIII. CORRAD.

Etsi verumtamen. De illis) Hæc facile supplere Tiro potuit, cui notæ erant Patroni cogitationes. Similis brevitas ad Attic. XIII. 2. XIV. 8. & 12. I. FR. GRON.

Verumtamen. Balbus ad me scripsit, tanta se epiphora oppressum, ut loqui non possit, Antonius de lege quid egerit; liceat modo rusticari. Ad Bithynicum scripsi. De Servilio tu videris, qui senectutem non contemnis. Etsi Atticus noster, quia quondam me commoveri πανικοῖς intellexit, idem semper putat; nec videt, quibus præsidiis philosophiæ septus sim: & hercle, quod timidus ipse est, τορυβοποιεῖ. Ego tamen Antonii inveteratam sine ulla offensione

EPISTOLA XXIII.

VErumtamen) Scilicet confice. CORRADUS. Supple profitere pecuniam apud magistratum eam, quæ mihi debetur, & quæ propterea professione non opus habet. De ea professione intelligunt Corradus, Bosius Iunius ad XIII. ad Attic. ep. 32. quam Cæsar constituerat post bella civilia. CORT.

Epiphora) Oculorum morbo. CORRADUS.

Vt loqui non possit, Anton. de l. q. egerit: liceat m. r.) Iocatur Cic. nam qui ab oculis laborat, non impeditur quo minus loqui possit. Balbus vero Cornelius vir erat testus, & ut Cæsarianus Antonium amabat, ob idque quid Antonius egisset de lege, quam post Cæsaris mortem fixerat, loqui nolebat. IDEM. *Vt loqui non possit*) Iocus, ut neminem admittat. Hoc tantum responderat Balbus per litteras roganti de ea lege Ciceroni. Sed Cicero lepido cavillo hoc interpretatur ita, ut expressit. I. FR. GRON.

Liceat modo rusticari) Quando in urbe cum dignitate per Antonium esse non licet. CORRAD.

Bithynicum) Ep. 16. lib. VI. IDEM.

De Servilio) Isaurico, quem hoc anno obiisse testatur Dio lib XLV. quem felicem videtur scripsisse Tiro, qui effugerit Antonii minas, & gladios. Id ad me, inquit Cicero, non pertinet, qui cædem non timeo, & vitæ obsaturatus sum; sed ad te. I. FR. GRON.

Non contemnis) Vt ego jam contemno. CORRAD.

Commoveri πανικοῖς) *Panica* vocantur, ut arbitror, a Græcis repentini quidam terrores & consternationes: quales utique lymphatici metus, usque adeo irrevocabiles, ut non ratione modo, sed mente etiam careant. Quo item verbo Cicero idem utitur in epistola ad Attic. lib.V. *Scis enim*, inquit, *quædam πανικὰ dici*. Facit item Higynius de Panico terrore mentionem, quo loco de Capricorno, his verbis: *Hic enim dicitur, cum Iupiter Titanas oppugnaret, primus objecisse hostibus terrorem, qui panicos dicitur, ut ait Eratosthenes, quam fabulam & Germanicus innuit in Arateo commentario*. Euripides in Medea sic ait:

Και τις γεραια προσπολων, δοξασα τε
Η. Πανος οργας, η τινος θεων μολειν,
Ανωλολυξε.
Et anus aliqua famulans visa
Vel ob Panis iras, vel alicujus Deorum fugere,
Ejulavit.

Panos autem vocat *iras* Euripides, sicuti est apud antiquissimum ipsius interpretem, τα πανικα δειματα, panicos terrores, οτι την των αιφνιδιων φοβων και ταραχων αιτιαν τω Πανι ανατιθεασιν. Quoniam, inquit, repentinorum terrorum & consternationum causam, deo Pani tribuunt. Et apud Synesium in lib. de Providentia, sic invenio ferme: Και πανικοι θορυβοι μεθ' ἡμεραν το στρατευμα κατελαμβανον. *Et panici tumultus interdiu exercitum occupabant*. Quo loco amplius etiam, cujusmodi essent hi denique terrores, explicatur. POLITIANUS Miscell. 28. ubi vide plura. GRAV.

Πανικοῖς) Repentinis terroribus vel rumoribus, sed plerumque falsis; ut illud ad Atticum: *De Ventidio πανικὸν*

sione amicitiam retinere sane volo, scribamque ad eum; sed non ante quam te videro: nec tamen te avoco a syngrapha, γονυ κνημης. Cras exspecto Leptam; etenim ad cujus rutam pulegio mihi tui sermonis utendum est. Vale.

EPISTOLA XXIV.

ARGUMENTUM.

Domesticas res primum, deinde publicas complectitur. hæc epistola: quam post Cæsaris obitum scriptam esse, constat, consulatum gerentibus M. Antonio, P. Dolabella.

TULLIUS TIRONI S. P. D.

ETsi mane Harpalum miseram; tamen eum haberem, cui recte darem litteras, etsi novi nihil erat, iisdem de rebus volui ad te sæpius scribere: non quin confiderem diligentiæ tuæ: sed rei me magnitudo movebat. Mihi prora & puppis, ut Græcorum proverbium est, fuit a me tui dimittendi, ut rationes nostras explicares. Ofillio, & Aurelio utique satis fiat. A Flamma, si non potes omne, partem aliquam velim extorqueas; in primisque, ut expedita sit pensio Kalendis Ian. De attributione conficies. De re-

præ-

κον puto: *de Sexto, pro certo habebatur, ad arma*. CORRAD

Amicitiam) Epist. 15. lib. XI. IDEM.

Γονυ κνημης) Εγγιον. IDEM.

Pulegio) Al. *puleio*. Et sane Celsus docet, rutam & puleium herbas etiam somno aptas esse. IDEM. *Ad cujus rutam pulegio mihi tui sermonis ut.*) Vide Manut. Imitatus est Ambrosius lib. I. epist. 5. *Non mediocrem sumsi ad convalescendum gratiam, quasi quodam tui alloquii pulegio refectus*. GRÆV. Herbæ sæpe coniunctæ: hæc suavis, illa amara: vide plura apud Colum. XII. de R. R. c. 7. & Plin. XX. H. N. c. 14. ad tristia illa & ingrata Leptæ, suavitate sermonum Tironis utendum esse innuit. CORT.

EPISTOLA XXIV.

NOn *quin confiderem tuæ diligentiæ*) In editione pervetusta, quam cum MSis ab Italo collatam mecum communicavit Nicolaus Heinsius, vir summus & mihi amicissimus, emendatum erat, *non quin diffiderem tuæ diligentiæ*. Sic omnino legendum: quod & Gronovio ἐγ πάνυ probabatur. GRÆV. Non *quia non* confiderem diligentiæ tuæ, sed *quia* rei magnitudo me movebat. Sic XIII. epist. 16. Adde notata ad X. epist. 12. CORT.

Mihi prora & puppis) Summa consilii. CORRADUS. Vide Erasmum I. Chil. I. Centur. Prov. VIII. ubi comparavit cum similibus: *Alpha & Omega, Primus, ultimus, ac medius, Vallum & fossa*. CORT.

Flamma) Flamma Flaminio debitore. CORRAD. C Flaminio Flamma, qui Planco debebat, præde Montano. & forte etiam Ciceroni attributus erat. Vide Cic. XII. ad Attic. ep. 52. & XIV. ep. 16. CORT.

Pensio Kalend. Ian.) Certis pensioni-

bus

præsentatione, videbis. De domesticis hactenus. De publicis omnia mihi certa, quid Octavius, quid Antonius, quæ hominum opinio, quid futurum putes. Ego vix teneor quin accurram. Sed st! Litteras tuas exspecto: & scito Balbum tum fuisse Aquini, cum tibi est dictum, & postridie Hirtium. Puto utrumque ad aquas. Sed quid egerint. Dolabellæ

bus solvebatur, ut videre est ex solutione dotis VI. ep. 19. & alius debiti VII. epist 23. adde Cujac. VII. Observ. c. 20 & qui hunc simul laudavit, A. Schottum ad Senec. Suasor. I. p. 535. Sed una etiam *pensione* defungebantur. IDEM.

De attributione conficies) Sup. nominum, sive debitorum adsignatione. MAZOCH. *in Tabb. Heracl. p.* 346.

De repræsentatione) De eo, quod in præsens, non in diem (ut in attributione) solvendum est. Vide de repræsentatione dicta ad ep.14. CORT.

De publicis omnia mihi certa) Antiqui codices cum recepta lectione consentiunt: cogitandum tamen, an legi debeat *incerta*. Rogat enim Tironem, ut scribat, quæ statim exponit, ut qui nihil certi de illis rebus haberet. VICTOR. *Mihi certa*) Scribas. CORRAD.

Octavius) Qui nuper Romam venerat, ut Cæsaris hereditatem cerneret. IDEM.

Ego vix teneor, quin accurram: sed st) Hæc est Medicæi codicis lectio non sine aliqua macula, ut existimare facile possemus: non displicet Paulli conjectura: nam & perversio parva est, si ita legi debet, & idoneum sensum habet: jubet enim Tironem tacere, quod ante dixerat; se vix teneri, quin accurrat. Eodem modo locutus est in epistolis ad Attic. nec tamen notam ibi posuit, aut sibilo hoc significavit, sed verbo expressit quid eum facere vellet lib. II. *Non libet fugere: aveo pugnare: magna sunt hominum studia: sed nihil affirmo: tu hoc silebis*. VICTOR. *Sed litteras tuas exsp.*) Quidam libri habent, *sed scil.* alii *sed sc.* Fort. legendum *sed st.* Litteræ *st* autem, silentii nota sunt. Ego nihil affirmo. LAMBIN. *Sed s litt. t. exsp.*) Vetus liber *sed st litteras tuas exspecto*. VRSIN. *Sed litt. t. exsp.*) Non aliter est hic locus in Medicæo; sed Pall. aliquot & editio prima, quemadmodum & Victorius edidit, *sed si litteras tuas exspecto*. Lambinus non male, quod quidam libri haberent, *sed scilicet litteras*, finxit, *sed st! litteras, &c.* GEBHARD. Non inspexit hic notam Victorii Gebhardus, quod in aliis pluribus locis deprehendi. Medicæus enim ut Amstelodamensis, & plures alii libri habent, *sed si*, quod recte mutatum est a Manutio & Lambino in *st*. *Sed st litteras tuas exspecto*: quod cum in antiquo codice Fulvius invenerit, non dubitavi in ipsum recipere contextum. GRÆV. *Sed si litteras*) Sic Manutiani: unde ille *st*, quæ nota silentii est. Idem colligit Lambinus ex scriptis, in quibus: *Sed scilicet tuas litteras exspecto*: At hæc vera lectio est, ut V. ep. 5. *Ego valde suspenso animo exspecto, primum te, scilicet, deinde Marionem*. I. FR. GRON.

Aquini) Galliæ Cispadanæ Oppidum, nunc *Acquario*: incolæ *Aquinates*. GRÆV.

Puto utrumque ad aquas. Sed quid eg.) Omnes vulgati codices habebant, *utrique ad aquas Semas*. Nos his neglectis, ut in veteribus libris invenimus, scripsimus. *Ad aquas* autem intelligit Baianas, quemadmodum in epistolis ad Atticum lib. XIV. *Haud amo vel hos designatos, qui etiam declamare me coegerunt, ut ne apud aquas quidem adquiescere liceret*: id est, Baiis; nam quod in cunctis in fine epistolæ *Appiam* legebatur, nos iisdem antiquis codicibus auctoribus *Papiam* scripsimus. VICTOR. In nostrum impressum codicem Medicæi lectionem transtulimus: quæ tamen culpa impressorum aliquantulum perturbata est; sejungere enim debe-

bellæ procuratores fac admoneantur; appellabis etiam Papiam. Vale.

EPI-

debebant hæc verba ab inferioribus ut distincta essent, quemadmodum res ipsæ distinctæ sunt. Quod si hos servassent, nihil, ut arbitror desideraretur: intelligi sane debet verbum, quo illa regerentur, non tamen poni, vel *nondum scio*, vel *ad me scribe*, aut aliquid quod sententiam illam expleat, ut in epistola ante hanc in illo loco, *Antonius de lege quid egerit*. *Ad aquas* autem cum dicebant, quamvis nihil adderent, aquas tamen calidas Baiasque intelligebant. Idem *in posterioribus Ad aquas Semas: quid eg.*) Al. *ad aquas, seu quod elegerint*. *Aquas* autem Baianas intelligit, si ita legas. CORRAD. *Puto utrumque ad aquas, Emas quid egerint*) Sic legendum putat hunc locum Adr. Turnebus in Adversar. ubi libri vulgati habent: *Puto utrumque ad aquas Semas, quid egerint*: hac sententia, Puto utrumque ad aquas venturum; magno pretio emas scire quid egerint. Manutius autem sic: *Puto utrumque ad aquas*. *Sciemus quid egerint*; quod aliquanto remotius est a scriptura vulgata, eademque antiqua. Quid si sic legendum dicamus? *Puto utrumque ad aquas xenias: quid egerint, scribam ad te, scilicet*. Omnino Turnebi conjectura mihi magis placet. LAMBIN. *P. utrumq. ad aq. Sed q. e.*) Victorianæ editionis lectionem tenuimus, adprobatam & confirmatam a Palatino sexto & Hittorpiano. Nam, primus (ut & Amstel. & Mentel. & *Græv.*) sicut & antiquissima editio, *puto utrimque ad aquas seu quod elegerint Dol. proc.* Turnebus ex conjectura emendabat, vel, *puto utrumque ad aquas*. *Emas quid egerint*: vel, *puto utrumque ad aquas Xenias, quid egerint, scribam ad te scilicet*: quod Lambino magis placet, quam Manutianum commentum, *puto utrumque ad aquas*; *sciemus quod egerint*: quod tamen aliquanto remotius esse a scriptura vulgata eademque antiqua ait idem. Editiones quippe ferunt, *puto utrumque ad aquas emas*: unde faciendum Guilielmius esse putat *aquas senias*. GEBHARDVS. *Sed quid egerint*) Scilicet nescio, aut rescribes, aut, postea intelligemus. Sic in ep. 22. hujus libri: *Itaque de te vicarium: tu ipsum observabis*. *Et si*. *Verum tamen de illis*, *nosti cetera*. GRÆV. *Sed quod egerint*) MSi, *seu*: lege, *seu quid egerint*. Sive etiam quid aliud, & serium egerint, posterius noscemus. I. FR. GRON. N. Heinsius (nam quid vetat & hunc in scenam istam mirabilem producere) ad Sil. Ital. XII. v. 64. *Puto utrumque ad aquas sedere*. *Sedere* enim verbum otii est, & confirmat Liv. XXVI. c. 16. Sidon. Paneg. Anthem. v. 512. Plura ibi affert, quæ cumulavit nuperrimus editor Cl. Drackenborchius: quibus alia multa addi possent, ut C. Nepot. Datam. c. 8. *Congredi, quam cum tantis copiis refugere, aut tam diu uno loco sedere*. Confer epist. 7. Sed fac *sedere* ex *sed* faciendum esse: quid fiet de reliquo, *quod egerint*? Igitur mea sententia aut *sedere* & *sed* ponendum est hoc modo: *Puto utrumque ad aquas sedere: sed quod egerint*, postea, scilicet, experiemur: aut *seu* ex quibusdam libris assumendum est, & ex conjectura simul Gronovii ita refingendus locus: *Puto utrumque ad aquas sedere, seu quid egerint*: hoc sensu: Puto eos otiosos ad aquas Baianas morari; nisi aliquid egerint & profecerint ad sanitatem; (nam *seu* hanc notionem importare, nemo dubitat, & mutatus modus amplius inauditus esse non poterit, cum semel atque iterum eum jam supra notavimus) aut denique, quod securissimum, nihil plane de vetustissima Medicæi Codicis lectione mutandum: quia *ad aquas* facile simul infert *sedere* vel *morari*, & *sed quod egerint* subaudito videbimus vel *experiemur* commodum sensum reddit. Est autem tale præcisum genus loquendi, quale ep. 22. quod librariis & interpretibus fraudi fuit: mihi tamen hæc contra institutum harum adnotationum tentata ingenii periclitatio vel sic apud te,

EPISTOLA XXV.

ARGUMENTUM.

Litteras a Tirone quam creberrimas M. Cicero filius requirit.

CICERO FIL. TIRONI S. P. D.

ETsi justa & idonea usus es excusatione de intermissione litterarum tuarum; tamen id ne sæpius facias, rogo. Nam etsi de repub. rumoribus & nunciis certior fio, & de sua in me voluntate semper ad me perscribit pater: tamen de quavis minima re scripta a te ad me epistola semper fuit gratissima. Quare cum in primis tuas desiderem litteras, noli committere, ut excusatione potius expleas officium scribendi, quam assiduitate epistolarum. Vale.

EPISTOLA XXVI.

ARGUMENTUM.

Tironem Q. Cicero & accusat, quia litteras non miserat, & rogat, ut omnino, etiam sine argumento, scribat.

Q. CI-

lector, non erit, si veniam accommodaveris loco, in quo omnes fere editores ingenium suum & libertatem conjiciendi emendandique experiri voluerunt. CORT.

Admoneantur) Ut nobis, quod Dolabella satisdato debet, dissolvant. CORRAD.

Appiam) Appiam Clodiam, quæ & ipsa debet; certe cum Cicerone nescio quid negotii habebat. Alii tamen legunt *Papiam*. IDEM.

EPISTOLA XXV.

EXcusatione potius) Illa scilicet: Es nihil esse quod scribat, a multis rumores perscribi, patrem suæ voluntatis filium certiorem reddere, quæ initio memorat. CORT.

Expleas officium) Satisfacias officio. Sueton. Rhetor. c. 6. Ovid. III. Amor. eleg. 1. Quinctil. Declam. XV. *Imple susceptæ accusationis horrorem*. Sequiori ætate frequentarunt hoc verbum etiam de personis, ut Chrysol. Serm. XVII. *implet judicium*. Io. Sarisber. VIII. c. 12. *agere & implere sordidum histrionem*, & infinita alia. IDEM.

Q. CICERO TIRONI SUO S. P. D.

VErberavi te cogitationis tacito dumtaxat convicio, quod fasciculus alter ad me jam sine tuis litteris perlatus est. Non potes effugere hujus culpæ pœnam. De patrono Marcus est adhibendus: isque diu & multis lucubrationibus commentata oratione: vide ut probare possit, te non peccasse. Plane te rogo, sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ: sic tu etiam si, quod scribas, non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quæsivisse videaris. Valde enim mi semper & vera, & dulcia tuis epistolis nunciantur. Ama nos, & vale.

EPISTOLA XXVII.

ARGUMENTUM.

Invehitur Q. Cicero in Consules designatos A. Hirtium, C. Pansam. Benevolentiam suam in Tironem significat.

Q. C. TIRONI SUO S. P. D.

MIrificam mihi verberationem cessationis epistola dedisti. Nam, quæ parcius frater perscripserat, verecundia

EPISTOLA XXVI.

COgitationis tacito convicio.) Atqui cogitationes omnino non loquuntur, cur igitur tacito? Ad explanationem elegantem, ut supra IV. ep. 5. *homo nata fuerat*, ubi vide, & II. ep. 4. *rerum domesticarum*. Sall. Cat. c. 7. Claudian. I. Rapt. v. 229. Sic sæpissime Poetæ: vide Barth. ad ea Claudiani I. Rapt. v. 74. *vanescit impetus inanis*. CORT.

Vide ut probare possit, te non peccasse) Legendum fortasse est: *vereor ut probare possit, te non peccasse*. LAMBIN. *Vide ut probare possit*) Id est, vix est ut probare possit. III. de Offic. 29. *Videant ne latebra quæratur periurio*, id est, vix est, ut non quæratur. Jo. F. GRON. Videris an possit, hoc est, *verendum est*, ut possit, *vix est*, ut possit. Sic XIV. ep. 14. *Videndum est, ut honeste vos esse possitis*. Quinctil. Declam. XVI. c. 1. ubi Cl. Burmannus mavult *verear*. CORT.

Lagenas . . . obsignabat) Moris enim erat arcas, scrinia, amphoras, aliaque utensilia obsignare. Martial. IX. epigr. 89: *Nunc signat annulus meus lagenam*. Plin. XXXIII. c. 1. Plura Lipsius ad Tacit. II. Annal. c. 2. Excurs. B. Taubman. in Plaut. Casin. A II. Sc. 1. v. 1. IDEM.

EPISTOLA XXVII.

MIrificam mihi verberationem) Hæc Q. Ciceronis epistola acerba & aspera est; sic autem illum solitum scri-

cundia videlicet, & properatione, ea tu sine assentatione, ut erant, ad me scripsisti, & maxime de consulibus designatis: quos ego penitus novi libidinum & languoris effeminatissimi animi plenos: qui nisi a gubernaculis recesserint, maximum ab universo naufragio periculum est. Incredibile est, quæ ego illos scio, oppositis Gallorum castris, in æstivis fecisse, quos ille latro, nisi aliquid firmius fuerit, societate vitiorum deliniet. Res est aut tribunitiis, aut privatis consiliis munienda. Nam isti duo vix sunt digni, quibus alteri Cæsenam, alteri Cossutianarum tabernarum

scribere Marcus ostendit, cum ei præciperet, quomodo se in Asia Procos. gerere deberet, in primisque hortaretur, ut se in scribendo maledictis abstineret. Invehitur in consules designatos, eosque magna verborum contumelia perstringit. Arbitror autem intelligere eum Hirtium ac Pansam: multis hoc conjecturis ductus credo; se autem conscium esse dicit multis illorum sceleribus ac libidinibus, quibus ita dediti erant, ut in maximis periculis vix sibi a luxuria temperare possent: ipse enim una cum illis in Gallia Imper. Cæsare militaverat. VICTOR. *Verber. cessationis: propter cessationem* in litteris scribendis. Sic certe durum genus dicendi aliquantum emollitur, dictum enim esset, ut *laus diligentiæ*, *prædicatio virtutis*, *pœna parricidii*, & similia. Sed proxima requirunt, ut mentem Quinti fuisse statuamus: *post cessationem meam* tristissima mihi scripsisti, & silentium meum mulctasti ingrata epistola. Sed sic etiam ad superiora recurrendum est, & propterea ita mirifice scripsit, quia exspectaverat vere convicium & verberationem *cessationis*, quam, cum Tiro tam tristia perscripsit, *mirificam* vocat. *Verberationem dare* dixit pro *verberare* epist. 26. & Petron. ad linguam transtulisse etiam videtur 132. *Manifestis matronæ contumeliis verberatæ*. Periphrasis autem ista defendi potest ex aliis probatis: *dare missionem*, *osculum*, *impetum*, *laudem*, & similibus. CORT.

De Coss. des.) Hirtio & Pansa. CORRAD.

Quos ego penitus novi) Quippe qui Cæsaris legatus in Gallia fui, & illos optime nosse potui. IDEM.

Libidinum & langu. effeminatissimi an.) Et post *languoris* si ponatur, facilior est sententia, sic tamen etiam ep.16. Nisi patrium casum pro auferendi posuit *animi per libidines & languorem effeminatissimi plenos*: qua vi casum habes XIII. epist. 5. XV. ep. 15. Prius tamen hic magis placet: propterea distinctionem posui post *languoris*, ut quasi addendum sit *præterea* vel aliud: quod & dicta ep.16. obtinet. CORT.

Incredibile est, quæ) Supple *Incredibile est eos fecisse, quæ ego scio fecisse*, Sic Plautus Bacchid. A. IV. Sc. IV. v.74. Plura ad ea Sall.Jug. c.100. *non diffidentia futuri, quæ imperasset*. IDEM.

Quos ille latro) Antonium intelligit, contra quem illi bellum gesturi erant; existimat enim Quintus Antonium, nisi copiis suis viribusque confisus fuerit, alia via illos aggressurum esse: & omnia facturum ut illos sibi placet, & in sententiam suam traducat: putat eum id facile consecuturum similitudine vitæ & societate vitiorum. VICTOR. *Latro*) M. Anton. CORRAD.

Quibus alteri Cesenam, alteri Cossutianarum tabernatum) Omnibus iniquus erat Quintus & nemini parcebat, dummodo iræ suæ ac furori obtemperaret. De ambobus illis Coss. Dess. pessime sentiebat: verumtamen quantum suspicari possumus, alterum illorum ignaviorem inertioremque altero existima-

rum fundamenta credas. Te, ut dixi, fero oculis. Ego vos a. d. III. Kalend. videbo, tuosque oculos, etiam si te veniens in medio foro videro, dissaviabor. Me ama. Vale.

stimabat; nam quem aliquid consilii habere putabat, vix dignum esse dicebat, cui Cæsena committeretur: alterum, qui nullius consilii esset, sed penitus infirmi ingenii, ac intemperantissimæ naturæ, vix recte posse judicabat curare fundamenta Cossutianarum tabernarum. Alii hunc locum procul dubio corruptum esse dixerunt: quibus non accedo: invenio enim vulgatam hanc lectionem nulla mendi suspicione in optimis & antiquissimis libris. Quæ mens eum impulerit, ut poneret *Cæsenam* pro ignobili, & obscuro Oppido, non facile enunciarim: neque æquum esse puto de hujuscemodi rebus quid sentias respondere cogi. Furore animi & magna asperitate verborum illum in epistolis semper usum, prodente M. Fratre liquido possumus affirmare. VICTOR. *Quibus alteri Cæsenam, &c.*) Locus obscurissimus, ab Aldo Manutio Paulli F. nuper accurate tractatus in libro de Orthographia, sed nondum purgatus. LAMBIN. *Cæsena* est Oppidum Senonum in Gallia Togata apud Rubiconem, quod etiamnum retinet antiquum nomen. Olim non fuisse tantum ostendit Procop. qui φρούριον vocat, *castellum*. GRÆV.

Fero oculis) Mirifice diligo, ut semper oculis meis oberres: vide XIV. ep. 2. Sic Philipp. VI. *Trebellium fert in oculis*: pro quo Terent. Adelph. A. IV. Sc. v. v. 67. *quam oculos, plus amare* dixit. CORT.

Tuosque oculos dissuaviabor) Valde osculabor. *Oculos* autem etiam osculis honoratos esse, docet Plautus Casin. A. I. Sc. I. v. 48. Xiphilin. LXI. p. 695. Plin. XI. c. XXXVII. p. 783. Adde Homer. Odyss. π. v. 15. Catull. Carm. IX. v. 9. XLVIII. v. I. & plura apud Kempium de Oscul. Diss. XVI. §. 2. seqq. Atque hæc sunt, quæ in summa temporis penuria in Ciceronem conferre potuimus. Frustra, an ob rem, aliorum esto judicium. IDEM.

M. T.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. T. CICERONIS
LIBROS XIII. XIV. XV. ET XVI.
EPISTOLARVM AD FAMILIARES.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN EPISTOLAM I. LIBRI XIII.

C. *Memmio*) Hic est ille Memmius, qui Pompeii Magni uxorem, missis per Niciam Grammaticum codicillis, de stupro appellavit. Suetonius in libro de Claris Grammat. Idem L.Lucullum, ex Bello Mithridatico redeuntem, tribunus pleb. die ad populum dicta, triumphare aliquandiu prohibuit. Plutarchus in Lucullo. Aliquanto post cum uxore M.Luculli, Lucii fratris, adulterium commisit: epist. 16. lib. I. ad Attic. Biennio post prætor de superioris anni actis ad Senatum retulit, ut C.Cæsar, qui superiore anno Consul fuerat, actorum suorum rationem reddere cogeretur: quæstionem cum exercere vellet in Vatinium, lege Licinia & Iulia accusatum, vi de tribunali deturbatus aufugit. Suetonius in Cæsare, Interrogatio in Vatinium. Post triennium, cum Appio & Ahenobarbo Coss. obtinendi consulatus gratia, turpi pactione coivit: idemque postea pactionem illam in senatu recitavit: epist. ult. lib. IV. ad Att. Eodem anno de ambitu accusatus, & damnatus, Athenas in exsilium profectus est; erant enim quædam liberæ civitates, in quibus tuto Romanis exsulibus liceret esse, Athenæ, Mitylenæ, Rhodus, Smyrna, Dyrrhachium, Massilia, & aliæ: epist.2. lib. III. ad Q.Fr. & Appianus lib.III. Memmia gens plebeja fuit: quod vel uno probatur argumento; quia Memmius hic, ad quem Cicero scribit, tribunus pl. fuit: non licuisse autem homini patricio tribunatum pl. gerere, satis constat. Hanc gentem a Mnestheo, Æneæ socio, originem duxisse, ait Servius lib. IV. Æn. in illo versu: *Mox Italus Mnestheus*.

Etsi non satis mihi constiterat) Simile principium epist. 27. lib. II. *Nondum satis constitui, &c.*

Athenis) Pridie quam Cicero in Ciliciam proficiscens Athenas venit, (ep. 10. lib. V. ad Att.) Memmius Mitylenas profectus erat: (ep. 10. ad eumdem) quod animi parum amici signum fuit: etsi perbelle quidem id Cicero dissimulat; at mihi causam quærenti, cur Ciceronis congressum vitaverit Memmius, venit in mentem suspicari, quia reum de ambitu Cicero defendere noluerit; nusquam enim significat, eum a se defensum: quin etiam epist. 2. lib. III. ad Q.Fr. bene sentire se ostendit de ejus accusatore Curtio, quem vocat bonum & eruditum adolescentem; pessime autem de ipso Memmio, cum subjungit, ejus absolutionem legum interitum fore.

Injuria) Quod injusto judicio damnatus esset. Ad Memmii gratiam hoc dicit; aliter enim eum sentire, perspicue cognoscitur ex iis verbis, quæ sunt in epist. 2. lib. III. ad Q. Fr.

Quod est modestiæ) In te exsule videndo.

Cum te non video) Quia fructu careo suavissimæ consuetudinis tuæ.

Quod esse potuit voluptatis) Quasi, non possit esse summa, ob amici calamitatem: sed, quæ potuit esse, major, si te vidissem, fuisset, quam est, cum te non video; nam etsi cum sapientiam tuam, qua fers injuriam, disjunctus a te cogito; voluptatem aliquam capio: tamen, si te vidissem, aliquanto majorem cepissem;

pissem; mansisset enim voluptatis eadem causa: & aliquid praeterea, cum te praesens praesentem viderem, tuoque sermone fruerer, accessisset.

Non dubitabo dare operam) Licet cum aliqua molestia te sim visurus: non dubitabo tamen operam dare, ut te videam.

Cum id satis commode facere potero) His verbis cum spes futuri temporis, tum excusatio praesentis affertur: nec abest in Memmium aculeus, qui, cuum audiret Ciceronis adventum appropinquare, discesserit.

Et, ut arbitror, confici potest) Non enim a te petam, quod impetrare non debeam.

Cum Patrone Epicureo) Hic videtur principem locum Athenis tenuisse in Epicurea familia: quod infra perspicuum fit ex iis verbis: *Honorem, officium, &c.*

Mihi omnia sunt) Vtrum hoc ad amicitiam, an ad mutua pertinet officia? ad amicitiam, opinor; nam officia potuit quidem Cicero in Patronem, & plurima, & maxima conferre: ille in Ciceronem, Graeculus homo, nullis opibus, nulla auctoritate, quae potuit? atque etiam id, quod sequitur: *Nisi quod in Philosophia vehementer ab eo dissentio*: pertinere magis ad amicitiam videtur. Idem intelligitur subjectis exemplis; nam epist. 10. lib. XV. *Si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligis me praecipue diligi*. Et ad Attic. epist. 17. lib. XII. *Mihi ante aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio*. Ad eumdem, ep. 15. lib. XV. *Bruto meo nullo loco deero: idque etiam si mihi cum illo nihil fuisset, facerem propter ejus singularem incredibilemque virtutem*. In Verr. lib. V. *Non, ut quisque maxime est, qui cum tibi aliquid sit, ita tui hujuscemodi criminis maxime eum pudet?*

Dissentio) Epist. 25. lib. IX. *Ejus opera utar in iis controversiis, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis*. Summum bonum Epicurus in voluptate, Academici, quorum sententiam Cicero probavit, in honesto & virtute collocarunt: quamquam Epicurus quoque voluptatem suam a virtute non disjunxit: vide epist. 17. lib. XV. & Laertium.

De suis commodis & praemiis) Quaenam haec sint commoda & praemia, divinare non licet: nisi si, quod inter Epicureos excelleret, commoda sibi aliqua & praemia postulavit: qua de re lite orta, Romam venit, & patrono in primis Cicerone, quae voluit, a senatu consecutus est.

A Phaedro) Principes Epicureae sectae, Ciceronis aetate, videntur fuisse, primum Phaedrus, post eum Philo, post Philonem Patro. Nobilis Philosophus in Philippica quinta *Phaedrus* vocatur.

Ante quam Philonem cognovimus) Philo enim eruditior: epist. 8. lib. IX. De Fin. lib. V. Sic autem Tusc. II. *Nostra memoria Philo, quem nos frequenter audivimus, instituit alio tempore rhetorum praecepta tradere, alio Philosophorum: ad quam nos consuetudinem a familiaribus nostris adducti in Tusculano, quod datum est temporis, in eo consumsimus.*

Cognovimus) Cognovit eum, Sulla & Pompeio Coss., ut in libro de Claris Orat.

Vt vir bonus) Non amplius, ut Philosophus: in quo notandum, virum bonum vocari, qui cum Epicuro sentiat: cum tamen dixerit, se ab eo vehementer in Philosophia dissentire; sed aliud est, in vita: aliud, in Philosophia dissentire.

Traditus mihi) In clientelam & fidem.

Vti te sibi placarem) Iratum Patroni Memmium fuisse, ad Atticum scripsit ep. 11. lib. V. cur fuerit iratus, neque in illa epistola, neque in hac ostendit; quin etiam scire se dissimulat, cum ait: *Si qua offensiuncula facta est animi tui, perversitate aliquorum*.

Nescio quid illud Epicuri parietinarum) Minimam rem a se peti ostendit, quo facilius impetret; & simul ut pudeat Memmium de parietinis illis laborare; minus autem est: *Nescio quid illud parietinarum*, quam si dixisset, *parietinas illas nescio quas*: epist. 14. lib. XV. *Quaeres fortasse, quid sit, quod ego hoc nescio quid gratulationis & honoris a senatu, tanti existimem*.

Aedificationis tuae consilium) Areopagitae, decreto facto, Memmio concesserant, ut aedes Epicuri veteres, quas Cicero ut in contentionem adduce-

duceret, *parietinas* vocavit, commodi sui gratia exædificare posset.

Idem ut ad te scriberem) Mitylenas.

Abjecisse illam ædificationem) Pro, abjecisse ædificandi consilium: infra: *Ædificationem deposuisse*. Et ad Attic. ep. 11. lib. V. *Memmius ædificandi consilium abjecerat*. Sic ep. 15. lib. IX. *Domum Sullanam non abjeci*; pro, consilium emendi domum Sullanam non abjeci.

Si jam plane tua nihil interest) Siquidem ædificandi consilium abjecisti.

Si qua offensiuncula facta est animi tui) Si qua re leviter offensus est animus tuus; nam si graviter esset offensus, petere a te non auderem, ut ad lenitatem te dares.

Perversitate) Qui, contra quam debet, agit, perversus est; pervertit enim ordinem rerum: & actio ipsa perversitas; nec tamen sequitur, ut, qui perverse agit, idem improbe agat; nam perversitas non semper cum peccandi voluntate conjungitur: at qui improbe, idem perverse: ep. 7. lib. I. *Est incredibilis hominum perversitas*; (*graviore enim verbo uti non libet*) *qui nos, quos favendo in communi causa retinere potuerunt, invidendo abalienaverunt*.

Aliquorum) Removet culpam a Patrone, vel certe minuit, quia eam cum aliis communicat.

Gentem illam) Non omnes Græcos, verum Epicureos tantum; dixit autem hoc non sine contemtione quadam.

Des te ad lenitatem) Iracundiam deponas.

Vel propter tuam summam humanitatem, vel etiam honoris mei causa) Hoc tribue vel humanitati tuæ, quæ te non patitur offensiore cuiquam esse animo; vel honori meo, qui hoc a te peto, ut aliquid apud te, atque adeo multum intercessio mea valere videatur.

Nisi tamen) Pro, *Sed*, *tamen*; ut epist. 73. *De re nihil possum judicare: nisi illud mihi certe persuadeo, te, talem virum, nihil temere fecisse*. Et ad Atticum epist. 14. lib. V. epist. 6. 23. libro undecimo. Terentius in Andr. *Quamobrem? nescio: nisi mihi deos satis scio fuisse iratos, qui auscultaverim*.

Laborare sine causa) Cur enim labores de parietinis illis?

Causam) Qua adducitur, ut tantopere contendat.

Honorem) Quod ibi habitaverit Epicurus.

Officium) Suum, debitum Epicuri ædibus.

Testamentorum jus) Tuenda enim testamentorum jura sunt; hoc dicit, quia suos hortos Epicurus, in quibus habitare ac docere solitus erat, amico suo Metrodoro moriens testamento reliquerit, eo jure, ut post ejus obitum ad alios Epicureæ sectæ principes possessio perveniret. Laertius.

Epicuri auctoritatem) Quæ minuitur, si, quibus in locis habitavit, ea deserantur.

Phædri obtestationem) Obtestatus erat Phædrus, cum viveret, ne hortos Epicuri negligerent, neve occupari a quoquam sinerent.

Sedes, domicilium) *Sedes* possessionem antiquam, *domicilium* habitationem significat: potest autem & sedes sine domicilio esse, & domicilium sine sede: conjunguntur hic, & infra epist. 4.

Vestigia summorum hominum) Solum ipsum, vestigiis impressum maximorum hominum Epicureorum.

Vitam) Ex Epicuri traductam instituto.

Rationemque) Sententiam.

Derideamus licet) Cum vero non derideamus; nam nec illi, nec ceteris, quos illa delectant, valde inimici sumus: hanc ejus contentionem reprehendere non debemus.

Non valde inimici sumus) Si dixisset, *Minime inimici sumus*, quod erat verius, Epicuri Philosophiam probare visus esset: in quo discreparet a se ipso; dixit enim supra: *Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt; nisi quod in Philosophia vehementer ab eo dissentio*. Quare Memmio gratificans, *Non valde*, inquit, *inimici sumus*. Tantum porro abest, ut Cicero Patroni & ceteris, quos Epicuri Philosophia delectabat, valde inimicus esset, ut eos etiam valde diligeret; de Patrone ipso dixit jam: *Me habuit suorum defensorum & amicorum fere principem*. Atticum, Pætum, Cassium, Pansam Ciceroni carissimos & jucundissimos fuis-

fuisse, scriptæ ad eos epistolæ demonstrant: qui omnes qui idem, quod Epicurus, de voluptate senserint, negari non potest: de Pæto satis plane cognoscitur ex epist. 25. lib. IX. de Cassio ex ep. 16. 17. 19. lib. XV. & ex Plutarchi Bruto: de Pansa ex epist. 12. lib. VII. epist. 19. lib. XV. ad Att. infra pluribus verbis.

Nescio, an ignoscendum sit huic) Fortasse ignoscendum est huic. Ne hic quidem audet dicere: *Ignoscendum est huic*; ne vitam hominis rationemque probare videatur.

Non quo sit ex istis) Hoc dicit, ut Attico petenti auctoritatem augeat; non quod is revera Epicurus non esset; nam epist. 19. lib. V. ad eum, & lib. I. de Leg. condiscipulos ejus vocat Epicureos.

Omni liberali doctrina) Doctrinas adimit Epicuro lib. I. de Fin. *Vellem* (inquit) *doctrinis fuisset instructior, est enim non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur*.

Liberali). Quæ decet hominem liberaliter educatum.

Politissimus) *Politus*, *Expolitus*, *Perpolitus*, dixit Cicero: *Politus e schola*, in Pisonem: *Politus artibus*, lib. I. de Fin. *Expolitus vita atque cultu*, in libro de Claris Oratoribus: *Perpolitur non solum Philosophia, sed etiam litteris*, in Pisonem. Varro lib. I. de Re Rust. *Politus omnibus virtutibus*.

Nutu) Epist. 22. lib. XI. *Nutus tuus potest eum incolumem in civitate retinere*.

Tua voluntate) Invito enim Memmio impetrari non poterat ab Areopagitis, ut decretum illud tollerent, Policharmo prætore factum: ep. 11. lib. V. ad Att.

Ὑπομνηματισμὸν) Ad rei memoriam litteris mandatum.

Redeo ad prima) Sic epist. 10. lib. I. ad Attic. *Vt ad prima illa redeam, nihil ego illa impudentius, astutius, lentius vidi*.

Sic tamen habeto) Indicat suam cupiditatem.

Quod rogo) Plus est, quam peto.

EPISTOLA II

C. *Aviano Evandro*) Illud primum constat, libertum hunc esse M. Æmilii, qui post nominatur; deinde, cum liberti retinere soleant servile nomen, patere arbitror, Evandro nomen huic fuisse, cum serviret; Aviani autem cognomen ab eo, qui manumisit, accepisse; non enim iis assentior, qui, *Avianio*, legunt, opinati Avianiam gentem Romæ fuisse; nam liberti eodem, quo patroni nomine utebantur: patrono autem Evandri, Æmilio nomen fuit, cognomen Aviano: itaque epist. 21. cum ejus libertum C. Avianum Hammonium Cicero commendare vellet, sic orsus est: *M. Æmilius Avianus ab ineunte adolescentia me observavit*. Et epist. 27. *C. Avianus Hammonius incredibiles mihi gratias per litteras egit & suo, & Æmilii Aviani, patroni sui, nomine*. Quod si opinionem suam veteres libri auctoritate defenderint: nos contra non uno, aut altero, sed pluribus utemur testibus antiquis libris: quibus ipsa ratio maxime suffragatur; nam si patronus M. Æmilius Avianus vocatur; quod in dubium ne immutatores quidem isti vocant: qui potest ejus libertus *Avianius* dici potius, quam *Avianus*? Id me magis aliquanto movet, quod primum hujus Evandri nomen est *Caius*, non, ut ejus patroni, *Marcus*: & quod ejusdem Æmilii libertus Hammonius item *Caius*, non *Marcus*, appellatur: ut ex duabus epistolis 11. & 27. cognoscitur. Expediemus hunc fortasse nodum, si putabimus, Evandrum & Hammonium duobus fratribus C. & M. Æmiliis Avianis serviisse, manumissosque prænomen a fratre majore Caio accepisse. Nec vero de duobus fratribus Avianis incerta & inanis conjectura est; nam epistola ultima hujus libri, facta patris eorum C. Aviani Flacci mentione, subjunguntur hæc: *C. Avianus in Sicilia est*: *Marcus est nobiscum*. Licet etiam opinari, manumissos Evandrum & Hammonium non ab horum fratrum altero, sed ab utriusque patre C. Aviano Flacco, & ab eo prænomen accepisse; nam, quo tempore in Ciliciam Cicero profectus est, vivebat Flaccus: periit autem aliquot post annis, Allieno Siciliam obtinente, ut ex epist. ult. hujus libri colligitur. Nam quod iidem in ceteris quoque, quæ infra leguntur, epistolis 21. 27. 35. 79. atque etiam

etiam lib. VII. epist. 23. *Aviani* nomen in *Avianium* mutarunt, eadem ratione refelluntur: ut omittam veterum librorum, quibus quidem ego utor, testimonium: quod illi tamen contemnunt, nisi si cum suo singulari libro consentiat: nos tamen, contemni non debere, sæpe sumus experti: contra, in illo, quem se unum sequi profitentur, mendosa esse quamplurima non ignoramus.

Sacrario) Parte ædium urbanarum exsulis C. Memmii; nam *sacraria* non modo in sacris ædibus, verum in profanis etiam esse poterant, loca quædam consecrata, vel ubi sacræ res custodirentur, vel ubi sacra gentilicia fierent. In Verrem: *Erat apud Neium sacrarium, cum magna dignitate in ædibus a majoribus traditum*. Suetonius in Augusto: *Natus est in regione Palatina, ad capita bubula, ubi nunc sacrarium habetur, aliquanto post, quam excessit, constitutum; nam cum C. Lætorius, adolescens patricii generis, in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem, atque natales, hoc quoque patribus conscriptis allegaret, esse se possessorem, ac velut æditimum soli, quod primum divus Augustus nascens attigisset, peteretque donari quasi proprio suo ac peculiari Deo; decretum est, ut ea pars domus consecraretur*. In Tiberio: *Codicillos e sacrario Augusti protulit*. Eam igitur suarum ædium partem locaverat, ante quam ab urbe discederet, Memmius Evandro statuario.

Subitum est) Nimis angusta præfinita dies facit, ut subitum sit, incommodum ob temporis brevitatem; nam neque ante Kal. Quint. potest ea, quæ instituit, opera perficere: neque suo commodo, nisi prius ea perficiat, remigrare. Eodem modo Plautus in Aul. *Verum ecastor non potest; subitum est nimis*.

Remigrare) E Memmii sacrario in veterem domum: vel, *Remigrare*, dictum est, non ob reditum in pristinam domum, sed ob discessum, in quamcumque iturus esset.

In Kalend. Quinct.) Præfinita Evandro die, qua e sacrario migraret. Kalendæ Quintiles in Vrbe primus erat locationum dies. Ad Q. Fr. epist. 3. lib. II. *Post Kal. Quint. in tuam domum commigrabis*: h. e. finito locationis tempore demigrantibus iis, quibus eas locaveras. Suetonius in Tiberio: *Senatori latum clavum ademit, quem cognovisset sub Kalend. Iulii demigrasse in hortos, quo vilius post eam diem ædes in urbe conduceret*.

EPISTOLA III.

VNum ex meis intimis) Ducta commendatio ab officio ejus, qui commendat, & a laude ejus, qui commendatur; debet enim Cicero, quantum in ipso est, eum fovere ac juvare, qui sit ex intimis amicis, ipsumque vehementer observet & colat: debet autem eo magis quod ille doctrina, humanitate, aliisque rebus, quibus amor excitatur, excellit.

Tuaque amicitia dignissimum) Summa laus: & hoc sufficere videbatur ad Fusii commendationem: sed nominatim addere eruditionem & humanitatem, non alienum fuit.

Summo officio) Cum amicos, & de se bene meritos, omni genere officii colat.

EPISTOLA IV.

LEgato) Præposito a Cæsare agris dividundis.

Proprætori) Auctoritatem & potestatem Valerio Cæsar auxit, addito Proprætoris nomine.

Magno enim meo beneficio affecti) Quod legem a tribunis pl. promulgatam, de agris eorum dividendis, perferri consul non sum passus; infra.

Nec in honoribus meis, nec in laboribus umquam defuerunt) Auge copiam e loco simili epist. 29. *In omni genere & honorum & laborum meorum & animus, & opera, & auctoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præsto fuit, & paruit & temporibus, & fortunæ meæ*. Nec alienum illud epist. 8. lib. XV. *Vel defensus tristibus temporibus, vel ornatus secundis*. Huc etiam illud pertinet epistola nona ejusdem libri: *Cujus erga me singularem benevolentiam vel in labore meo, vel in honore perspexi*.

Nulla causa) Cur eos commendarem.

Monerem te) Misericordia commotus & æquitate.

At jus obtinendum) Ne agri eorum dividantur.

Sullani temporis) Cum L Sulla dictator agros eorum, qui Marianis partibus favissent, publicare vellet.

Tribuni pl.) Praesertim Rullus, in quem orationes exstant.

Quibus fortuna pepercisset) Tempore Sullano.

In lege agraria) Quam de Agro Campano & Stellate dividundo tulit. Suetonius, & alii.

Oppidum) Ne municipes vectigal umquam penderent.

Ejus) Caesaris.

Summa cum tua dignitate) Quia summo loco apud Caesarem fuerat.

Illi integrum omnem caussam reservare) Non attingere agros Volaterranorum, sed eos voluntati & judicio Caesaris relinquere.

Tam grave, tam firmum, tam honestum) Grave, moribus; firmum, opibus; honestum, splendore municipum.

Domicilia, sedes) Vide quae diximus epist. 1.

A diis immortalibus) Sullanis temporibus.

A praestantissimis in nostra rep. civibus) C. Caesarem, de quo proxime locutus est, significat; fortasse etiam seipsum, qui Volaterranos in consulatu suo defenderat.

Pro meis pristinis opibus) Amissis bello civili, Caesare victore.

Certamen) Epist. 6. lib. II. *Omni non modo contentione, sed etiam dimicatione.*

Isti negotio) Agrorum divisioni.

EPISTOLA V.

QVod tu optime existimare potes) Siquidem me nosti, quam faveam dignitati tuae.

Non committo) Captat benevolentiam a modestia sua.

Sullani temporis) Cum omnes ei fortunas ademit Sulla.

Tueri vix potest) Nemo enim senator esse poterat, nisi DCCC millia possideret. Suetonius in Augusto.

Ne caussa potius apud te valuisse videar, quam gratia) Notetur locus; nam in commendando, si de ipsa re loquimur, possumus hanc sententiam, qua nunc Cicero utitur, subjungere; sin ordimur a commemoratione amicitiae, quae nobis cum eo, ad quem scribimus, intercedit, convertere sententiam licet, hoc modo: *Sed mihi minus libet multa de nostra amicitia scribere; ne gratia potius apud te valuisse videar, quam caussa.*

EPISTOLA VI.

PRocos.) Supra propraetor est dictus: sed tunc praepositus erat a Caesare agris dividundis: nunc Africam administrat, & proconsul vocatur, licet consulatum non gesserit: vide quae diximus epist. 1. lib. I.

Cum te prosequerer paludatum) Paludati ibant in provincias: epist. 17. lib. XV.

Societatis) Publicanorum, qui Africae vectigalia exigebant: erant autem singularum provinciarum societates: & Bithynica nominatur epist. 9.

Notam) Inter Ciceronem & Valerium in Africam proficiscentem convenerat, ut, quibus litteris ei Cicero aliquem vere, atque ex intimo animi sui sensu, non ex aliorum voluntate, commendaret, signum quoddam apponeret, ut graves commendationes a levibus distinguerentur.

Valeant) Cum animadvertuntur ab aliis.

Vellem expertus esses) Ergo Valerius paullo ante in provinciam venerat.

Sed tamen suspicor ipsum hominem) Primum posuit liberalitatis fructum: *Quae quantum valeant in provincia, vellem expertus esses*: alterum subjungit: *Ipsum tamen hominem suspicor amicitia tua perdignum esse.*

Id satis esse debebat) Est enim amico credendum.

Deligendis) Sic opinor melius, quam *Diligendis*; nam in delectu judicium ostenditur: porro, quam parum differat *Deligendis* a *Diligendis*, qui libros veteres majusculis descriptos litteris norunt, facile perspiciunt.

EPISTOLA VII.

CLuvio) Puteolano: epist. 56.

In Galliam) Cisalpinam.

De agro vectigali) Vnde fructum capit Atellanum municipium.

Qui esset in Gallia) Cum reliqui Atella-

tellanorum agri essent in Campania.

Meum officium) Atellanis a me debitum.

Negotium) Agrorum dividendorum.

Et libenter mea causa facturum esse arbitror) Ep. 1. eadem sententia.

Maximis oneribus) A Cæsare dominante impositis.

Homines, quos nolo) Vel Cæsarem, vel Cæsarianum aliquem significat.

Et diligentia municipii, & æquitatis, & voluntatis etiam erga se) Tribus rebus Atellanorum causa nititur, dignitate municipii, æquitate rei, studio erga illum, apud quem agetur.

Aliqua necessitudine) Erant fortasse in Cluvii clientela.

Neque honorum, neque laborum meorum) Epist. 4. eadem sententia diverse enunciata.

Pro nostra summa conjunctione, proque tua in me perpetua & maxima benevolentia) Initio epistolæ dixit: *Pro nostra necessitudine, tuaque summa in me observantia.*

Quando a te data sit opera) Ut voluntas pro re sit.

EPISTOLA VIII.

CUm & mihi conscius essem) Munitur ad impetrandum via, mutuæ voluntatis & benevolentiæ commemoratione.

Non dubitavi a te petere, quod mihi petendum esset) Similis locus epist. 6. lib. II. *Non dubitavi id a te per litteras petere, quod mihi omnium esset maximum, maximeque necessarium.*

P. Sextium) Qui tribunus pl. Ciceronem ab exsilio reduxit.

Albini) Postumiæ gentis: ut argenteus nummus indicat optimus & clarissimi viri, Andreæ Lauretani.

Cum ex filia natus est L. Sextius) In oratione pro Sextio: *Duxit honestissimi & spectatissimi viri C. Albini filiam; ex qua hic est filius, & nupta jam filia.* In eadem oratione prænomen Sextii pueri est *Publius*, idem quod patris, non *Lucius*. Antea in omnibus impressis, *cujus ex familia*, *&c.* legebatur. Primi nos locum emendavimus.

In æstimationem) Æstimata lege Cæsaris, quanti fuerant ante civile bellum: vide, quæ diximus epist. 16. lib. IX.

Accepit) A Laberio debitore.

A Cæsare) In ea auctione, quam de bonis Plotii, Pompeianas partes secuti, Cæsar fieri jussit.

E rep.) Ex ea, quæ tum erat, Cæsare dominante.

Dividi) Militibus Cæsaris.

Sullanis) Cum tamen Cæsar Sullanam sectam oderit.

Quale sit) Tale enim est, ut, si dividantur Albini prædia, quæ Cæsar vendidit, in reliquis ejus venditionibus auctoritas nulla futura videatur.

Magis ea animo) Dixit jam, *Majore studio*: sed hoc subjunxit, quia potest aliquid peti maximo studio, nec tamen ex animo.

Non modo lætitia, sed etiam quodam modo gloria) Non dissimile illud ep. 6. lib. II. *Statui me in eo non officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem debere quærere.*

Homini maxime necessario) Albino socero suo.

Te vehementer etiam atque etiam rogo) Paullo ante: *Ego te plane rogo, atque ita, ut majore studio, justiore de causa, magis ex animo rogare nihil possim.*

Intelliges) Aliquando ex officiis in te meis.

IDEM IN NOTIS IUVENILIBUS.

Cujus ex filia) Antea, *cujus ex familia*, in omnibus impressis legebatur. Nos septimum abhinc annum, *filia*, correximus ex oratione pro P. Sextio, in qua C. Albini filiam P. Sextio nupsisse traditur. Hunc autem locum, aliaque item multa a nobis restituta, & jam impressa qui sibi postea vindicarint video fuisse; quam ego laudem illis vel ultro concesserim, modo ne iidem nostrum librum tertio quoque verbo reprehenderent, & quod ex illo sumserunt, id se vidisse dissimularent, quodque magis doleo, Germanis acceptum referre mallent. Sed quoniam ab hoc concertationis genere natura semper, nunc etiam ratione abhorreo: de Germanis nihil dicam, qui, ut veterum libros ediderint multos, & optime de studiosis meriti sint, certe patri meo numquam in hoc genere videbuntur comparandi: hunc autem, qui nos occasione un-

decumque arrepta perstringere conatur, ut etiam varias lectiones, quas olim in calcem operis rejeceram, tamquam a me probatas reprehendat; etsi de nobis male existimet, amabimus tamen ut hominem diligentem, & doctum, atque etiam, si quid opis antiquorum scriptis, quæ depravata leguntur, attulerit, ex instituto nostro gratias agemus.

P. VICTORIVS.

Cujus ex filia) Si aliqua in re, quæ inscitiam litterarum, ingeniique tarditatem argueret, reprehenderer, æquo animo paterer, vel potius gratias agerem: nihil enim tam cupio, quam doceri, & de sententiis illis, quibus antea multum tribuerim, si falsæ sunt, depelli. Cum autem in rebus, quæ ad vitam, moresque pertinent injuste accusor, ferre non possum: non sum adeo angusto, & jejuno animo, Paule, ut mihi aliorum industria inventas res vindicem. Ipse potius si quando aliquid labore, ac diligentia mea e tenebris eruo, aliis deferre consuevi, cujus rei mihi multi testes esse possunt: neque enim in obscuris locis viximus, & multorum etiam doctorum, clarorumque virorum amicitia floremus. Non video, cur quæ a te, ut ais, excogitata sunt, mihi quoque in mentem venire non potuerint. Ipse sane arbitror si quid eruditum, & acutum umquam inveni, ab aliis prius id, meliusque excogitatum fuisse. Quod me cupide dicis librum tuum reprehendere, falleris: numquam enim istius laudis magnopere avidus fui, neque vero esse debui. Odiosum genus hoc est scribendi, mi Paule, nec potest ita tractari, ut non voluntas alicujus offendatur: neque ego hoc non videbam. Sed mos gerendus fuit amicis. Puto etiam me apud alios offendisse, postquam tu, contra quem dicere numquam cogitavi, tam graviter tibi læsus videris. Falsum etiam illud est, me de te male existimasse, quem ne notum quidem habebam: quod tua sane culpa factum non est: omnia enim fecisti, ut ab omnibus cognoscaris: neque ego tam negligens fui, ut non, edito tuo libro, de doctrina, & ingenio tuo per- cunctatus sim: culpa illius fuit, qui interrogatus ea mihi confirmavit, quæ ipse falso credebat. Postquam te cognovi, ac de ingenio, & eruditione tua multa a melioribus auctoribus accepi, de te mehercule semper bene existimavi, & mirifice amare cœpi, cujus rei argumentum esse potest, quod cum audissem te Ciceronis epistolarum libros imprimere, dixi me libenter tibi, si id scissem, nonnulla traditurum fuisse, quæ videbar mihi non inulse post primam illam editionem animadvertisse: quod statim tibi per viros honestissimos, amicissimosque tuos significatum est. Et nunc quoque a te provocatus, ac scriptis lacessitus, non possum tibi non amicus esse, semperque ero, dum te tanto studio scripta antiquorum multis modis depravata castigare, & castigata ad communem fructum edere cognovero, quamvis mihi placatus non sis. Quod si animum tuum, tam infensum mihi, aut levi, aut nulla de causa scissem, operam dedissem, ut tibi satisfacerem: neque enim mihi umquam cum litteratis & ingeniosis hominibus inimicitias esse gerendas putavi: sed eos & amandos, & omni officio colendos perpetuo duxi. Nam quod quereris me nonnulla potius Germanis accepta referre, hoc me penitus omni culpa liberat, docetque, numquam dissimulasse, a quibus adjutus sim. Cur enim potius Germanis, quam Italis hominibus? qui mecum nulla re, neque publice, neque privatim conjuncti sunt. Amo sane nationem illam, ut non minus belli artibus, quam pacis studiis claram: nec tamen Italos homines odio prosequi debeo. Omnibus denique me magno beneficio obstrictum fatebor, quicumque hanc partem litterarum impigre adjuverint. Hic potissimum purgare nos voluimus, quia hoc in loco acerbissime nos accusaveras.

EPISTOLA IX.

VT *potui diligentissime*) Quam diligentissime potui.

Socios Bithyniæ) Publicani erant ex equestri ordine: itaque ep. 65. *homines amplissimi* vocantur: ii dividebantur in plures societates, quæ a pro-

vinciis, quarum vectigalia exigenda susceperant, appellabantur.

Cupere ei societati commodare) Cupere, quæ ad ejus societatis commodum pertinerent. *Incommodare*, contrarium: unde apud Terentium, in Andr. *Non tam ut obsequatur gnato, quam mihi ut incommodet*.

Non dubitavi hæc ad te scribere) Non recusavi, tergiversatus non sum, facile sum adductus, ut hæc ad te scriberem.

Ordine ipso, hominum genere) Et quod est ex equestri ordine, & quod ex hominibus amplissimis constat.

Ex ceteris societatibus) Cùm essent multæ publicanorum societates, ex omnibus Bithynica constabat.

Præcipuum officium) Quia magister est in ea societate.

Men.) Menenia tribu; vide, quæ de tribubus diximus lib. 8.

Magister) Qui ceteris sociis præscribit atque imperat, quod agant.

Qui est in operis ejus societatis) Operæ modo sunt homines mercede conducti, ut epist. 11. lib. I. ad Att. *Operæ comparantur*. Et epist. 12. ad eumdem, ibidem: *Operæ Clodianæ pontes occuparant*. Modo sunt actiones ipsæ, ut hic, & epist. 65.

Ejus operæ) Ea, quæ facit.

Quæstor) Hinc licet intelligere, quæstorem Bithyniæ Crassipedem fuisse.

Non sum ignarus) Quæstor enim in Sicilia fuerat Cicero.

EPISTOLA X.

M *Varro*) Romanorum doctissimus, cujus hodie libri exstant de Re Rust. & de Lingua Latina; intercidere plurimi.

Liberorum necessitudini) Epist. 26. & in Divinatione, & in Orat. pro Plancio.

Cum primum in forum venit) Toga virili sumta, quæ sumebatur ineunte ætatis anno XVII. in forum ibant, ut oratores audirent, eosque discerent imitari.

Ut se corroboravit) Ut ad virilem ætatem accessit. Sic in Orat. pro Cœlio: *Cum is jam se corroboravisset, ac vir inter viros esset*. Et in eadem: *Non modo hæc ætas, sed etiam corroborata*, id est, non modo adolescentes, sed etiam viri. Et supra ejusdem orationis initio, eos, qui non, ut Cœlii accusator, adolescentes essent, sed viri, *robustiores* appellavit. Alibi etiam in hanc sententiam eodem verbo usus est. Inde *Robusta ætas*.

In hoc studio nostro) Eloquentiæ, non Philosophiæ.

Etiam nunc) Licet afflicta rep. qua stante delectabamur multo magis.

Delectamur) Non agendis in foro causis, sed privatis exercitationibus, de quibus epist. 33. lib. VII. & epistola decima octava libro nono.

Nec sine industria) Nec ita, ut langueret in otio, domestico & privato studio deditus, sed causas in foro ageret; industria enim actione cognoscitur.

Mature) Cito: quod auxit amorem meum.

Sed tamen) Quamquam maximis damnis affectus sit: ea tamen causa fecit amicitiam nostram firmiorem.

Sed tamen causa communis ordinis) Plerique veteres libri, *sed tamen communis ordinis*: quod mendosum esse constat: itaque legendum putabat Ubaldinus Bandinellus, quod item aliis placere video: *sed tamen communio ordinis*. Equidem nec improbo, quod placet doctis viris; nec tamen statuo, sit ne hoc melius, quam illud, *Causa communis ordinis*. Quod mihi quidem ideo magis placet, quia sumtum est ex quibusdam antiquis libris; sunt, qui opinentur, *Communis*, recte legi, & subaudiri *societas*: ut publicanorum omnium tota societas intelligatur, id mihi videtur durius, & arcessitum nimis longe.

In utrisque subselliis) In publicis, privatisque causis, id est, in maioribus, & minoribus. Sunt enim subselliorum, si habetur hominum ratio, tria genera; si causarum, duo; nam & judices, & patroni, & accusatores in subselliis considebant: causæ vero vel de publicis rebus erant, vel de privatis. Quod autem Pedianus majores causas tribunalibus & sellis curulibus, minores autem subselliis tribuit: magistratus, judiciis propositos, non judices, distinguit; nam judices, sive cum tribunis pl., triumviris, quæstoribus, ædilibus pleb.,

sive cum prætoribus, & ædilibus cur. judicarent, in subselliis considebant: magistratus autem vel in subselliis, ut ii, qui curules non erant, quos proxime nominavi, vel in sellis curulibus, ut ædilis cur. & prætor: & ædilis quidem sine tribunali, prætor autem cum tribunali. Hæc videtur esse Pediani sententia, cum ait: *Alii, Alienum, non nomen proprium putant esse, sed alienum & alterius judicii, & non ex auditorio prætoris majorumque causarum, sed a subselliis, hoc est, non a tribunalibus: sunt enim subsellia tribunorum, triumvirorum, quæstorum, & hujuscemodi minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis considebant.* Dixit igitur Cicero, versatum esse Varronem in utrisque subselliis, id est, egisse causas & apud eos judices, qui simul cum magistratu non curuli, parvis de rebus, & apud eos, qui cum curuli de majoribus cognoscerent. Hic addam quasi παρεργον, tertium quoddam genus judicum fuisse, qui stantes judicarent: de quibus Cicero in Bruto: *Si anguste*, inquit, *& exiliter dicere, est Atticorum; sint sane Attici, sed in Comitium veniant, ad stantem judicem dicant: subsellia grandiorem & pleniorem vocem desiderant.* Hos opinor levi aliqua de re, a magistratu mandata, separatim judicasse: nam stantem judicasse vel triumvirum, vel alium minorem magistratum, credibile non est: & Pedianus triumvirum sedisse ostendit; & idem Cicero confirmat, cum ait in Cluentiana: *Hominem ante pedes Q. Manilii, qui tum erat triumvir, constituunt.*

Petitioni) Petiit, & adeptus est triumviratum, & tribunatum pl. ut ait Gellius lib. XIII. cap. 12. sed utrum tribunatum ante quæsturam, id est, ante hanc epistolam, eo quæstore scriptam, an post, incertum videtur: scimus, post quæsturam peti solitum esse tribunatum: idque declarat, ut alia omittam argumenta, epist. ult. lib. II. verum, petiisse Varronem, bonum virum, bonumque civem, tribunatum post hoc tempus, id est post amissam libertatem, cum nihil jure, nihil more gereretur, ad unius voluntatem omnia referrentur, mihi quidem non sit verisimile: rursus, quis credat eum, gesto jam tribunatu, quæsturam potius, quam ædilitatem cur. aut etiam, ædilitate relicta, præturam petere voluisse? omnino, ut in re difficili aliquid statuam, si post quæsturam Varro tribunatum gessit, ut magistratuum ordo postulat, gessisse Augusto principe, libentius crediderim, quam C. Cæsare dominante.

Honestissimum) Non omnis laborum fructus honestus; sed honor fructus honestissimus. Pro lege Manilia: *Meus labor in privatorum periculis caste integreque versatus, ex vestro judicio fructum est amplissimum consecutus.*

Laboris sui) Quem suscepit, cum versaretur in utrisque subselliis.

His autem temporibus) Commutata rep.

Brundusio) Quo se post pugnam Pharsalicam Cicero contulit: epist. 27. l. XI. & epist. 6. ad Atticum lib. XI.

Mandatis) Vt ageret cum Cæsare, ut in Italia, atque etiam in urbe, si vellet, Ciceroni liceret esse.

Ad Cesarem) Bellum in Ægypto gerentem.

Renunciando) Mihi.

Si prius causam, cur eum tantopere diligerem, tibi exposuissem) Idem loquendi genus epist. 5. lib. 4. *Si hoc unum proposuero, finem faciam.* Vide, quæ ibi diximus.

Vsui) Vtilitati: epist. 16. *Multis in rebus mihi magno usui fuit & fides ejus, & prudentia*: epist. 1. lib. I. ad Att. *Fuit & mihi, & Quinto fratri magno usui in nostris petitionibus.* Terentius in Heaut. *Mihi sic est usus.* In Hec. *Si esset ex usu nostro hoc matrimonium.* Interdum valet, *consuetudo*, ut epist. 1. lib. IX. *Eorum usum dimiseram.* Interdum peritia, exercitatione parta, ut ep. 16. *Valet ingenio, habet usum.*

Modestum prudentem a cupiditate omni remotissimum, magni laboris, summæ industriæ) Hæc in quæstore requiruntur, præsertim illud, ut sit ab omni cupiditate remotissimus: multi enim pecunias in provincia contra leges capiebant.

Fores aperiantur) Pergit in translatione, quia dixerat, *Aditus*. Non diffi-

dissimilis illa translatio apud Terentium, in Heaut. *Quantam fenestram ad nequitiam pat feceris*.

Et ipse speravit, nec ego dubitarim) Quemadmodum, *Nec*, *Et*, dicitur, ut ep. 1. lib. I. *Nec miror, & gaudeo*: sic contra, *Et*, *Nec*, ut in hoc loco, & Phil. XI. *Patebat via & certa, neque longa*. Et in eadem, infra: *Mihi quidem & ille pervenisse videtur, quoad progredi potuit feri hominis amentia; neque Antonius ullius supplicii adhibendi, si potestatem habeat, ullam partem est relicturus*.

EPISTOLA XI.

QVia semper animadverti) Tollit rogandi necessitatem, explicata commendandi causa.

Sacra) Publica.

Sarta tecta ædium sacrarum locorumque communium) Quæ cum & conservanda maxime sint, nec sine vectigalibus conservari queant, summo studio providendum est, ne qua res aut impediat agrorum vectigalium fructus, aut imminuat.

In provincia Gallia) Vt Atellani epist. 7.

Is enim magistratus) Ædilitas.

Nec ullus alius) In aliis enim municipiis vel dictator creari solebat, ut Lanuvii; (orat. pro Milone) vel consul, ut Tusculi; vel duumvir, ut Corfinii; (Cæsar lib. I. bel. civ.) vel quatuorvir, ut Neapoli, & Cumis, (epist. 11. lib. X. ad Att. & in Cluentiana) vel quæstor, ut Sidicini, & Ferenti: (Gellius lib. X. cap. 3.) Spartianus in Hadriano: *Per oppida Latina dictator, ædilis, duumvir fieri voluit*.

EPISTOLA XII.

QVocum mihi omnes necessitudines sunt) Epist. 1. *cum Patrone mihi omnia sunt*: epist. 14. *Omnia enim eo intercedunt jura summæ necessitudinis*.

Non ut aliquid de illa commendatione diminuam, sed ut hinc addam) Simile illud epist. 10. *Nihilo infirmius illud hoc addito*. Alii aliter: nos hic emendavimus ex vetusto Maffæorum libro.

In Cilicia) Pro, in Ciliciensi provincia, cui tres διοικήσεις attributæ erant: ut epist. 67 non enim solam Ciliciam rexit Cicero.

Tribunus mil.) Primum in legione locum post legatum tribunus militum obtinebat. Sex autem in singulis legionibus Polybius constituit. Asconius duo genera facit, unum eorum, qui *Rufuli* vocabantur, qui creari solebant in exercitu: alterum, qui *Comitiati*, Romæ comitiis designati.

Vt accepisse ab eo beneficium viderer, non dedisse) Sententia similis epist. 19. lib. VI. *In qua ille se dedisse beneficium putabit, non accepisse*. Recitat Gellius pulcherrimum Publii Mimi senarium: *Beneficium dando accepit, qui digno dedit*.

Secutus auctoritatem meam) Auctor enim ei fui, ut eam legationem susciperet. Sequitur proxime: *Qui eum impulimus*.

EPISTOLA XIII.

HOnestus, gravis, plenus officii) Nihil redundat: singula enim singulis aliquid addunt, ut enim potest esse aliquis honestus, nec tamen gravis, aut officii plenus: ita contra. *Honestus* autem refertur ad genus & familiam, quod honesto loco natus: *gravis*, ad ætatem & mores: *plenus officii*, ad probitatem & consuetudinem vel bene merendi, vel remunerandi.

Bonus plane vir) Ad hanc laudem addi nihil potest: & augetur ex ea majorem in modum commendatio, præsertim apud Brutum, insigni bonitate virum.

Fortuna) Iis rebus, quæ sunt in fortunæ potestate.

Si quid hoc ad rem pertinet) Si fortuna locum habet inter ea, quæ ad commendandum valent.

Familiarissimus, sic prorsus) Ratio non videtur ferre, ut, *sic*, cum superlativo jungatur, sed ipsa ratio refellitur exemplis: ep. 33. *Cn. Otacilio Nasone utor familiarissime, ita prorsus, ut illius ordinis nullo familiarius*.

Nostri ordinis) Senatorii.

Iucundum) *Promitto, in meque recipio, fore eum tibi voluptati*. ep. 10.

EPISTOLA XIV.

OMnia mihi cum eo intercedunt jura summae necessitudinis) Ep. 12. *Quocum mihi omnes necessitudines sunt.*

Volcatio) Praetore urbano, qui ceteris praetoribus nobilitate praestabat. epist. 12. lib. X. Festus.

EPISTOLA XV.

PRaecilium tibi commendo unice) Caussae sunt hujus commendationis duae: quarum altera sumitur ab adolescente Praecilio, qui modestia & humanitate excellat, Ciceronemque ipsum singulariter diligat: Altera ab ejus patre, cujus & in Caesarem Ciceronemque non vulgaris benevolentia, & probitas eximia sit. Praecilia gens & plebeja, nec ullo clara consulatu, ne praetura quidem, quod sciam.

Hem hic ille est) Insignis ad movendum locus: tum quia sensus Praecilii & studium erga Caesarem declaratur: tum etiam, quia Cicero, qua sibi re offensum Caesarem putat, in ea dat operam, ut illum sibi, erroris confessione, reconciliet. *Hem*, particula non dolentis, sed indicantis potius: ut Phil. V. *Hem causam, cur lex tam egregia ferretur, ut eos judices haberemus, quos hospites habere nemo velit*. Et Terentius in Andr. *Obsecro te, quamprimum hoc me libera miserum metu. D. hem libero.* In Andr. *Hem tibi, rescivit omnem rem*. Et alibi. Similiter Plautus in Asin. *Hem nunc, si velis, da, commoda homini amico*. Et in Capt. *Hem mihi jam otium est*. Et alibi.

Irridere) Initio civilis belli.

Non tecum conjungerem) Conjunxit se cum Pompeio.

Honorificentissime) Ep. 9. libro nono.

Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν) *Sed meum numquam animum in pectoribus persuaserunt*. Homeri versus, Od. η.

Nostros proceres) Pompeianos. *Proceres* vocat cum ironia, quia defendi a se remp. gloriarentur.

Ἄλκιμος ἔσσ', &c.) *Fortis esto, ut aliquis te & posterorum laudet*. Homerus Od. α. & γ.

Ὣς νεφέλη) *Sic nebula occultavit astra*; id est: ita non vidi, quod utilius mihi fuit: ita mihi quasi nebula quaedam videndi facultatem ademit. Od. ω.

Idem) Idem senex Praecilius, qui me irridebat antea & objurgabat.

Consolatur) Cum dicat me tibi esse carissimum.

Etiam, hominem perustum, etiamnum gloria volunt incendere) *Etiamnum*, non placet: videtur enim abundare, cum jam dictum sit, *Etiam*. Augent mendi suspicionem veteres libri; nam pro, *Etiamnum*, tres habent, *Et inanimum*: unus, *Et jam non*: duo, *Et inanem*: unus, *Et inani*: unus, quo sum usus adolescens, Vincentii Riccii, *Immani*: quod in scholiis nostris olim testati sumus: unus omnino, *Etiamnum*. Quae varietas dubitationem mihi quidem non parvam affert: placuit olim, *Inani gloria*: placet idem nunc, ita si docti viri probant; non enim is sum, qui meas opiniones mordicus retineam.

Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε, &c.) *Ne negligenter, & sine gloria peream, sed magno aliquo edito facinore, & posteris audiendo*. Il. χ.

Ut vides) Quia non sequor partes eorum, sed in urbe sum.

Ab Homeri magniloquentia confero me ad vera praecepta Εὐριπίδου) Quid Homerus dicat, non attendo: Euripidem audio libentius. Magnifice loquitur Homerus, quia superioribus versibus ad gloriam hortatur.

Vera) Qui enim desipiat in re sua, sapere eum in aliena quis existimet?

Μισῶ σοφιστὴν) *Odi sapientem, qui non sibi sapit*. Cur eos, inquit, monentes audiam, cum ipsi sibi, tecum decertantes, non optime consulant? Senarius hic ex Euripidis Medea videtur esse; vide epistolam sextam libro septimo.

Laudat) Quasi vere dictum, & eorum exemplo comprobatum, qui mihi consilium dant, cum ipsis eorum consilia non prosint.

Posse eumdem) Posse, qui suis rationibus prospiciat, id quod ego facio, eumdem praeclare agere, & aliis praestare: cum enim proceres illi, Ciceronem incendere gloria cupientes, ita loquerentur: μὴ μὰν ἀσπουδεί γε, &c. potes, ajebat Praecilius, & praeclare agere, quod isti monent, & simul

mul tamen ante & post videre, id est, consilia tota & salutaria capere: quod e Cæsaris amicitia consequeris.

Αμα προσσω και οπισσω videre) *Preterita simul & sequentia inspicere*: quod qui facit, errare non potest; facit autem is, ajebat Precilius, qui cum Cæsare, opibus, honoribus, gloria florentissimo, non contendit. Sumtum ex Homero, qui Achillem ob ereptam sibi ab Agamemnone Briseidem ita conquerentem inducit Il. lib. I

— Η γαρ ογ' ολοιῃσι φρεσι θυει,
Ουδε τι οιδε νοησαι αμα προσσω και οπισσω,
Οππως οἱ παρα νηυσι σοοι μαχεοιντο Αχαιοι.
Certe enim ille perniciosis consiliis furit,
Neque potest intelligere simul præsentia & futura,
Vt sibi apud naves salvi pugnare queant Achivi.

Et in Od. lib. ult.

Τοισι δε και μετεειπε γερων ἡρως Αλιθερσης
Μαστοριδης, ὁ γαρ οἱος ὁρα προσσω και οπισσω.
Inter hos autem & dixit senex heros Alitherses
Mastorides; hic enim solus videbat præsentia & futura.

Αιεν αριστευειν) *Semper egregie se gerere, & aliis antecellere*. Homerus Il. ζ. & λ.

Genere novo) Ob interpositos Græcos versus.

EPISTOLA XVI.

P. *Crassum*) Liciniæ gentis, plebejæ, M. Crassi, a Parthis interemti, filium; epist. 8. lib. V.

Ex omni nobilitate) Nobiles enim & plebeji generis homines dicebantur, ob honores ab eorum parentibus & majoribus præclare gestos; epist. 64. *Pluris ex omni nobilitate neminem facio*. Quo loco de homine patricio loquitur.

Cognitio) Robustiore ejus ætate.

Optima studia) Eloquentiæ P. Crassus operam dedit: ideoque Ciceronis consuetudine perlibenter utebatur: eumque cum patre diffidentem in gratiam reduxit; auctor Plutarchus. Cicero autem in Bruto: *Quæ quidem*, inquit, *etiam cum P. Crasso M. F. cum initio ætatis ad amicitiam se meam contulisset, sæpe egisse me arbitror; cum eum vehementer hortarer, ut eam laudis viam rectissimam esse duceret, quam majores ejus ei tritam reliquissent; erat enim cum institutus optime, tum etiam perfecte planeque eruditus: ineratque & ingenium satis acre, & orationis non inelegans copia: prætereaque sine arrogantia gravis esse videbatur, & sine segnitia verecundus*.

Post mortem autem Crassi) Periit Publius cum patre in Parthis.

Ad me) Proconsulem.

In Alexandrino bello) Quod Cæsar, post Pharsalicam pugnam, cum Ptolemæo puero gessit; exstat eo de bello vel Hirtii, vel Oppii liber.

Propter memoriam Crassi de tuis unus esses) Quia P. Crassus in Gallia Cæsaris legatus fuerat.

Diodoto Stoico) Epist. 4. lib. IX.

Posse arbitror) Mos Ciceronis est, aliqua re proposita, breviter suum sensum ostendere, ut epist. 1. lib. XVI. *Is omnia pollicitus est, quæ tibi essent opus; facturum puto*. Et epist. 4. lib. X. ad Att. *Iurabat ad summam, quod nullo negotio faceret amicissimum mihi Cæsarem: esse debet*.

Vsum) Peritiam exercitatione partam.

In eo genere studii) In historia.

Immortalitati) Quam nulla dies extinguet.

Iudicabis) De doctrina hominis, de ingenio, de usu, & an Græcis litteris res tuas mandare possit.

Et tamen quod negaveram commendo tibi eum) Simile artificium epist. 18. *Quod modo verebar tibi gratias agere, nunc plane ago*.

EPISTOLA XVII.

M.' Manius prænomen a *Mane*, ut a *Luce* Lucius. Familiare fuit Curiorum & Aciliorum prænomen.

Curius) Is est, ad quem sunt epist. 28. 30. 31. libro septimo, & ipsius etiam una ad Ciceronem; nominatur præterea epist. 50. hujus lib. & epist. 1. 6. 9. 10. lib. XVI. & ep. 2. 3. ad Att. lib. VII. & ad eumdem epist. 5. 6. lib. VIII.

Vt

Vt primum in forum venit) Sic epist. 10.

Bello) Quod gestum est inter Cæsarem & Pompeium.

Quam maximus postea commendatione cumulus accedat) Pro, *Postea*, *Potest meo*, mihi placere, scholia mea in has epistolas, ante triginta annos edita, & sæpe deinde impressa, testantur; itaque non disputo, quam recte faciant, qui, quod nostrum est, ad alios transferant; cum præsertim, Scholia nostra se vidisse, inficias ire non possint; equidem, quod ad me attinet, non laboro: minima enim hæc duco; & magis id specto, ut studiosis meo labore consulam, quam ut inanem gloriam quæram: sed iniquam nostrorum temporum consuetudinem notandam putavi. De correctione nihil addo, notus enim loquendi modus; uno tamen utar exemplo epist. 4. lib. XV. *Quam potui maximis itineribus ad Amanum ire contendi*.

Religiose & sine ambitione) Quasi religioni adversetur ambitio; nam religio veritatem exigit: ambitio sæpe veris falsa præponit.

EPISTOLA XVIII.

Ætum lætitia) Epist. 10. lib. II. *Post comitia ista præclara, quæ me lætitia extulerunt*.

Rogatus aut certe admonitus) Correctio, quia rogari amicus ab amico non vult; epist. 9. lib. I. *Quæ mihi commendas, ea tantæ mihi curæ sunt, ut me nolim admoneri, rogari vero sine magno dolore vix possim*. Et epist. 4 lib. XV. *Admonendum te potius, quam rogandum puto*. Et epist. 13. l. IX. *Peto a te, vel, si pateris, oro*.

Quin ita futurum fuerit) Te responsurum liberaliter fuisse, dubium nobis non erat.

Vltro ad eum scripsisse) Ita scripsisse ad eum ultro, quasi rogatus, aut certe, quoniam rogari amor non patitur, admonitus liberaliter ei respondisses.

Nec opinanti) Sic malui, quam inopinanti; inopinatum autem passive, ut Grammatici loquuntur, sæpe dixit. Hic *Nec* valet *Non*, ut epist. 4. lib. XV. *Præsentibus insidiis nec opinantem liberavi*. Et in eadem infra: *Plerosque nec opinantes oppressimus*. Et lib. III de Fin. *Quod cum accidisset, ut alter alterum nec opinato videremus, surrexit statim*. Et lib. III. de Leg. *Senatori, qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto*.

Quod tu & ipsius causa, & tua sponte feceris) Si enim id mea causa fecisses, gratias ipse agere deberem: cum vero ipsius causa feceris, ad eum pertinere gratiarum actio videtur; quamquam ne ille quidem gratias debet agere: non enim ab eo rogatus, aut admonitus, sed ultro ipse nec opinanti voluntatem ei tuam tantam per litteras detulisti; itaque gratiarum actio nulla æquare potest officium tuum.

Esse gratum necesse est) Quia, quod jucundum, idem gratum; non contra; vide quæ diximus ep. 6. lib. IV.

Vtrumque eorum, quæ negavi mihi facienda esse, faciam) Solet in commendationibus hoc uti Cicero genere artificii, ut, quos primum negavit oportere commendari, eosdem postea commendet: ut ep. 16. *Hunc tamen, quod negaveram, commendo tibi eum*. Et ad Catonem, ep. 4. lib. XV. cum hæc jam dixisset: *Etsi talibus de rebus gravissimos homines & rogare solere, & rogari scio; tamen admonendum potius te a me, quam rogandum puto*: subjunxit aliquanto infra: *Huic meæ voluntati, ut faveas, adjutorque sis, quod paullo ante me negaram rogaturum, vehementer te rogo*. Vide & initium ep. 47. & ep. 63.

Quantum accessionis fieri potest) Ep 1. lib. II *Quantæcumque tibi accessiones fiant & fortunæ, & dignitatis*.

Epiroticis) Possessiones in Epiro Atticus habuit, ut epistolæ ad eum scriptæ, & Nepos in vita demonstrat. Epirus autem hoc tempore ad imperium Sulpicii, Achaiam regentis, pertinuit: antea Macedoniæ provinciæ pars fuit: ut ostendit oratio in Pisonem.

EPISTOLA XIX.

Lysone) Is est, cui Tironem ægrum commendavit; ep. 1. 6. 9. lib. XVI.

Necessitudinem) Cujus arctiora quedam

lam vincula sunt, quam amicitiæ; itaque sequitur, *sancte colendam*; sancta enim hospitii jura; unde hospitalis Iupiter, qui hospitiis praeesset; epist. 10. lib. II. ad Q. fr. & in Orat. pro Deiotaro, & lib. III. de Fin.

Absentis) Quia Romæ, non Patris, esset.

In nostra causa, nostrisque præsidiis) Pompeium secutus est in civili bello.

Timebamus) A Cæsare.

Quas Cæsar ad te dedit) Potest eas litteras Cæsar in Hispania scripsisse: sed verisimilius est, in Vrbe: cum dicat Cicero, *Et nostro, reliquorumque hospitum studio*; quod si ita est, ivit Sulpicius in Achaiam, antequam in Hispaniam; (ep. 4. lib. IV.) mansit usque ad exitum belli, nam, ut diximus jam, Cæsar & Sulpicius, hic ex Achaia, ille missis ex Hispania litteris, in obitu filiæ consolati sunt.

Accideret) Voluntate Cæsaris.

C. Memmius Gemellus) Potest esse is Memmius, ad quem supra leguntur Ciceronis epistolæ: nam & prænomen idem est, & exsulavit uterque.

Patrensis civis) Amissa Romana civitate, nam duarum civitatum civis esse nemo poterat.

Me ille negligenter de se scripsisse putet, non te oblitum mei) Simile illud ep. 1. *Non te in me illiberalem, sed me in se negligentem putabit*.

EPISTOLA XX.

MEdico) Medicinam Romæ ingenui homines, ut artem illiberalem, non colebant.

Meorum) Tironis, quem ex Cilicia decedens ægrum Patris reliquit, epist. 1. 6. 9. lib. XVI.

EPISTOLA XXI.

IN *omni genere officii diligendus*) Non delector mutatione: facio tamen libenter, ut in locis mendum redolentibus testificer sententiam meam. *In omni genere officii diligendus*, ferri potest, & eo magis, quod omnes libri veteres consentiunt; verumtamen, quia *Diligens*, & *Diligendus*, non admodum diversa sunt; scripsi olim, nihil tamen affirmans, magis mihi placere *Diligens*, quam *Diligendus*: ut mentio fiat in officio diligentiæ potius quam amoris, ex consuetudine Ciceronis: quam si quis contemnit, eum a me dissentire nec miror, nec moleste fero. Ciceronis hæc sunt, pro Plancio: *In omni officio diligentissimus*. Pro Cœlio: *Viro omnis officii diligentissimo*. Pro Cluentio: *In omnibus officiis retinendis diligentior esse nemo potest*.

C. Avianum) Ep. 27. miror a nonnullis, *Avianium*, legi: cum tamen initio epistolæ, *M. Æmilius Avianus*, legant: cur autem liberti nomen a patroni nomine dissentiat?

Molestissimis temporibus) Cum exsularet a Clodio pulsus.

Eum Hammonium) Fortasse abundat *Hammonium*.

EPISTOLA XXII.

VArro Murena) Varro Terentiæ gentis, Murena Liciniæ cognomen: hic igitur vel ex Terentia in Liciniam, vel, quod magis arbitror, ex Licinia in Terentiam adoptatus, novum cognomen accepit, vetere conservato: ut Pompeii Magni socer Scipio Metellus, adoptatus a Q. Cæcilio Metello Pio, cum esset antea Corneliæ gentis: ut Varro Lucullus, qui anno Vrbis 680. Consul fuit, accepto Terentiæ gentis cognomine, Liciniæ retento. Hunc ego Varronem Murenam facile crediderim ejus Varronis Murenæ patrem fuisse, qui cum Augusto anno 730. consulatum gessit. *Murena* vero scribendum esse, non *Muræna*, cum a μυραινα pisce deducatur, ut alia Romanarum gentium cognomina, liceet adversante lapidum antiquorum auctoritate, libenter existimaverim.

Quibuscumque rebus honeste ac pro tua dignitate poteris) Eodem modo epist. 31. Similiter epist. 32. & epist. 67.

EPISTOLA XXIV.

VNis litteris) Epist. 19.

Tuis officiis, liberalitate complectare) Omisit copulam, ut ep. 28. *Homini gratissimo, jucundissimo*: & lib. III. epist. 8. 10. 12. lib. V. epist. 17. lib. VII. epist. 5. lib. VIII. epist. 6. lib. IX. epist. 1. item alibi sæpe.

EPI-

EPISTOLA XXVI.

QVæstor fuit) In Cilicia epist. 20. 21 & lib. V. & VI. lib. XVI.

Gravem duxi) Epist. 10.

Libenter te esse facturum) Ab omnibus antiquis libris, uno excepto, abest *Te*; nec sane necessarium videtur.

Meas quoque litteras) Etsi neque numerus, neque genus loquendi admodum mihi satisfacit : quid enim est, *Meæ litteræ magnum sunt apud te?* consensus tamen facit veterum librorum, ut adquiescam : in vulgatis legebatur, *Meas quoque litteras pondus habituras*; apte : sed antiquitatis, ut arbitror, nullo testimonio.

M. Mindio) Ep. 20. lib. V.

Elide) In qua urbe delubrum Iovis Olympii fuit. Plinius lib. IV. cap. 5.

Quod commodo tuo fieri posset) *Quod sine molestia tua fiat*, epist. 23. & epist. seq. *Quod commodo tuo fiat*.

Disceptatore) Rei, quæ in controversiam vocatur, moderatore. In Partitionibus hoc verbum Cicero ipse interpretatur : *Aut auscultator est modo, qui audit, aut disceptator, id est rei sententiæque moderator*. Eo usus est Asinius : cujus hæc recitat Quinctil. lib. IX. cap. ult. *Si, Cæsar, ex omnibus mortalibus, qui sint ac fuerint, posset huic causæ disceptator legi, non quisquam te potius optandus nobis fuit*.

Alienum tua dignitate) Sic locutus epist. 14. lib. IX.

EPISTOLA XXVII.

NOn parcam operæ) Commendare non desinam.

Vt vos soletis in formulis) Sic plane in antiquo Fulvii Vrsini libro, & recte : alii duo, *Vt soletis in formulis*: reliqui mendose, *Vt voletis in formulis*. Notæ sunt jurisconsultorum formulæ.

Commendaveram) Ep. 21.

Cum tuo Servio) Epist. 3. lib. IV.

Virtute & probitate) Hic & epist. sequenti, & 4. lib. IV. & V. lib. VI. *virtus* non pro doctrina, sed pro quadam præstantia sumitur.

EPISTOLA XXVIII.

LIbenter) Spe impetrandi.

Virtus, & probitas) Epist. 27.

Studia illa nostra) Philosophiæ, ut patet sequentibus verbis.

Quibus antea delectabamur, nunc etiam vivimus) Epist. 2. lib. IX. *Stet nobis illud, una vivere in studiis nostris, a quibus antea delectationem modo petebamus, nunc vero etiam salutem* : vide epist. 3. lib. IV. epist. 13. lib. V epist. 12. lib. VI. epist. 3. lib. IX. copiam enim auget locorum similitudo.

Quæ te erunt digna) *Quas tua fides, amplitudo, justitia postulat* : epist. 28. *Quibuscumque rebus honeste ac pro tua dignitate poteris* : ep. 22. *Quantum tua dignitas fidesque patietur* : epist. 32. 37. 53.

Duo, quæ te nominatim rogo) *Duo quidem te*, in omnibus fere veteribus libris, quod placet.

Amplius eo nomine non peti) Neminem eo nomine in posterum esse petiturum, neque Mescinium, neque alium quemquam.

Negotium conficiemus) Ad quas enim conditiones, id est ad ea, quæ avertit, restituenda, si putabit sibi Romam esse veniendum, facile adducetur.

Illud quod supra scripsi, id tibi confirmo) *Id*, non abundat, sed additum confirmationis gratia : ut epistola quinquagesima septima : *Illud, quod tecum & coram, & per litteras diligentissime egi, id & nunc etiam atque etiam rogo*. Et lib. VII. epist. 26. *Lex sumtuaria, quæ videtur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit*. Et pro Cælio : *Illud tempus ætatis, quod ipsum sua sponte infirmum, aliorum libidine infestum est, id hoc loco defendo*. Plautus in Pseud. *Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit, eam circumducam lepide*. Varro lib. III. de Re Rust. *Thebæ, quæ ante cataclysmon Ogygi conditæ dicuntur, eæ tamen circiter duo millia annorum & centum sunt*. Duo verba, *Tibi confirmo*, sumsimus ex antiquis libris : quod ideo testificamur, quia locum ex ingenio suppletum, alii crediderunt, hoc argumento ducti, quod in suo vetere libro deesse aliquid cernerent.

Gratissimo, jucundissimo) Omissa copula;

pula, ut epist. 24. *Officiis, liberalitate complectare*.

Nec) Sequitur, *Et*, ut epist. 1. l. X. *Nec miror, & gaudeo*. Opinor autem hoc esse principium alterius epistolæ.

Qui te optime novissem) Paullo post: *Quod unus optime nosses non nostra solum, sed etiam Græciæ monumenta omnia*.

Et jura, & merita populorum) *Iura*, quæ illis tueri, non imminuere, debemus: *merita*, erga populum R. quibus commendati nobis esse debent.

Pro horum temporum perturbatione) Quantum licet per hæc tempora, quibus plane felix esse nemo potest. *Pro malis temporum*, epist. 2. lib VI. *Vt in tantis malis*, epist. 2. lib. XII.

Monumenta) Veteres historias.

Tua sponte) Propter antiquam Lacedæmoniorum nobilitatem: principes enim Græciæ fuerunt.

Te non moleste ferre) Tibi non ingratum esse.

Pertinet ad officium meum) Cum illius omnia debeam.

EPISTOLA XXIX.

PLanco) Cum Cæsare in Africa contra Scipionem & Iubam regem pugnante. Hic est, ad quem sunt epistolæ lib. X.

Qui tibi a patre relicti sunt) Vide epist. 3. & 4. lib. X.

Varietates meorum temporum) Exsilium suum significat.

Honorum, & laborum meorum) Vide epist. 4. & lib. XV. epist. 8. 9.

Paruit, & temporibus, & fortunæ meæ) Similiter pro Deiotaro: *Teque Alexandrinum bellum gerente, utilitatibus tuis paruit*.

Sorte) Quæstores quoque provincias sortiebantur; epist. ult. lib. II. pro Murena, Suetonius in Claudio.

Oppressus) Subito Pompeii adventu quasi captus.

Cum signaretur argentum) Iussu Pompeii.

Adfuisse) In quo Cæsaris animum offendit.

A Castris) Pompeii.

Non modo ut non præesset ulli negotio, sed etiam ut ne interesset quidem) Contra, epist. 6. lib. I. *Omnibus negotiis non interfuit solum, sed præfuit*.

Post prælium) Pharsalicum, quo victus Pompeius Ægyptum petiit.

A. Plancium) Qui Bithyniæ præerat, Cæsaris partium fautor & adjutor.

Ex parte dimidia, & tertia) Tota hereditas nomine assis vocatur, partes autem hereditatis partibus assis. Dividitur in unciam, sextantem, quadrantem, trientem, quincuncem, semissem, septuncem, bessem, dodrantem, dextantem, deuncem. Pars igitur hereditatis dimidia, & tertia, si ab assis partibus vocetur, erit, semis, & triens, vel, unico vocabulo, dextans: quamquam neque dextantem, neque deuncem, neque quincuncem, septuncem, bessem, pro partibus hereditatis usurpari a veteribus video: sed tantum hæc, unciam, sextantem, quadrantem, trientem, semissem, dodrantem, assem.

Publica potest esse) Antistii bona, ut Pompeiani, publica esse, victore Cæsare, debebant; partem Capitoni relictam Cicero conservare conatur, adjutore Planco; reliquum sextantem, ait, posse Cæsarem capere, nulla cujusquam querela, fortasse quod ii, quibus sexta hereditatis pars legata fuerat, Pompeianarum partium fuissent: cum Capito abstinuisset omnino ab armis, Cæsaremque potius, quam Pompeium dilexisset.

H-S. xxx) Non sestertium triginta millia (nam parva pecunia fuisset, scutati nostrates nongenti) sed, sestertium tricies, id est, scutatorum nonaginta millia: de qua summa jure subjungit: *Sed de hoc Cæsar viderit*.

Cæsar viderit) Ad quem sextans ille, Pompeianis ab Antistio relictus, videtur jure belli pertinere.

Potentia) Apud Cæsarem.

Cujus) Neutro genere, haud satis usitate.

Ipsum meminisse) De Capitonis erga illum amore & observantia.

In me ipso experiri) Quanti Cæsarem fecerit Capito, in me ipso sum expertus; quod enim fuerim moderatior, ac temperatior in civili bello, quam quisquam Pompeianus, id auctore Capitone potissimum feci.

Ad te deferam) Conferam ad arbitrium tuum: ut ipse judices, id quanti sit. *Deferre aliquid ad aliquem*, est illius

illius arbitrio committere; nam ep. 9. lib. I. cum dixisset; *Istam partem vitæ consuetudinisque nostræ totam ad te defero*: subjunxit: *Quantum litteris, quantum studiis consequi poterimus, id omne ad arbitrium tuum libentissime conferemus*.

Quibusque munitus fuerim) Hunc locum vacare mendo, persuaderi mihi vix potest; antiquus liber unus, *Quibus & munitus*: alius, *Quibusque monitus*: reliqui omnes, *Quibusque munitus fuerim*, mihi placeret, *Quibusque inimicus fuerim*. Vt in eo Pompeiani significentur, *Per quos homines ordinesque steterim*; Cæsariani in hoc, *Quibusque inimicus fuerim*.

Quod intellexerim scire ipsum Cæsarem) Hoc refer non ad superiora, sed ad ea, quæ sequuntur.

Aliorum consilio) Culpam suam aliorum culpa tegit.

Auctoritate Capitonis) Auctore Capitone; suasit enim, ut, quam minimum possem, Cæsarem offenderem. Sane Cicero, sumtis armis, nullam belli partem attigit in Italia: Pharsalico autem prælio non interfuit.

Reipub. fortasse non nihil) Quia mansissem in Italia, & quasi medius inter utramque partem agere de pace potuissem.

Mihi certe plurimum) Non enim ad Pompeium in Græciam navigassem: quod feci dissuadente Capitone, reliquis necessariis hortantibus.

Adjunxeris) Adjunxit, & ita quidem, ut ejus apud Plancum opera in Attici re Cicero sit usus: quod ejus ad Capitonem epistola declarat, lib. XVI. ad Attic.

EPISTOLA XXX.

A *Cilio*) Præerat Siciliæ proconsulari imperio, licet consulatum non gessisset; vide quæ diximus epist. 1. libro primo.

L. Manlius est Sosis) In litteris commendaticiis primum locum obtinet vel narratio, vel proœmium: hoc, ut exponantur causæ, quibus ad commendandum adducimur: illa, ut statim res ipsa, nullo exculta artificio, perspicua veritate studium & patrocinium boni viri consequatur. Hic narratio incipit a nominibus; ut in Divinatione: *Agonis est quædam Lilybetana*: & lib. I. in Verrem: *C. Sulpicius Olympus fuit*: lib. III. in eundem: *Nympho est Centuripinus*, & alibi. *L. Manlius Sosis*, duo sunt Romana nomina, tertium Siculum! ;qui enim peregrini Romanam civitatem assequebantur, eorum assumebant & prænomina, & nomina, quorum opera & beneficio cives Romani facti erant, vetere nomine conservato: exemplum exstat illud epist. 36. *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo; ei Dolabella, rogatu meo, civitatem a Cæsare impetravit: qua in re ego interfui: itaque nunc P. Cornelius vocatur*. Et in Verrem lib. IV. *Tu maximam & pulcherrimam mensam citream a Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio a L. Sulla civis Romanus factus est, abstulisti*.

Is fuit Catinensis) Esse desiit, posteaquam in municipium Neapolitanum adscriptus est: civis enim duarum civitatum esse nemo potest. Nepos in Attici vita. Catina in Sicilia: oppidum locuples, honestum, copiosum Cicero appellat lib. IV. in Verrem.

Erat enim adscriptus in id municipium ante civitatem sociis & Latinis datam) Rationem affert, quo modo, Catinensis cum fuerit, civis Romanus factus sit. Quo tempore, inquit, sociis & Latinis data civitas est, (datam esse lege Iulia, ostendit Cicero in oratione pro Balbo) adscriptus jam erat Manlius in municipium Neapolitanum: ita cum reliquis Neapolitanis civitatem est adeptus. Hæc verba Ciceronis factum esse civem Romanum Manlium beneficio legis Iuliæ, videntur ostendere, non ejus legis, quæ a tribunis pl. Silvano & Carbone postea lata est, cujus hæc sententia fuit, ut adscriptis in fœderatos populos civitas daretur, ita, si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium haberent, & si sexaginta diebus apud prætorem essent professi. Nam si ad hanc Silvani & Carbonis legem Cicero respexisset, non hoc argumento usus esset, quod in id municipium esset adscriptus ante civitatem sociis & Latinis datam: sed hoc potius, quod in Italia domicilium habuisset, cum eam legem Silvanus & Car-

& Carbo tulerunt. Non negaverim, eam legem ad peregrinos attinuisse, & peregrinorum in numero Catinenses fuisse: verum ea lege non est usus Manlius, qui aliquanto ante civis Romanus legis Iuliæ beneficio factus esset. Quid igitur spectavit, aut quorsum lata est Silvani lex & Carbonis: si quidem adscripti fœderatas in civitates jura civium Romanorum lege Iulia adepti jam erant? Primum confirmabat eis legis Iuliæ beneficium, sed ita, si tum cum hæc posterior lex ferebatur, in Italia domicilium haberent, & si sexaginta dies apud prætorem professi essent: alioqui datam antea civitatem eripiebat: deinde, ne certatim in posterum peregrini homines fœderatis civitatibus adscribi vellent, ut ea mox ratione in civitatis Romanæ censum irreperent, ademit eis hanc spem, dato iis tantum civitatis jure, qui tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium haberent: nam, si post latam legem, nihil proderat.

Decurio) Decuriones in municipiis erant, ut senatores Romæ.

Id municipium) Italici juris municipium fuisse, ostendit & oratio pro Archia.

Sociis & Latinis) Cum Latio Italici omnes designantur. Italiam appello, non quam Alpibus natura terminavit, sed quæ jure civili duobus municipiis, Arimino a supero mari, Luca ab infero, a Gallia cisalpina disjungitur; & quamquam pars Italiæ Latium fuerit, & jus Latii differat a jure Italico: quod argumentum vir excellentis doctrinæ Carolus Sigonius tribus libris plenissime tractavit: sæpe tamen & Livius, & alii, cum Italos omnes una cum Latio significare vellent, *socii Latini nominis*, aut *socii Latini*, dixere: cujus generis exempla multa non afferam, uno contentus ero. Livius enim libro nono cum dixisset: *In omni defectione sociorum Latini nominis, urbano prope delectu decem scribebantur legiones*: infra, qui essent socii Latini nominis, ostendit his verbis: *Latium omne, cum Sabinis, & Volscis, & Æquis, & omni Campania & parte Umbriæ Etruriæque, & Picentibus, & Marsis, Pelignisque, ac Vestinis, atque Apulis, adjunctaque omnis ora Græcorum inferi maris a Thuriis Neapolim, & Cumas, & inde Antio atque Ostia Samnites.*

Et est hodie in bonis) Argumentum, cur nullam sit habiturus de ea hereditate controversiam: quia nemo prohibuit, quo minus eam adiret: cum facilius esset excludere, quam de possessione dejicere. *Esse in bonis*, *esse in possessione bonorum*, *bona possidere*, & idem sunt, & æque Tulliana.

Virum optimum) Dignum igitur amore tuo.

Mihique familiarissimum) Quo potes intelligere, quantum ejus causa cupiam.

Iis studiis litterarum doctrinæque præditum, quibus ego maxime delector) Utrum Philosophiæ studia significat, an eloquentiæ? hominem Siculum ab eloquentia laudari vix arbitror: de Philosophia potius adducor, ut credam: cum præsertim eam Cicero oppressa rep. maxime coluerit.

EPISTOLA XXXI.

Honesto & ornato) Cum dicit *Ornato*, ipsum laudat, cum *Honesto*, genus.

C. Pisonis) Calpurniæ gentis; ep. 2. ad Att. lib. I. *Tulliolam C. Pisoni L. F. Frugi despondimus*. Hic primus fuit Ciceronis gener: alter Crassipes, qui nominatur epist. 7. lib. I. & epist. 5. lib. II. ad Q. fr. tertius Dolabella, de quo epist. 16. lib. II. epist. 12. lib. III. epist. 6. & 12. & lib. VIII. & alibi.

EPISTOLA XXXII.

Lauta) Eleganti, & omnibus rebus ornata, qualis hodie Florentia.

Archagathum, & Philonem) M. Clodium Archagathum, C. Clodium Philonem; horum cognomina Græca sunt, prænomina vero & nomina Romana, primum enim Siculi cum essent, civitatis Romanæ jus adepti, simul appellationem susceperunt, vetere nomine retento, more libertorum. Sic, *L. Manlius Sosis*, ep. 30.

Ambitione quadam) Ut ostendam iis, quos tibi præcipue commendo, me apud te valere plurimum.

Vetu-

Vetustate)Vetusta notitia, epist. 15. lib. V. epist. 10. lib. X. epist. 16. lib. XI.

EPISTOLA XXXIII.

ITa prorsus) Vide epist. 13.

Illius ordinis) Non hic senatorius, aut equestris ordo significatur, sed conditio quædam; ut enim diversa hominum genera, sic diversi ordines; epist. 2. lib. I. *Cum ejus familiares omnium ordinum video*. Et lib. III. Off. *Qui esset, ut argentarius, apud omnes ordines gratiosus*. Et de Amic. *Numquam se ille Philo, numquam Rupilio anteposuit, numquam inferioris ordinis amicis*.

EPISTOLA XXXIV.

DOmumque ejus) Domesticos ejus. epist. 38.

EPISTOLA XXXV.

MEo beneficio) Me rogante.

In Novocomenses retulit) In eos, quos Novumcomum deductos in primo consulatu civitate donavit, ii fuere quinque millia, & Græci maxime illustres quingenti. Philoxenus autem Græcus, quia Siculus. Suetonius & Strabo, postea vero dictator idem Cæsar transpadanos omnes, ut ait Dio, civitate donavit.

Nomen Aviani) Immo & prænomen, vide epist. 79.

Homine nullo plus est usus) *Est usus* dixit, quia petierat Avianus Flaccus.

EPISTOLA XXXVI.

DOlabella) P. Cornelius Dolabella, qui gener fuerat Ciceronis; nam divortium fecit post pugnam Pharsalicam.

P. Cornelius vocatur) Assumto prænomine & nomine Dolabellæ, cujus beneficio civitatem impetraverat.

Tabulam) Æneam, in publico fixam.

Revelli) Ne valeret.

EPISTOLA XXXVII.

CAlactinum) A Calacta, Siciliæ urbe. Ptolemæus.

Publice possidentur) Legem apud Calactinos fuisse crediderim, quæ vetaret, ne quidquam publice, nisi publico nomine possideretur. Hippiæ autem bona alieno nomine, puta cujuspiam absentis, vel pupilli, publice possidebantur.

EPISTOLA XXXVIII.

QUæ inde quæstura mea Siciliensi) Siculi igitur erant hi Bruttii, pater, & filius: quæstor in Sicilia fuerat Cicero prætore Sex. Peducæo, ut ait Pedianus.

EPISTOLA XL.

Q. *Anchario*) Tribunus pl. fuerat, Cæsare & Bibulo coss. prætor, Marcellino & Philippo.

Procos.) Non gesto tamen consulatu; vide quæ diximus ep. 1. lib. I.

L. & C. Aurelios) Orestas; duos enim Aurelios Orestas, superioris tamen ætatis, Cicero nominat in Bruto.

Quod scio multas plurimum valuisse) Notandum, *Quod*, ita usurpatum, ut epist. ult. ad Att. lib. IX. quo loco genus hoc loquendi probavimus exemplis.

EPISTOLA XLI.

L. *Culleolo*) Videtur Culleolus Illyrico præfuisse: quia nominantur in epistola sequenti *Bylliones* Illyrici populi; quod si ita est, præfuit ante primum Cæsaris consulatum; nam Cæsari primum consuli, Galliæ utriusque, & Illyrici administratio mandata est, nec vero post Cæsarem Culleolus in Illyricum ire potuit; nam vivo Pompeio Magno epistolam scriptam esse constat.

Videt autem sæpissime) Non caret elegantia ejusdem verbi repetitio; ep. 53. & ep. 2. lib. III. ep. 9. lib. VI. ep. 6. lib. X.

Tuæ constantiæ gratia) Epist. 5. & 8. lib.

8. lib. V. eadem constantia nominatur.

Ostendisti) Te facturum; epist. 8. lib. IX. *Quamvis quis ostenderit*.

EPISTOLA XLII.

L*Vcceius meus*) Summam benevolentiam & familiaritatem pronomen indicat, epist. 64. *Nero meus mirificas apud me tibi gratias egit*. Ep. 12. lib. VII. *Indicavit mihi Pansa meus, Epicureum te esse factum*. Epist. 9. lib. XI. *Quid ipse agas, quid noster Hirtius, quid Cæsar meus*, epist. 10. lib. XVI. *Curio meus illum incitabit*.

Bulliones) Sic omnes libri veteres, pro *Bylliones*; interdum tamen Græca littera Y servatur, ut in *Pyrrhus*, *Phryges*: quod Cicero, contra veterem consuetudinem, probat in libro de Perfecto Oratore. Populi sunt supra Epidamnum, a Byllide, sive Bullide urbe, quæ est in Illyrico. Plinius lib. VII. Stephanus.

Satisfacturos) Pecuniam Luccejo debebant.

EPISTOLA XLIII.

Q. *Gallio*) Fortasse hic est ille Q. Gallius, quem M. Calidius accusavit de veneficio, ut est in Bruto. Fuerunt autem duo fratres Gallii, M. & Q. & Quintum accusatum a Calidio defendit Cicero, ut ait Valerius lib. VIII. cap. 10. ejusque orationis verba quædam recitat ipse Cicero in Bruto, alia Quinctilianus lib. VIII. cap. 3. lib XI. cap. ult. & Nonius, Charisius, Aquila. Is hoc tempore cum Philippo, Asiæ proconsule, legatus, ut existimo, in provinciam ibat: vide epist. 45. & 73.

Ea causa) Vide, quæ diximus epist. 1. lib. I.

Egnatii Rufi) Ep. 44. 45. 73. 74. & ad Attic.

EPISTOLA XLV.

P*Roquæst.*) Q. Philippi procos. nam utrique Egnatium Cicero commendat: ep. 73. 74.

EPISTOLA XLVII.

Q*Vid ego tibi commendem eum*) Simile artificium ep. 16. in eo loco: *Et tamen, quod negaveram, commendo tibi eum*. Et ep. 18. *Quod modo verebar, tibi gratias agere, nunc plane ago*. Et epist. 4. lib. XV. *Quod paullo ante me negaram rogaturum, vehementer te rogo*.

Non a me diligi solum, verum etiam amari) Epist. 14. lib. IX. *Tantum accessit ad amorem, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse*. Et ad M. Brutum: *Clodius valde me diligit, vel, ut ἐμφατικώτερον, valde me amat*.

Illa nostra scilicet ceciderunt) Abierunt illa tempora, cum & dignitate, & honoribus, & hominum amplissimorum amicitiis in rep. florebamus: consolemur igitur nos, non exquisita aliqua ratione, sed quo modo solet vulgus: cujus hæc fere in adversis rebus est sententia: *Quid, si hoc melius? Cecidit auctoritas principum*, in oratione de Harusp. Resp. *Cecidit gravitas optimatum*, lib. III. de Leg.

EPISTOLA XLVIII.

C*Vm primus in eam insulam quæstor veneris*) Antea enim Cyprus regnum fuerat, non provincia: sed cum in eam lege Clodia M. Cato venisset, rexque Ptolemæus, audito ejus adventu, mortem sibi conscivisset; regno publicato, provincia prætoria facta est, mansitque ad Strabonis ætatem: ut ipse lib. decimo quinto scriptum reliquit. Nec vero P. Lentuli, qui Cyprum cum Cilicia primus rexit, ut ex epistola septima lib. primi cognoscitur, quæstor fuit hic Sextilius: nam si Lentulus quæstorem suum ad jus dicendum in Cyprum misisset; fecisset idem postea Cicero, qui eamdem provinciam rexit: at ille non modo neutrum e quæstoribus suis, (duos enim habuit, Mescinium, & Cœlium) sed nec ullum e quatuor legatis misit: Q. Volusium, unum e suis familiaribus, ei muneri præposuit: quod in epist. 21. lib. V. ad Att. scripsit. Deinde, si quæstor Lentuli Sextilius fuisset, dixisset potius Cicero, *si P. Lentuli, proconsulis tui legem* *sequi*

sequi volueris : quam, *si P. Lentuli, necessarii tui*. Iam legis Lentuli observationem cur Sextilii permittat arbitrio ? quis crederet quæstorem a sui proconsulis lege in ea jurisdictione, quam idem sibi proconsul demandasset, discessurum fuisse ? quo animo Lentulus ferret, contra eam legem, quam ipse consul tulisset, jus dicere quæstorem suum ? Postremo illa verba, *Ea, quæ a me constituta sunt*, satis constat esse dicta de Cicerone Ciliciæ proconsule, cujus provinciæ pars Cyprus fuit. Cum igitur post Ciceronem proconsulem scripta sit epistola, suspicari aliquis possit, primo scriptam esse belli civilis anno, id est Lentulo & Marcello Coss. antequam Cicero ad Pompeium in Græciam navigaret, vivo P. Lentulo : qui ex Pharsalica pugna fugientem Pompeium secutus, ut lib III Bel. Civ. Cæsar scripsit, obiisse paullo post videtur : nam neque post Pharsalicam pugnam commendaticias litteras Cicero, confectus omni miseria, misisset : nec postea quam in Græciam navigasset, ardente bello : potius eum scripsisse, cum adhuc in Italia maneret, integra adhuc auctoritate, & apud Cæsarem gratia, credibile est. Vt omittam, quod illa verba, *si P. Lentuli, necessarii tui, legem sequi volueris*, mihi quidem de vivo potius Lentulo, quam de mortuo, videntur esse dicta. Quod si de epistolæ tempore non erramus, quærendum relinquitur, a populo ne, an a proconsule aliquo missus venerit in Cyprum Sextilius. Vtrumque nego : nam nec imperium quæstori populus dare, nec sine imperio præesse quisquam provinciæ solebat. Proconsul vero post Ciceronem, impedita propter bellum civile provinciarum successione, aliquamdiu nemo fuit. Itaque cogimur credere, missum esse a Cæsare, urbe Roma potito : cum ejus voluntas pro legibus esset, Cicerone nondum in Græciam ad Pompejum profecto.

EPISTOLA L.

Acilio) Videtur hic esse Acilius Auctus, qui Ser. Sulpicio administraturus Achaiam successit : epist. 30. lib. VII.

Brundusii) Vbi Cicero aliquamdiu fuit post pugnam Pharsalicam, reditum Cæsaris ex bello Alexandrino exspectans : epist. 10. *His temporibus a me Brundusio cum litteris & mandatis profectus est ad Cæsarem*. Et epist. 27. lib. XI. *Veni Brundusium*. Et epist. 6. ad Att. lib. XI.

Curius) De quo epist. 17.

Multa in illum mea ; quodque maximum est, summus inter nos amor) Quanto hoc venustius, quam ut est in vulgatis libris, *Multa in illum mea quoque maximum est, summus inter nos amor*. Sic autem ante multos annos ex antiquo libro Vincentii Riccii emendavimus : nunc eo magis confirmor in sententia, quia video sic & legi & distingui in Petri Pagani libro: in alio autem, *Multa in illum mea, quod maximum est, &c.*

Sartum & tectum, ut ajunt) Quod rei est inanimatæ, ad hominem transtulit ; nam *sarta tecta*, ut ait Festus, vocabantur, *quæ locabant censores, ut ea deinde integra exigerent* : epist. 11. *Sarta tecta ædium sacrarum* nominantur: cum vero, addita copula, dicitur, *sartum & tectum*, pleniorem esse locutionem ait Asconius : quid autem hic Cicero significet, sequentibus verbis ostenditur.

EPISTOLA LII.

Regi) Cognomen gentis Marciæ : ut e Sallustio, Valerio, Suetonio constat, addito etiam testimonio Ciceronis epist. 14. ad Att. lib. I & Plutarchi in vita Ciceronis. Absurde nonnulli putant hunc esse Deiotarum regem : cum tamen, *Deiotaro regi*, non sit in titulo, sed tantum *regi* : præterea inepta familiaritas illa esset in iis verbis, quæ infra : *Tu igitur, mi Rex, &c.*

A Cæsare liberavi) Venia impetrata.

Nobiscum) In partibus Pompeianis.

In Causa) Causa Pompeii, & causa Cæsaris, vocatur id, quod Pompeius & Cæsar defendunt.

Quo melius te de eo existimaturum arbitror) His verbis adducor, ut suspicer, in causa Pompeii Regem fuisse.

En-

EPISTOLA LIII.

EI te commodes) Malim, *Ei commodes*. Sic enim Cicero locutus: epist. 9. 13. 32. 35. 37. 41. 54. 69. 70. 75. hujus libri.

Patietur autem in omnibus) Similis repetitio, in qua inest quiddam elegantiæ, epist. 41. & lib. III. ep. 2. lib. VI. ep. 5. lib. X. ep. 6.

In Hellesponto) Hellespontum ad Asiæ administrationem attinuisse, hic locus ostendit.

Parium civitas) Parion civitas in Hellesponto. Plinius, Strabo, Stephanus.

In illam διοικήσεως rejiciat) Hellespontiam: ne in Ephesina διοικήσει, (Ephesus enim primaria urbs erat eorum, qui Asiæ provinciæ præerant: epist. 55. & ad Atticum epist. 13. libro quinto,) incommodo suo, litigare cogatur.

Singulas ejus causas) Singula ejus negotia.

EPISTOLA LIV.

INterpretis mei) Interpretes præibant proconsulibus: infra: *In longa apparitione*.

Laodiceam) Quæ fuit in imperio Ciceronis, caput unius Asiaticæ διοικήσεως: ibi Cicero forum egit ex idib. Febr. usque ad Kal. Mai. inde in Ciliciam profectus est: epist. 1. 2. ad Att. lib. VI.

Mihique) Qui tibi eum commendassem.

Propter se) Propter tuum in se officium.

Marcilium) Patrem.

In longa apparitione) In suo munere multorum mensium: nam Laodiceam primum venit prid. Kal. Sex. eodem rediit ineunte mense Februario, ut conjicere licet ex epist. 21. ad Att. lib. V. mansit usque ad idus Maii, ut ex eadem constat: ad eum igitur, cum esset iterum Laodiceæ, Marcilius adolescens venit: ex quo de anno epistolæ conjecturam fecimus.

In longa apparitione) Omnes, qui apparebant, id est, præibant magistratibus, *apparitores* dicebantur: & *apparitio* munus ipsum: *apparitores* autem erant scribæ, interpretes, accensi, præcones, lictores, viatores, statores, & hujus generis alii: quos omnes ut libertos fuisse putem, multis adducor exemplis.

EPISTOLA LV.

MAnneii legati mei) Quatuor legatos habuit Cicero in provincia, Q. fr. C. Pontinium, utrumque prætorium, Pontinium etiam triumphalem, præterea L. Tullium. M. Anneium: epist. 4. lib XV. & ep. 15. libro secundo, & alibi.

In bello) Quod exponitur satis gloriose epist. 4. lib. XV.

Cum Sardianis) Cum populo Sardiano: epist. 57. Sardis autem urbs Lydiæ. Plinius, & alii.

Coram) Cum apud te caussa hæc agetur.

In pretore) Dixi jam, *Pretores* etiam eos appellari, qui post præturam, aut etiam consulatum provinciam regerent: epist. 17. lib. II.

EPISTOLA LVI.

CLuvius) Is fortasse, ad quem scribit ep. 7.

Mylasii, & Alabandenses) Sic diserte scriptum est in meo vetere libro: in aliis, *Mylasi*, *& Alabandes*: in quibusdam, *Mylasis*, *& Alabandes*, Græco more. Mylasa, & Alabanda nominantur a Plinio, & aliis.

Eedici) Quasi quæstores quidam, rationem nummariam curantes.

Ὑποθήκας Cluvio dedit) Pignoris loco quædam Cluvio creditori suo assignavit, ea conditione, ut, nisi ei pecuniam, quam debebat, certa quadam die, de qua inter eos convenerat, solvisset, hypothecæ Cluvii propriæ efficerentur: propterea subjungit Cicero, *Hæ commissæ sunt*: id est, cum aberit dies, qua se Philotes Cluvio pecuniam soluturum promiserat, amisit jus, quod habebat in hypothecis: eæ Cluvii factæ sunt. Sic, *fiduciam tibi commissam* dicit, pro, fundum fiduciario nomine acceptum, tui juris factum esse dicis, in orat. pro Flacco. Et, *commissam hereditatem Veneri Erycinæ*, *commissam palestræ*, in Verr. lib. I. & II.

De hypothecis decedat) Cedat hypothecis, jus hypothecarum relinquat: quandoquidem commissæ sunt, id est, nihil jam ad eum pertinent, elapsa die solutionis.

Aut pecuniam solvat) Æqua conditio; nam cum hypothecæ commissæ essent; Cluvius tamen, si sibi pecunia solveretur, contentus erat, & hypothecis cedere volebat.

Heracleotæ & Bargiletæ) Populi Cariæ, de quibus Plinius lib. V. cap. 29. Heracleæ autem plures.

Fructibus) Quos ex agris colligunt.

Caunii) Et hi Cariæ populi: Plinius, Strabo.

Neque ex edicto: neque ex decreto) Edicto prætoris, decreto senatus.

Cn. Pompeii) Magni.

EPISTOLA LVII.

BEllum magnum) Parthicum: ad Att. epist. 3. 4. 5. lib. VI.

In Ciliciam) Nunc enim erat Laodiceæ in Asia: ut diximus jam, forum egit ex idib. Feb. ad Kal. Maii.

Illud quod tecum & coram, & per litteras diligentissime egi, id & nunc etiam atque etiam rogo) Cum dixerit, *Illud*, subjungit, *Id*: sic locutus ep. 28. *Illud, quod supra scripsi, id tibi confirmo*: & epist. 26. lib. VII. *Lex sumtuaria ea mihi fraudi fuit*.

EPISTOLA LVIII.

CVm longissime absim) Erat enim in Cilicia.

EPISTOLA LIX.

PEduceano) Ex Peducæa gente in Curtiam adoptato. Excipiatur hoc nomen a regula nominum Romanorum, in *ius* desinentium; omnes enim & lapides, & libri, *Peducæus* habent.

M. Fabium) Opinor eumdem esse, quem commendat Cælio lib. II. ep. 14. & Pæto lib. IX. ep. 25. & Cassio lib. XV. ep. 14.

Cum procul absim) Scripsit igitur: cum esset in provincia.

EPISTOLA LX.

L. *Reguli*) Livineii: ejus enim gentis cognomen Regulus fuit: quod argentei nummi testantur.

Calamitas) Fortasse exsilium: nam & epist. 19. *calamitatem exsilii* nominavit; & epist. 4. lib. XV.

Etiam officiosiorem me facit in illum: nam benevolentior, quam semper fui, esse non possum) Eodem fere modo ad Appium, epist. 12. lib. III. *Benevolentior tibi quam fui, nihilo sum factus: diligentior quidem ad declarandam benevolentiam multo*.

Iis nostris temporibus) Cum exsularet. Quod hic dicitur, comprobatur testimonio epist. 17. ad Att. lib. III. *Livineius, inquit, L. Reguli libertus, ad me a Regulo missus venit, &c.*

Bonam benevolentiam) *Fidelis benevolentia*, dixit ep. 16. lib. IX.

EPISTOLA LXI.

PRoprat.) Bithyniæ: in qua sunt Nicæenses, qui nominantur in epistola.

Mire studioso) *Studiosus*, interdum addito generandi casu dicitur, interdum simpliciter, ut hic, & in epistola ad Titinium: *Quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur*.

Ad H-S ecclogies) Ducenta quadraginta millia scutatorum.

EPISTOLA LXII.

ET in Atilii negotio te amavi) Ab eadem particula orditur epist. ult. & lib. X. epist. 1. & ad Att. epist. 9. lib. I. epist. 7. lib. X.

Sero venissem) In provinciam.

Te in meo ære esse) Meum esse: ducta similitudine a nummorum possessione: epist. 14. lib. XV. *Multi jam anni, cum ille in ære meo est*.

Lamia) L. Lamiæ, de quo vid. epistola 16. libro XI. & epist. 29. lib. XII.

Impudentia prosequor) Quia tibi alios quoque commendo, ut Q. fratrem.

Sarciam) Remunerabor officia tua.

Magnum beneficium tuum) Quod Atilium

tilium adductus commendatione mea conservasti.

EPISTOLA LXIII.

NOn putavi fieri posse, ut mihi verba deessent, sed tamen in M. Lenio commendando desunt) Simile illud ep. 11. lib. II. *Putares ne umquam accidere posse, ut mihi verba deessent? desunt autem propter hanc causam*, &c.

M. Lenio) Brundusino, de cujus officio in Ciceronem vide epist. 4. lib. XIV. & in oratione pro Plancio, & pro Sextio.

Dimisi) Ex provincia.

EPISTOLA LXIV.

NEro meus) Non vulgarem benevolentiæ significationem habet pronomen *Meus*: vide epist. 42. Hic est T. Claudius Nero, cujus uxorem Liviam Drusillam Augustus postea prægnantem abduxit. Matrimonium Tulliæ, Ciceronis filiæ, hoc ipso tempore videtur expetisse: nec recusavit Cicero, sed, quos homines ea de re ad uxorem & filiam miserat, ii Romam venerunt factis cum Dolabella sponsalibus ep. 6. lib. VI. ad Att. Quæstor fuit C. Cæsaris Alexandrino bello: pontifex in locum P. Scipionis substitutus: Colonias Narbonam & Arelate duxit: occiso Cæsare, de præmiis tyrannicidarum referendum censuit: præturam gessit: Antonios in dissensione civili secutus est: postremo pace facta, in urbem reversus, uxorem suam Liviam, ante jam Tiberium, qui postea imperator fuit, enixam, petenti Augusto concessit: nec multo post e vita cessit. Suetonius, Velleius, Dio, alii. *Nero* Sabinum vocabulum est, pro, fortis ac strenuus: ut ait Suetonius.

Ex omni nobilitate) Nerones Claudii, & Pulcri, patricii; Marcelli vero plebeji. Sed nobilitas non a genere patricio, (multi enim patricii nullos gessere, aut male gessere, magistratus: itaque nobiles non fuere) sed a parentum aut majorum virtute sumitur; unde plebeji multi nobiles: ep. 16. *P. Crassum ex omni nobilitate, adolescentem dilexi plurimum*.

Impensius) Vehementius: unde *Impensum pretium*, pro magnum, dixit & hic noster ep 13. lib. XIV. ad Att. & Cæsar lib. IV. bel. Gal.

Magnum theatrum) Ut in theatro spectantur ea, quæ delectant: sic ista provincia spectare & nosse Neronis virtutes, iisque frui potest.

EPISTOLA LXV.

OPeras in scriptura pro magistro dat) Negotia publicanorum curat. Eodem sensu dixit epist. 9. *Est in operis societatis*. *Scriptura* vero est ratio tota publicanorum, qui vel decumas, vel portoria, vel pascua redimunt. Sed hic Terentius videtur non in decumis aut pascuis, verum in portu tantum operas dedisse: nam epistola 10. lib. XI. ad Att. *P. Terentius, meus necessarius, operas in portu, & scriptura Asiæ pro magistro dedit*.

Pactiones) Pro pecunia publicanis debita: nam inter sociorum civitates & publicanos Romanos controversia fere semper oriebatur in exactione vectigalium.

Nos) Cum in provinciam venirem.

Nutu, quod velis, consequare) Ep. 22. *Nutus tuus potest hominem in civitate retinere*.

Hisponem meum) Epist. 42. 64.

EPISTOLA LXVI.

P. Servilio Isaurico) Cognomen accepit a patre, qui de Isauris triumphaverat.

Procos.) Asiæ.

A. Cæcinam) Liciniæ gentis. Plinius lib. XX. cap. 18. ep. 5. lib. VI.

Patris ejus) Patrem Cæcinæ nobilissimum, optimumque virum vocat ep. 6. lib. VI.

Hujus fortuna) Exsulabat, quia Pompeianas partes secutus erat, & Cæsari præterea, scripto libro, maledixerat: ep. 7. lib. VI.

Si Romæ fuisses) In Asia enim fuit, cum Cæsari de salute Cæcinæ, id est, de reditu in urbem, supplicatum est, nec impetratum.

Collegæ tui) Cæsaris, qui secundum consulatum cum Servilio gessit.

Provinciam istam) Asiam.

Veteris negotiationis) Asiaticæ: vide ep. 8. lib. VI.

EPISTOLA LXVII.

EX *provincia mea Ciliciensi*) *Ciliciensi*, non *Cilicia*, dixit, quia non Cilicia tantum, sed Asiæ quoque pars ad eius imperium pertineret: ipse τρεῖς διοικήσεις Asiaticas vocat: eæ fuere, Laodicea, Cibyra, Apamea, quas Appius quoque rexerat, ut ex epistolis lib. III. licet intelligere: quatuor præterea διοικήσεις cum ea provincia tum fuere, Cilicia ipsa, unde tota administratio nomen accipiebat, Pamphylia, Lycaonia, & Phrygiæ majoris pars ultra Mæandrum: qua de re diximus uberius ep. 1. lib. V. ad Att.

Ad meæ vitæ rationem & consuetudinem accommodatum) Epist. 30. lib. I. *Hominem mihi aptum*.

Quam multi) Id est, quam pauci: est enim dictum cum ironia.

EPISTOLA LXVIII.

COllegæ) In auguratu.

Cæsari, collegæ nostro) Non potest esse Cæsar, nisi in auguratu, collega Ciceronis: habuit igitur duo sacerdotia: nam & pontifex maximus erat, quod ex historia patet: auguratus autem cognoscitur ex oratione II. in Antonium, & Dionis libro XLII. Sic Q. Fabius Maximus, ille cunctator, pontifex & augur fuit. Livius lib. XXX. *Augur in locum ejus inauguratus Q. Fabius Maximus filius ejus: in ejusdem locum pontifex (nam duo sacerdotia habuit) Ser. Sulpicius Galba*.

Tuebor) Non, defendam, sed colam.

Patrem tuum) Qui cognomen Isaurici, capta Isauro, adeptus est: periit extrema senectute, eodem anno, quo Cæsar est occisus.

EPISTOLA LXIX.

L*Ibertus Postumii*) Et *Postumii*, & *Postumi*, est in veteribus libris. Si, *Postumii*, legas, non videbitur Mithres a patrono suo nomen accepisse, cum vocetur Curtius: itaque fortasse rectius, *Postumi*, legetur; quod fuerit C. Curtii cognomen: unde postea libertus C. Curtius Postumus Mithres dictus sit: quamquam siletur interdum novum cognomen, & vetus nomen ponitur, ut hic C. Curtius Mithres, & ep. 70. T. Ampius Menander.

In Asia) Ephesus autem, ubi habitabat Mithres, in Ionia est; Ionia vero in Asia. Varro lib. IV. de Ling. Lat. *Ut Asia, sic cælum dicitur duobus modis: nam & Asia, quæ non Europa, in qua est Syria; & Asia dicitur prioris pars Asiæ, in qua est Ionia, & provincia nostra Cilicia*.

Hæc ad te eo pluribus scripsi, ut intelligeres, &c.) Sic epist. 68. cum præposuisset commendandi causas, intulit: *Hæc propterea scripsi, ut me non sine causa laborare intelligeres*.

Gravis) In petendo epist. 76. *Numquam me gravem vobis esse voluisse*.

EPISTOLA LXX.

TRibuo non numquam in vulgus) Alienos etiam interdum commendo.

T. Ampio Balbo) Ep. 12. lib. VI.

Frugi) *Frugi* & *nequam*, opponuntur: est autem propria laus in servo, & in liberto: sed transfertur etiam ad ingenuos: & in rege quoque Deiotaro frugalitatem Cicero laudavit: nam in oratione pro illo habita: *Omnes*, inquit, *sunt in illo regiæ virtutes, sed præcipue singularis & admiranda frugalitas*.

EPISTOLA LXXI.

MVltos tibi commendem, necesse est) Sententia eadem, non iisdem verbis, initio superioris epistolæ.

Ille miserrimo tempore) Exsilii mei.

EPISTOLA LXXII.

CÆrelliæ) Hæc mulier, Philosophiæ dedita, valde Ciceronem observavit, ejusque scripta libenter legit: epist. 21. ad Att. lib. XIII. *Mirifice Cærellia, studio videlicet Philosophiæ flagrans, describit a tuis: istos ipsos de finibus habet*. Dio lib. XLVI. Caleni verba recitat, lascivam, ac libidinosam cum Cærellia consuetudinem Ciceroni exprobrantis.

Nomina) Pecuniam illi debitam.

Quæ

Quæ tua fides præstetur) Qui justitiam & dignitatem reip. tuetur, fidem servat.

Interpretabere) Judicabis, an eam, quam ego arbitror, facultatem habeas ex eo S. C. Cærelliæ commodandi.

EPISTOLA LXXIII.

Q. *Philippo*) Marciæ gentis: opinor eum esse, qui belli civilis anno primo tribunus pl. fuit. Cæsar. lib. I. Bel. Civ.

Procos) Suspicor hoc verbum abundare, & additum ab aliquo, qui putavit, cum in sequentis epistolæ inscriptione *Proconsul Philippus* vocetur, multo magis in hac, quæ ordine antecedit, vocari debere: cum perversus (ut jam diximus) ordo sit, & illam, quæ sequitur, huic omnino præponendam esse constet. Quo modo enim proconsul appellari potest, cum in urbem, deposito imperio, redierit? In urbe enim potius Philippum esse, quam ad urbem, facilè credo, cum dicat Cicero: *Quod si Romæ te vidissem, coram gratias egissem*: Et quia qui ad urbem morabantur, triumphum expetebant; cujus rei nulla fit mentio in epistola: nec vero triumphavit umquam hic Q. Philippus.

Ex provincia) Asia: in qua negotiabatur L. Oppius, qui nominatur in hac, & commendatur in sequenti epistola: supra, epist. 43. *L. Oppius Philomeli negotiatur*. Philomelum autem quis nescit in Asia fuisse? præterea L. Egnatii, qui cum Oppio hic nominatur, Asiatica negotia nominantur epist. 45.

Nisi illud) *Nisi*, pro *Sed*, ut epist. 1. *Nisi tamen multo minus tibi concedi potest, quam illi, laborare sine causa*.

Facere possis) Quid tibi liceat per existimationem tuam: nam de voluntate non dubito.

EPISTOLA LXXV.

T. *Egnatio*) Rei frumentariæ præposito: ut infra cognoscitur.

Obsequor homini familiarissimo) Infra: *Illius voluntati obtemperans*.

De loco, & de tempore) Utrumque cupiebat Avianus, ut frumentum suum in opportunum locum deferre, tantumque temporis habere posset, quantum ad eam rem satis esse videretur.

Dum Pompeius isti negotio præfuit) Non triennium, sed quinquennium frumentario negotio præfuit Pompeius: notat igitur Cicero tempus, non quo Pompeius eam curam gessit, sed quo beneficium Aviano impetravit.

EPISTOLA LXXVI.

Q*Vatuorviris & decurionibus*) Fregellanis. Fregellæ, colonia fuit deducta: ostendit Velleius, anno urbis 424. quatuorviri igitur non modo municipiis, verum coloniis quoque præerant, item ut consules Romæ: quamquam & duumviri in plerisque coloniis, atque adeo in nonnullis municipiis fuere: quod lib. I. de Antiquo Italiæ Iure Carolus Sigonius egregie docuit.

Decurionibus) Vide epist. 18. lib. VI.

. *C. Valgium Hippianum*) Q. Hippii, supra nominati, filium naturalem, adoptatum autem a C. Valgio, a quo prænomen & nomen, vetere producto nomine, accepit.

EPISTOLA LXXVII.

P. *Sulpicio*) Bernardinus Rutilius, qui opiniones quasdam suas in Familiares, ut vocant, Ciceronis epistolas, me puero, edidit, legendum arbitrabatur, *P. Vatinio*, adductus in hanc sententiam ea ratione, quia Cicero de servo suo Dionysio scribit in hac epistola: de quo item Vatinius ad Ciceronem in duabus, 9. 10. lib. V. & ad eum Cicero epist. 11. ibidem. Sensit idem postea Corradus in suis scholiis: Mihi non satis neque Rutilii, neque Corradi sententia, quam alii postea secuti sunt, probatur: nam, ut illud omittam, quod hæc hujus epistolæ verba: *Salvo jure nostræ veteris amicitiæ*: & quæ sunt infra: *Pro tuo perpetuo in me studio*: non videntur in Vatinium convenire, cujus erga Ciceronem perpetuum certe studium non fuerat, inimicitiis, oratione adversus eum notissimis, interruptum: ut hoc, inquam, omittam, quod exigui ponderis non est: valde

me movet ea ratio, quod post supplicationem decretam scribit Cicero de servo suo ad Sulpicium: at Vatinio decreta supplicatio videtur Octobri mense, ut ex epist. 10. lib. V. non dubiam facere conjecturam licet. Scripsit enim Vatinius Nonis Dec. eam epistolam, cum de supplicatione decreta jam e Ciceronis litteris cognovisset; ante Novembrem autem alteram ejusdem epistolam acceperat Cicero, datam v. id. Quint in qua de fuga servi Dionysii se audivisse significavit: quod cum ita sit, cui verisimile videatur, hanc epistolam, Sulpicio inscriptam, in qua de supplicatione decreta fit mentio, ad Vatinium de Dionysii fuga, multo ante supplicationem ei cognita, ut ignota de re missam esse? Ad hanc rationem accedit altera, ipsa quoque, ut arbitror, non contemnenda. Nam cum Cicero supplicationem decretam Sulpicio significat, eodem tempore M. Bolanum commendat. Vatinius autem in epistola sua de supplicatione sibi decreta respondens, verbum de Bolano nullum facit. Consensum omitto veterum librorum, quibus in omnibus perspicue scriptum video, ne una quidem littera veritatem obscurante, *P. Sulpicio*. Restat illa dubitatio: cum in Vatinii imperio urbs Narona fuerit, ut ex ipsius epistolis intelligitur, qui possit eadem urbs esse in imperio Sulpicii. Placere video doctis viris id, quod ego quoque semper existimavi, Vatinii, qui tribunatum e Cæsaris primum consulis voluntate gesserat, & Sulpicii, qui ejusdem Cæsaris legatus fuerat in Gallia, communem fuisse provinciam Illyricum: & eo magis, quod iidem in re quoque maritima contra Octavium Pompeianum in Illyrico præclare gesta, collegæ fuerant: ut apud Oppium scriptum est. At Vatinium de Illyrico sine Sulpicio triumphasse, fasti docent: ex quo sequi videtur, ut solus Illyrico præfuerit. Hoc refellere non difficile est: potuit enim toto triennio, quo Vatinius Illyricum administravit, id est a quarto Cæsaris consulatu ad Lepidum & Plancum consules, aliquid in provincia Sulpicius offendere, aut a Cæsare ipso revocari, aut post obitum Cæsaris ab Octaviano rerum potito: potuit ante Lepidi & Planci consulatum interire: fortasse etiam hunc honorem Octavianus, cum omnia non jure, non more, sed ex dominantium libidine gererentur, uni Vatinio gratiæ causa largiri voluit.

His temporibus) Amissa libertate: ut bono civi, quæ de rep. sentit, sine periculo dicere non liceat.

Existimationi, aut dignitati) Plus est *dignitas*, quam *existimatio*: nam *dignitas* honoribus comparatur: *existimatio* ad privatæ quoque vitæ laudem spectat: itaque distinguuntur in epistola quoque ad M. Brutum: *Respondi id, quod sentiebam & dignitati, & existimationi tuæ maxime conducere*.

Servus meus) Anagnostes: epist. 9. lib. V.

Multorum nummorum) Magni pretii; ita locutus & in Ver. lib. IV. *Signum a sociis pecuniæ magnæ sustulit*.

Naronæ viderunt) Hoc Vatinius non audivit, cum Naronæ tamen satis diu fuerit; sed eum cum Vardæis esse: quod mirari licet: quamquam & fieri potest, & sæpe contingit, ut longinqua sciamus, quæ propinqua nescimus.

EPISTOLA LXXVIII.

Alieno procos.) Proconsul vocatur, nondum tamen gesto consulatu. Oppius in libro de bello Africo modo prætorem, modo proconsulem vocat, utrumque more: epist. 17. lib. II. Præerat autem Siciliæ Allienus, ut idem Oppius ostendit, & ex epistola sequenti cognoscitur. Allienus opinor gentis nomen esse, ex iis, quæ a desinentibus in *ius* excipiuntur, ut a Vibio *Vibienus*, a Matio *Matienus*, sic ab Allio *Allienus*. Alliam autem gentem in Commodo Lampridius nominat.

Sicyonius) A Sicyone, Achaiæ urbe.

Et colit, & observat) *Colit*, honore: *observat*, assiduitate & officio. Colimus etiam ea, quæ oculis non cernimus, ut Deum; observamus tantum ea, quæ sub oculos cadunt, ut homines: itaque, & Deum, & homines colere, proprie dicitur; *observare Deum*, non dicitur.

Munio) Pro Cluentio: *Ut ad hoc nefa-*

nefarium facinus accederet, *aditum sibi aliis sceleribus ante munivit*. *Munire viam*, proprie dicitur: ad alia multa transfertur: quod Ciceronis exempla declarant.

Quae tua natura est) Simile illud epist. 5. lib. IV. *Qui illius amor in te fuit*. Ad quem locum exempla contulimus.

Complectare, *diligas*, *in tuis habeas*) Nihil otiosum: plus enim est, *Diligas*, quam *Complectare*: plus, *In tuis habeas*, quam *Diligas*: non enim, quos complectimur, semper diligimus. neque, quos diligimus, semper in nostris habemus.

EPISTOLA LXXIX.

ET *te scire arbitror*) Simile principium epist. 62. & ad Att. epist. 9. libro primo: epist. 7. lib. X.

C. Avianum Flaccum) *Avianus* Æmiliorum cognomen fuit, epist. 21. *Flaccus* Valeriorum: fortasse igitur hic gemino cognomine utebatur, quia, cum esset Valeriae gentis, adoptione transiit in Æmiliam, ita & vetus remansit, & novum cognomen accessit. Perierat autem, cum haec epistola scripta est. epist. 35.

Quanti fecerim) Suum familiarissimum vocat epist. 35.

Quam a te liberaliter esset tractatus) Vixit igitur Allieno Siciliam obtinente.

Dignitatem) Vel ipsius propriam, vel familiae.



PAVL-

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN EPISTOLAM I. LIBRI XIV.

TIronem patroni sui Ciceronis epistolas eo, quo passim leguntur, ordine collocasse, proditum est, id ego non libenter credo: libenter enim eum, quem Cicero ipse & vehementer dilexit, & laudavit sæpe ut litteratum, ac diligentem, gravi negligentiæ culpa libero. Feramus illud, atque etiam probemus consilium, quod eas epistolas, quæ ad unum scriptæ sunt, puta ad Lentulum, Cœlium, Appium, aliosve, simul omnes voluerit conjungere, & rationem habere personarum potius, quam temporum: cum satis constet, si tempora spectentur, interponi debuisse multas: sed peccasse eum in iis ipsis, quas eidem inscriptas aggregabat, nec vidisse ordinem, quem vel adscripta cuique dies: vel argumentum ostendebat, magnopere miror. Quid, quod in iis disponendis, quas ad ipsum scripserat Cicero, item ut in aliis peccavit? quod vitium quia non licet excusare, libenter, ut dixi Tirone absoluto, quemvis alium condemnaverim; quis est autem, qui nesciat, cum ad intelligentiam, tum ad memoriæ diuturnitatem pertinere plurimum, si, quo gestæ scriptæve sunt, eodem res ordine cognoscantur? itaque operæ pretium esse duxi, has ad Terentiam epistolas per annos digerere, ordine servato, quem docti homines ante nos & viderunt, & rationibus probarunt. Prima est, quam scripsit in exsilio, anno urbis

DCXCV. Pisone & Gabinio coss. *Ego minus sæpe*) pridie Kal. Maj.
Noli putare. In exsilio: III. non. Oct.
Et litteris multorum. In exsilio, VI. Kal. Dec.
Accepi. In exsilio, pridie Kal. Dec.

DCCIII. Paullo & Marcello coss. *Si tu, & Tullia, lux nostra*. Cum ex provincia rediret, XV. Kal. Nov.

DCCIV. Lentulo & Marcello coss. *Considerandum*. Cum ortum esset civile bellum, & oræ Campanæ Cicero præesset, IX. Kal. Feb.
Vestrum jam consilium est. Postridie, Minturnis.
Omnes molestias. Cum ad Pompeium in Græciam navigaturus esset. VII. id. Iun.

DCCV. Cæs. II. Servilio coss. *Valetudinem tuam*. In castris Pompeii. IV. non. Iun.
Da operam. In castris Pompeii.
Nec sæpe est. In castris Pompeii. Idibus Quint.
Quod non. Brundusii, cum in Italiam Cicero post Pharsalicam pugnam venisset. pridie non. Nov.
In maximis. Brundusii.
Ad ceteras. Brundusii.
Si quid haberem Brundusii.

DCCVI. Cæsare dictatore iterum, nondum creatis consulibus. *Et si ejusmodi* Brundusii, pridie non. Iun.

Tullia

Tullia nostra.	Brundusii,	XVII. Kal.	Quinct.
Constitueramus.	Brundusii,	XII. Kal.	Quinct.
Quid fieri placeret.	Brundusii,	VII. id.	Quinct.
Quod scripsi.	Brundusii,	VI. id.	Quinct.
Nos neque.	Brundusii,	IV. id.	Quinct.
Redditae.	Brundusii,	pridie id.	Sept.
Nos quotidie.	Brundusii,	Kalendis	Sept.
In Tusculanum.	Brundusii,	Kalendis	Oct.

EPISTOLA I.

TErentiae) Haec quater nupsit, Ciceroni, Sallustio historico, Messallae Corvino, Vibio Rufo. Dio lib. LVII. & Divus Hieronymus lib. I. adversus Iovinianum. Vixit annos CIII. Plin. lib. VII. cap. 48.

Cum primum sapere coepit) Hoc tempore annum agebat aetatis suae Cicero filius octavum, natus enim erat Cotta & Torquato Coss. ut ex epist. 1. lib. I. ad Atticum licet intelligere.

Ab iis me amari putabam, qui invidebant) Carpit Pompeium, Hortensium, Arrium, & alios; qui auctores ei fuerunt, ut Clodio tribuno pleb. cederet, ne civilis contentionis causa esset; hos designat epist. 10. lib. III. ad Attic. cum ait: *Hic utrum tandem sum accusandus, quod doleo; an, quod commisi, ut haec aut non retinerem (quod facile fuisset, nisi intra parietes meos de mea pernicie consilia inirentur) aut certe vivus non amitterem?* Et ibidem, ep. 13. *Quod scribis, te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi vero mens integra est, atque utinam tam in periculo fuisset, cum ego iis, quibus meam salutem carissimam esse arbitrabar, inimicissimis, crudelissimisque sum usus: qui ut me paullum inclinari timore viderunt, sic impulerunt, ut omni suo scelere & perfidia abuterentur ad exitium meum.* Et epist. 15. ibidem: *Quod si quisquam fuisset, qui me, Pompeii minus liberali responso perterritum, a turpissimo consilio revocaret; aut occubuissem honeste, aut victores hodie viveremus.* Et in eadem infra: *Proditus, inductus, conjectus in fraudem, omnia mea praesidia neglexi, totam Italiam, in me erectam ad me defendendum, destitui & reliqui.* Et ep 19. ibidem: *Si me a meis consiliariis proditum & projectum vides.* Et. epist. 3. lib. I. ad Q. fr. *Quantum Hortensio credendum sit, nescio: me summa simulatione amoris, summaque assiduitate quotidiana sceleratissime insidiosissimeque tractavit, adjuncto quoque Arrio: quorum ego consiliis, promissis, praeceptis destitutus in hanc calamitatem incidi.*

Eos non sequebar, qui petebant) L. Lucullum praecipue significat, qui suasit, ut armis cum Clodio decertaret potius, quam in exsilium iret. Plutarchus. Vel hoc de Caesare dixit: a quo delatam legationem accipere noluit, ep. 3. *Meum fuit officium, legatione vitare periculum*; & ad Atticum epist. 18. lib. II.

Nostris consiliis) Vt pugnarem potius, quam e patria discederem.

Dabo operam, ne mea valetudo tuo labori desit) Dabo operam, ut valeam: ne tu pro mea salute frustra laborem suscipias.

Quanto fuerit facilius, manere domi, quam redire) Epistola tertia: *Ejicere nos magnum fuit, excludere facile est.*

Omnes tribunos pl.) Designatos; nondum enim magistratum inierant: octo tribuni pl. Ciceroni opem tulerunt, T. Milo, P. Sextius, C. Sextilius, M. Cispius, T. Fadius, M. Curtius, C. Messinius, Q. Fabricius: qui nominantur in oratione post reditum in senatu: duo reliqui, partium Clodianarum, Sex. Atilius Serranus, Numerius Quintius fuere: quos in oratione in Pisonem, de lapide emtos Cicero ait: quia mercede id faciebant, ut Ascon. interpretatur.

Lentulum) P. Lentulum, consulem designatum: qui postea de reditu Ciceronis legem centuriatis comitiis tulit.

De familia) De servis: quos postea liberavit, veritus ne cum ceteris bonis publicarentur; epist. 4.

Plancius) Cn. Plancius, quaestor in Macedonia: pro quo exstat oratio; vide & eam post reditum in senatu habitam.

Me

Me cupit esse secum & adhuc retinet) Epist. 22. lib. III. ad Atticum : *Me adhuc Plancius liberalitate retinet, jam aliquoties conatum ire in Epirum; spes homini est injecta, non eadem, quæ mihi, posse nos una decedere: quam rem sibi magno honori sperat fore; sed jam cum adventare milites dicentur, faciendum nobis erit, ut ab eo discedamus.*

Loco magis deserto) Ut ignoraretur a militibus.

Hispo) Centurionis fortasse nomen. Hisponem quemdam nominat Quinctilianus lib. VI. cap. de risu. Hic nonnulli veteres libri habent, *Ipso*: alii *Ipse*: quinque nostri, *Hispo*. Ex hac varietate legendum fortasse, *Piso*, vel potius, *Ipse*: ut de eodem accipiatur: cujus nomen omitti potuit, cum Terentiæ litteris, L. Pisonem, Ciceronis inimicum, ejus anni consulem, ad Macedoniam regendam propediem iturum significantibus, responderet; nominare enim, qui consul adhuc erat, non audebat.

Milites) A L. Pisone in Macedoniam præmissi, quorum ipse opera proconsul uteretur; epist. 3. *Cum inimici nostri venire dicentur, tum in Epirum ibo*.

Pisonis) C. Calpurnii Pisonis L. F. Frugi, Ciceronis generi: qui periit ante reditum, quam ab exsilio Cicero rediret: ut in duabus post reditum orationibus.

Et voluptati sit) Quam voluptatem capiat me restituto, quod non evenit.

Volui esse quam conjunctissimos) Discordiæ igitur aliquid inter Q. fratrem, & Terentiam exstiterat.

Agere gratias) Quod optime sint erga me animati, operamque suam conferant ad salutem meam.

Vicum venditurum) Ut mihi pecuniam suppeditare possis.

Quid puero misero fiet) Quibus facultatibus, me afflicto, sustentabitur?

Efficere) Id quod effici opus est, ut ego in hac misera fortuna non egeam.

Per fortunas miseras nostras) Vide, quæ diximus epist. 16. lib. VIII.

Ne puerum perditum perdamus) Perditum, calamitate nostra: perdamus, vico vendito, & rei familiaris jactura.

Et mediocri fortuna) Virtuti fortunam adjungit: ut epist. 3. lib. X. *Omnia consecutus es, virtute duce, comite fortuna.*

Iam brevis exspectatio est) Fore arbitror, ut brevi litteras vestras accipiam.

Libera) Sui juris: ut in ea Romani exsules tuto esse possent.

In me officiosa) Quia semper a me defensa, epist. 3. & ad Att. epist. 22. lib. III. *Ego, quod mei studiosos habeo Dyrrhachinos, ad eos perrexi; cum illa superiora Thessalonicæ scripsissem*. In oratione pro Plancio: *Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi*.

Alio me conferam) In Epirum se contulit; epist. 3. & epist. 22. 23. ad Atticum libro III.

EPISTOLA II.

Nec hoc tempore quidquam difficilius facio) Abhorret enim a scribendo fractus malis, & dejectus mœrore animus.

Præstare) Efficere.

Nisi tam timidi fuissemus) Timorem suum accusat, quod e patria discedere maluerit, quam armis decertare.

Pisonem nostrum) Generum.

Cohortatus sum) Ne intermittat officia sua.

Novis) Designatis.

Crassum) Quem Publius filius cum Cicerone in gratiam reduxit. Plutarchus.

Fortissime) Superiore epistola Terentiæ virtutem & fortitudinem laudavit, quæ nec animi, nec corporis laboribus defatigaretur.

Mœreo casum ejusmodi) Cum accusandi casu, ut Tusc. I. *Cum graviter filii mortem mœreret*.

Ut tantis tuis miseriis meæ miseriæ subleventur) Non dissimile illud epist. 21. lib. XVI. *Ex meis angustiis illius sustento tenuitatem*.

P. Valerius) De hoc Phil. I. *Cum intempesta nox esset; mansissemque in villa P. Valerii, comitis, & familiaris mei*.

A Vesta) A templo Vestæ. Plautus in Pœn. *Quo te agis? Ad. ego ne? in Veneris*. Terentius in Adel. *Ubi ad Dianæ veneris, ito ad dextram*: & pro Milone: *Cum falcibus ad Castoris, cum gla-*

gladiis toto foro volitarunt. Græca figura.

Al Tabulam Valeriam) Locus in foro fuit, quo tribuni pleb. convenire soliti sunt. In Vatinium: *Cum eum tu consulem in vincula duceres, & a Tabula Valeria collegæ tui mitti juberent*. Fuit etiam *Tabula Sextia*, quæ nominatur in oratione pro Quintio, his verbis: *Ipse suos necessarios ab atriis Liciniis, & a faucibus macelli corrogat, ut ad Tabulam Sextiam sibi adsint hora secunda postridie: veniunt frequentes: testificatur iste, P. Quintium non stitisse, & se stitisse: tabulæ maximæ signis hominum nobilium consignantur: disceditur*. Quibus verbis locum fuisse cognoscitur, ubi jus diceretur: quod si ita est, de Tabula Valeria idem existimare possumus.

Opem petere) Vt, ea intercedente, patrocinio Ciceronis uterentur.

Et sordibus) Sordes mœrorem consequuntur: affecto enim graviter animo, nec de munditie corporis, nec de nitore & elegantia vestis laboramus.

Qui ceteros servavi, ut nos periremus) Cum indignatione dictum: nam, si perit is, qui ceteros servavit; quid iniquius? servatos autem a se cives suos Catilinæ conjurationis tempore, & hic, & alibi vere Cicero gloriatur.

De area) Eversa enim domo, area supererat: quæ postea reverso in patriam Ciceroni restituta est, & superficies æstimata.

Hac) Vt restituantur nobis ea, quæ amisimus.

Quæ impensa facienda est, in ejus partem te, miseram & despoliatam venire) Veteres libri, quos quidem ego viderim, *Te*, non habent, & videtur subaudiri posse.

Si conficitur negotium) Si restituor.

Omnia consequemur) Resarcietur omnis jactura.

Reliquias tuas) Quæ tibi facultates reliquæ sunt, amissis meis.

Valetudinem istam, infirmam) Vixit tamen ultra centum annos: ut diximus.

Timeo, ut sustineas) Timeo, ne sustinere non possis: eodem modo ep. 14. *Vereor, ut Dolabella ipse satis vobis prodesse possit*: pro: Vereor, ne non satis prodesse possit. Vide illud ep. 1. lib. II. *Non enim vereor, ne non scribendo te expleam*.

III. non. Oct.) Ergo scripta est ante superiorem, sicuti ante hanc ea, quæ incipit, *Ego minus*: ut quartus locus ei tribuatur, cujus initium est, *Accepi*: quod adscripta dies indicat.

EPISTOLA III.

Legatione vitare periculum) Nam si legationem, a Cæsare, Galliæ proconsule, delatam, accepisset, Clodii tribuni plebis furorem vitasset: diem enim ei dicere, qui reip. causa abesset, non licebat: epist. 18. ad Attic. libro II. *A Cæsare valde liberaliter invitor in legationem illam, sibi ut sim legatus: atque etiam libera legatio voti causa datur. Sed hæc & præsidii apud furorem Pulchelli non habet satis, & a fratris adventu me ablegat: illa & munitior est, & non impedit, quo minus adsim, cum velim*.

Virtutem) In resistendo.

Ejicere nos magnum fuit, excludere facile est) Epist. 1. *Intelligo, quanto facilius fuerit, manere domi, quam redire*.

Frui liceat) Non licuit: ante reditum Ciceronis obiit.

In primis quidem diebus) Primus dies tribunatus pl. erat quarto idus Dec. ut Dionysius docet.

Vt quam celerrime, quid agatur, audiam) Est enim civitas Italiæ proxima: epist. 1.

Si perficitis, quod agitis) Epist. 2. *Si conficitur negotium*.

Sin autem: sed nihil opus est plura scribere) Ἀποσιώπησις: ut Virg. lib. I. Æn.

Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.

Magis jam rem, quam litteras) Dixit supra: *Spes reliqua est in novis tribunis pl. & in primis quidem diebus: nam si inveterarit, actum est*.

EPISTOLA IV.

Quod utinam minus vitæ cupidus fuissem) Quod pro *Sed*: ut epist. 14. lib. VIII. *Quod non dubito, quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura*. Et Philipp. X. *Quod qui ab illo abducit exercitum, & respe-*

ctum pulcherrimum, & præsidium firmissimum adimit re p. Et in Verr. lib. I. Quod vos oblitos non arbitror, quæ multitudo ipsum accusat, qui Clodianis armis cesserit. Infra: Peccatum est nullum, nisi quod non unam animam cum ornamentis amisimus. Epist. 2. Nisi tam timidi fuissemus, præstitissem.

Fixa sunt) Perpetuo eadem futura: infra: *Sin, ut ego metuo, transactum est*.

Quos ego servavi semper) Sic unus antiquus liber: omnes reliqui: *Quibus ego servivi semper*, quod magis placet.

Nobis gratiam retulerunt) Qui nos immerentes opprimi passi sunt.

M. Lenium Flaccum) Vide epist. 63. lib. XIII. Et in Oratione pro Plancio, & pro Sextio.

Legis improbissimæ) Clodiæ: quæ pœnam irrogabat iis, qui Ciceronem tecto recepissent intra CD. millia passuum: epist. 4. ad Attic lib. III. & in Oratione pro Domo.

Ad V. Kal. Majas) Ad II. Kal. Majas, legendum esse constat ex die extremæ epistolæ adscripta: & ex ep. 7. ad Att. lib. III.

Per Macedoniam Cyzicum petebamus) Epist. 6. ad Att. lib. III. *Nobis iter est in Asiam, maxime Cyzicum*.

Eam confirmes, & rem adjuves). Sic veteres libri, & recte. *Confirmare spem*, dixit Cicero in Divinatione.

Transactum est) Actum est: spes nulla superest; supra: *Sin hæc mala fixa sunt*.

Quid de Tulliola mea fiet) Cum ita sit in meis omnibus antiquis libris; non video, cur mutem. Etsi scio: *Quid Tulliola mea fiet*, quod ad Latini sermonis consuetudinem attinet, recte legi posse: ut epist. 1. ad Att. lib. VI. *Quid illo fiet, quem reliquero?*

Matrimonio) Dixi jam, hoc tempore uxorem C. Pisonis Tulliolam fuisse, ejus doti, & famæ, se absente, Cicero timebat.

Ceterorum servorum ea causa est) Veritus Cicero amissionem servorum cum tota re, manumisit eos hac conditione, ut, si per legem Clodiam bonis omnibus privandus esset, ii suo beneficio liberti essent, si modo id obtineri posset: sin autem lex servos non adimeret, &, ut ad veterem dominum pertinerent, concederent, servirent, ut antea, præterquam paucissimi, quos ob fidem, & diligentiam omnino liberatos vellet. Dixit autem, *ceterorum servorum*, cum de suis loqueretur; nam ex Terentiæ servis neminem manumiserat: (neque enim poterat) tantum iis, eam facturam esse, ut quisque esset meritus, promiserat. Hic locus in omnibus libris impressis mendose legebatur: nos cum distinctione tantum restituimus.

Tempestatem) Facultatem navigandi.

Clodium Philetærum) Libertum, qui cum serviret, Græco nomine Philetærus, quasi *amator amicorum*, vocabatur.

Sallustius) Fortasse is, de quo epist. 11.

Officio vincet omnes spes) Mutationem sententiæ non requirit, præsertim confirmata non uno, aut altero, sed omnibus veteribus libris: bene speravimus, inquit, de Sallustio: sed ille officio vincet omnes spes. Novum autem, vel absurdum videri non debet, *Vincere spes*, neque quod ad sententiam, neque quod ad loquendi genus attinet Eodem modo, *spem summam civium virtute superare*, dixit in libro de Amicitia. *Spes* autem, numero multitudinis, & apud Ciceronem ipsum, & apud alios usitatum est.

Sicæ) Cujus in fundo Vibonensi fuerat: vide epist. 2. & 4. ad Att. lib. III.

EPISTOLA V.

A*Castus*) Servus Ciceronis: ep. 9. lib. VI. ad Att. *In Piræea cum exissem pridie idus Oct. accepi ab Acasto, servo meo, literas*.

Uno & Vicesimo die sane strenue) Similiter epist. 18. lib. XIV. ad Attic. *Tuas litteras vesperi acceperam in Pompeiano, sane celeriter, tertio abs te die*. Ad Attic. epist. 4. lib. XVI. *Magis commode, quam strenue, navigavi*.

Sive nos ipsos) Erant enim cum ipso, filius, pater, fratris filius.

Ad arma rem spectare) Propinquum videri bellum, quod postea gestum est inter Cæsarem & Pompeium.

Quando subeunda fortuna est) Cum for-

fortunam impendentem vitare non liceat. *Fortunam* vocat, quia cum offensionem vel Cæsaris, vel Pompeii non possit effugere, aleæ se committere videtur in dicenda de rep sententia.

Camillus) Epist. 15. & epist. 20. lib. V.

EPISTOLA VI.

CIcero S. D. Terentiæ suæ) Sic quatuor veteres libri, quos secuti sumus: unus, *Terentiæ*, & *Tulliæ*: duo, *Suis S. D. M. Cicero*: quos non probamus; cur enim aut eorum nomen, ad quos scribit, aut etiam suum Cicero occultaret, non video: quasi vero manus illius a multis agnosci non posset: aut cujus servus esset Pollex, qui nominatur in extrema epistola, reperiri difficile esset: præterea cur inscribatur, *Suis*: cum ad unam Terentiam epistola mittatur? quod illa indicant, *Ex tuis litteris*: &, *Nostra tibi gratias agit*: &, *Pollicem extrudas*. Non enim huic sententiæ illud advertatur, quod, quasi plures alloquatur, ait: *Videatis, velim, quo modo satisfiat ei, cui scitis me satisfieri velle*; vult enim Terentiam ea de re cum amicis consilium capere.

Nostra) Fortasse Tulliola.

Pollicem) Epist. 45. ad Attic. lib. XIII. *Pollex, ut dixerat, mihi Lanuvii præsto fuit, sed plane Pollex, non index*. Placuit hunc locum recitare: ne, *Pollucem*, ut antea legendum aliquis putaret.

EPISTOLA VII.

XOλὴν ἄκρατον.) *Bilem puram*, ex qua oriebantur molestiæ & sollicitudines.

Ejeci) Evomui.

Pie & caste) Pia mente, casto corpore.

Id est Apollini & Æsculapio) Glossema hoc esse interdum putavi. Apollinem vero, & Æsculapium ideo nominat, quia præesse illos curandis morbis antiquitas credidit.

Cicero) Filius; nam & is ad bellum cum patre profectus est: eumque Pompeius alæ equitum alteri præfecit. Off. lib. II.

EPISTOLA VIII.

IV. non. Iun.) Hæc dies ostendit, epistolam scriptam esse altero belli civilis anno, cum esset in castris Pompeii; nam hæc omnino post superiorem videtur scripta. Quod si ita est, certe anno sequenti, alioqui dies utrique adscripta priorem hanc esse indicaret; prior autem non est, quia, postea quam a Terentia discessit, statim de vomitione sua significavit VII. id. Iun.

EPISTOLA IX.

TVlliæ) Epist. 6. ad Att. lib. XI. *Tulliæ meæ morbus & imbecillitas corporis me exanimat*.

EPISTOLA X.

VEnit ad me) Brundusium: vide epist. 17. ad Att. lib. XI. Plutarchus ait, præter alias causas, quibus adductus Cicero divortium cum Terentia fecit, hanc maxime fuisse, quod nec ipsa ad eum Brundusium iverit, & euntem Tulliolam tenui viatico instruxerit.

Negligentia) Curare enim diligenter debui, ut meliore fortuna talis filia uteretur: epist. 17. ad Attic. lib. XI. *Incredibili sum dolore affectus, tale ingenium in tam misera fortuna versari, idque nulla ipsius delicto, summa culpa mea*.

Pietas). Erga patrem: ad quem longo itinere profecta est, ut animi dolore perturbatum adspectu & sermone suo consolaretur. *Pietas* quam late pateat, diximus epist. I. lib. I.

Dignitas) Dignitas est in feminis ob claritatem virorum; ut cum uxores, aut filiæ, aut sorores consulum, aut consularium sunt: ep. 14. ad Att. lib. VII. *De mulieribus nostris quæso videas, ut satis honestum nobis sit, eas Romæ esse; cum ceteræ ullæ dignitate discesserint*.

Ciceronem ad Cæsarem mittere) Qui peteret, ut ei, quod Pompeium in bello secutus esset, ignosceret: ep. 17.

17. 18. ad Attic. lib. XI. *Ego cum Sallustio Ciceronem ad Cæsarem mittere cogitabam ; Tulliam autem , non videbam esse causam ; cur diutius tanto in communi mœrore retinerem .*

XVII. Kal. Quint.) Scripta igitur est ante superiorem .

EPISTOLA XII.

PErturbati dolore animi , magnisque injuriis) Epist. 6. ad Attic. lib. XI. suam in Italiam nimis celerem profectionem excusat his verbis : *Quæ me causæ moverint , quam acerbæ , quam graves , quam novæ, coegerintque impetu magis quodam animi uti , quam cogitatione , non possum ad te sine maximo dolore scribere* . Injurias , quas hic significet , non intelligo : nisi si , quod ei filius Pompeii Magni , quia victi exercitus dux esse recusaret , mortem minitatus est , ut ait Plutarchus . Vel injurias vocat fratris , ejusque filii in se malevolentiam (epist. 5. ad Atticum libro undecimo) Vel interpretatur , injuria se affectum ab iis , quorum consilio in Italiam venerit , detrusus de sua sententia : ut epist. 16.

Quod non facile explicare possimus) Quod exitum non habeat , quod e sententia non succedat : epist. 1. ad Attic. lib. XIV. *Nihil perditius , explicari rem non posse ; etenim si ille tali ingenio exitum non reperiebat , quis nunc reperiet ?*

Adjuva) Vt mihi Cæsar ignoscat , quod & adversus eum arma ceperim, & ejusdem injussu in Italiam venerim : epist. 6. ad Attic. lib. XI. *In oppido mallem resedisse, quoad arcesserer.*

EPISTOLA XIII.

DE nuncio remittendo) Vt doti Terentiæ caveretur , convenerat inter eos de nuncio remittendo , id est , de divortio faciendo , quod tamen postea revera factum est : quia res domesticas Cicero nihilo meliores , quam publicas , post bellum Pharsalicum ad urbem reversus offendit : epist. 14. lib. IV. & ad Attic. epist. 23. lib. XI. *Placet mihi , & idem tibi , nuncium remitti .*

Istius) Cæsaris ex Ægypto redeuntis .

Vis) Impetus ; non enim de Cæsaris potentia loquitur , quam summam esse non ignorabat , victo Pompeio Magno , urbe & Italia in illius potestatem redacta , epistola decima octava : *Si qua vis , & si quæ rapinæ fieri cœperint* . Et ad Attic. epist. 11. lib. VII. *Te puto jam videre , quæ sit ὁρμὴ Cæsaris , qui populus , qui totius negotii status .*

Multitudinis) Vrbanæ .

Si metuendus iratus est ; quies tamen ab illo fortasse nascetur) Proponit , quod objici potest : & idem confutat . Si quis dixerit , metuendum esse Cæsarem iratum , non negabo : verumtamen quies ab illo fortasse nascetur ; posita enim sunt omnia in illius voluntate : idem & exitium , & otium afferre potest ; quare timenda pernicies , nec tamen desperanda salus . Equidem valde miror, obscuram quibusdam hanc sententiam , & mendosum locum videri ; nam quod pro , *Quies* , est in uno vetere libro, *Quiesces* ; id me quidem parum movet ; habeo enim sex antiquos libros , in quibus nulla varietate , *Quies* , legitur : & sententia patet : itaque mutationem sine causa non quæro .

Totum) Hoc totum , quod ego disputo , judicabis .

Minime miserum) Divortium sibi non displicere significat : sed id non satis aperte : ne Terentiam non amare videatur , & ideo divortium suadere .

EPISTOLA XIV.

VEstrum jam consilium est , non solum meum) Epist. 18.

Vereor , ut) Pro , *vereor ne non* . Vide quæ diximus epist. 1. lib. II.

Dolabella ipse) Gener Ciceronis , qui cum Cæsare erat .

Vestri similes) *Isto loco* , dixit ep. 18. & epist. 14. ad Att. lib. VII.

Videndum est) Dubitandi vim habet : quasi dicat , Vereor , ne non possitis : ut epist. Q. Ciceronis , lib. XVI. *Vide ut probare possis , te non peccasse* , id est , vereor , ne non possis .

sit. Alii utrumque locum sine causa mutant.

Quo modo quidem nunc se res habet) Ut se nunc res habet: pro statu rerum praesenti. Epist. 2. lib. II. ad Q. Fr *Quomodo se res habet, non est facillima*. Ad Att. epist. 2. lib. XIII. *Quo modo nunc est, pedem, ubi ponat in suo, non habet*. Lib. II. de Orat. *Quo modo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo causarum*.

Haec loca) Oram Campanam, & maritimam. Epist.10. lib. XVI. *Italiae regiones descriptae sunt, quam quisque partem tueretur: nos Capuam sumsimus*. Et ep. 11. ejusdem libri: *Ego adhuc orae maritimae praesum a Formiis*. Et ep. 11. ad Att. lib.VII.

Tenere liceat) Metuebat, ea ne loca Caesar occuparet.

Bellissime vel mecum, vel in nostris prediis esse poteritis) Cupiebat omnino secum eas esse; etsi videatur earum consilio permittere; nam epist. 24. ad Att. lib. XIV. *Velim*, inquit, *eas cohortere, ut exeant; praesertim cum ea praesidia in ora maritima habeamus, ut in his pro re nata non incommode possint esse*. Ivere postea ad Ciceronem Formias: epist. 17. ad Attic. lib. VII.

Etiam illud verendum est, ne brevi tempore fames in urbe sit) Impedita re frumentaria, ut in bellis. Quinque causas colligit Cicero, quibus mulieres suas, ut exeant, impellat: etsi, quid ipse velit, plane non aperit. Prima est illa: *Sin homo amens diripiendam urbem daturus est: vereor, ut Dolabella ipse satis vobis prodesse possit*. Altera: *Etiam illud metuo, ne jam intercludamini, ut, cum velitis, exire non liceat*. Tertia: *Reliquum est, quod ipsae optime considerabitis, vestri similes feminae sint ne Romae*. Similes autem earum feminas, ac minore etiam dignitate discessisse non ignorabat; itaque epist. 18. *Illud*, inquit, *me movet, quod video omnes bonos abesse Roma, & eos mulieres suas secum habere*. Et ad Attic. epist. 14. lib. VII. *De mulieribus nostris, quaeso, videas, ut satis honestum nobis sit, eas Romae esse; cum ceterae ulla dignitate discesserint*. Quarta: *Bellissime vel mecum, vel in nostris prediis esse poteritis*. Postrema: *Verendum est, ne brevi tempore fames in urbe sit*.

Camillo) Post Atticum amicissimo Ciceronis, ut epist. 5. & epist. 20. lib. V.

Labienus) T. Attius Labienus, qui multos annos Caesaris legatus in Gallia fuerat, egregiamque in re militari virtutem ostenderat, orto civili bello ad Pompeii partes transiit: epist. 11. lib. XVI. *Maximam plagam accepit, quod is, qui summam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus socius sceleris esse noluit, reliquit illum, & nobiscum est*. Et epist. 13. ad Att. lib. VII. *Labienum ἥρωα judico: facinus jamdiu nullum civile praeclarius*.

Piso) L.Calpurnius Piso, in quem exstat oratio. Epist. 13. ad Att. lib. VII. *Amo enim Pisonem, cujus judicium de genero suspicor visum iri grave*.

Ab urbe discedit) Non contulit se ad Pompeium, sed ab urbe discessit: in quo non probare Caesaris, generi sui, consilia visus est; nam si probaret, eum in urbe exspectaret.

Rufus) Fortasse M.Caelius Rufus, quem ad Ciceronem in Cumanum venisse constat ex epist.16. lib. II. Vel, si hoc non probatur, dictum putemus de Mescinio Rufo, qui Ciceronis quaestor in provincia fuerat, ep. 19. 20. lib. V.

IIX. *Kal. Quint.*) Recte Sigonius conjecit, legendum esse, CX. *Kal. Febr.* quod ex epist. 18. & ex 11. libro XVI. colligitur. Praeterea, cum ad Att. scriberet, *L. Caesarem*, inquit, *vidi Minturnis IIX. Kal. Febr.*

EPISTOLA XV.

Ut ad te antea scripseram) Ep. 11.

Caesari) Ex Aegypto ad urbem redeunti.

Mutavimus consilium) Epist. 18. ad Att. lib. XI. *De illius ab Alexandria discessu, nihil adhuc rumoris, contraque opinio, valde esse impeditum: itaque nec mitto, ut constitueram, Ciceronem, &c.* Misit autem Cicero Philotimum ad Caesarem: ut ex ep. 23. intelligitur, & ad Att. ep. 19. 24. lib. XI.

Quid velimus) Volebat diutius Brundusii non esse; epist. ad Att. supradicta,

dicta, quæ est eodem, quo hæc, die scripta: *Te rogo ut me hinc expedias; quodvis enim supplicium levius est hac permansione.*

Sica) Epist. 14.

Tulliam adhuc mecum teneo) Tullia Brundusium ad eum venerat XVII. Kal. Quint. id est ante quatuor dies, quam hæ litteræ scriptæ sunt; ep. 11.

EPISTOLA XVI.

HVjusmodi tempora nostra sunt) Brundusii jacebat in mœrore; nam & Pompeianos offenderat, & victorem Cæsarem timebat; temere enim, quod ipse epist. 8. ad Att. lib. XI. fatetur, non arcessitus a Cæsare in Italiam venerat; nam neque palam cum lictoribus ad urbem audebat accedere, ne quis impetus Cæsarianorum militum fieret: & lictores, ante bellum civile sibi a populo datos, omnino dimittere nolebat. In hoc statu, nec habebat quod scriberet, nec a Terentia cur litteras exspectaret.

Volumnia) Quæ se parum officiose in Terentiam gesserat.

Et cautius) Nec debuit Volumnia facere, quod fecit: & id ipsum, quod fecit, facere diligentius & cautius: quo minus existimationi tuæ noceret. Fortasse ob debitam sibi pecuniam Volumnia Terentiam appellaverat. Eguisse autem hoc tempore Terentiam, illud ostendit epist. 7. lib. XI. ad Att. *Alterum est, cur te nolim discedere, quod scribis Terentiam flagitare.* Et ibidem epist. 26. *Tempora monent, ut videat, ut satisfaciat, quibus debeat.* Et ibidem ep. 23. *Te oro, ut de hac misera cogites, & illud, de quo ad te proxime scripsi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam.*

Alia sunt, quæ magis curemus) Suam vicem dolet, quod Brundusii jaceat.

Vt ii voluerunt) Tacite Dolabellam accusat, cujus consilio in Italiam venerit; epist. 7. ad Att. lib. XI. *Misi ad Antonium L. Lamiam, qui demonstraret, Cæsarem Dolabellæ dixisse, ut ad me scriberet, ut in Italiam quamprimum venirem: ejus me litteris venisse.* Hoc etiam queritur epist. 12. *Perturbati, inquit, dolore animi, magnisque injuriis metuæ, ne id consilii cepérimus, quod non facile explicare possimus.*

EPISTOLA XVIII.

HÆc autem regio) Campana & maritima ora, cui præerat; ep. 14. lib. XVI. ep. 11.

Nostrorum oppidorum) Oppida sua vocat, quibus præpositus erat.

Esse mecum) In oppidis nostris.

Isto loco) Ista dignitate, *vestri similes*; epist. 14. & ad Att. epist. 14. lib. VII. & pro Cluentio; *Pro loco, pro antiquitate generis.* Terentius etiam in Eun. *Conveni quemdam mei loci atque ordinis.* *Locus* enim ad statum & conditionem refertur, sive sit obscurior, sive clarior.

Philotimo) Terentiæ liberto; epist. 2. lib. IV.

IX. *Kal. Feb.*) Pridie quam illas alteras litteras dedit, quarum initium est: *Vestrum jam consilium.*

EPISTOLA XIX.

IN maximis meis doloribus) Quod in Italiam venerim non arcessitus.

Valetudo Tulliæ) Ep. 6. ad Att. l. XI. quæ scripta est IV. Kal. Dec. de Tullia sic: *Tulliæ meæ morbus, & imbecillitas corporis me exanimat.*

Me multa impedierunt) Præcipue lictores: quos non nominat: quia cautius agit cum femina, quam cum prudenti viro Attico, ad quem quidem scribens ep. 6. lib. XI. *Propius, inquit, accedere, ut suades, quo modo sine lictoribus, quos populus dedit, possum? qui mihi incolumi adimi non possunt.*

EPISTOLA XXIII.

SAtis liberales) In oratione pro Ligario: *Cæsar ad me ex Ægypto litteras misit, ut essem idem, qui fuissem.*

EPISTOLA XXIV.

DE Cæsaris adventu) Ex Ægypto.

De litteris) Cæsaris, Philotimo ad Ciceronem datis. Philotimum Cicero, mutato mittendi filii consilio, ad Cæsarem miserat; ep. 24. ad Atticum lib. XI.

PAVL-

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN EPISTOLAM I. LIBRI XV.

Euphratem) Mesopotamiæ flumen, ex Niphate, ut ait Strabo, Armeniæ monte ortum, imperii Romani terminum, qui ad Trajanum imperatorem permansit: nam is, Armenia, Mesopotamia, Assyriaque ad populi Romani ditionem adjectis, ad flumen Tigrim fines imperii protulit; mox Hadrianus, invidens Trajani gloriæ, veterem imperii terminum Euphratem esse voluit, captasque a Trajano provincias Persis restituit.

Cum omnibus fere suis copiis) Ep. 18. ad Att. lib. V. *Parthi Euphratem transierunt, duce Pacoro, Orodis Parthorum regis filio, cunctis referto copiis.*

Procos.) Syriæ.

Certiora) Quia Parthis propinquior Bibulus, quam Cicero.

De alterius provinciæ) De Syria, quam a Parthorum ditione dividebat Euphrates.

Pene) Quia Syriæ finitima Cilicia, quæ Ciceronis erat provincia. Epist. 10. lib. II. *Cum venissem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis est, divisus aquarum divortiis.*

Regis Antiochi Commageni) Cujus soror uxor fuerat Orodis Parthorum regis. Dio lib. XLIX. Commageni citra Euphratem Asiæ regio est: cujus caput Samosatam urbem Plin. nominat l. V. c. 24.

Transire) In Syriam epist. 4.

In Ciliciam) Erat enim in Asia, cujus tres diœceses administrabat: ep. 7. lib. XIII. De hoc itinere epist. 20. ad Att. lib. V. his verbis: *Ad castra veni ad VII. Kal. Sept. ad III. exercitum lustravi apud Iconium: ex his castris, cum graves de Parthis nuncii venirent, perrexi in Ciliciam, per Cappadociæ partem eam, quæ Ciliciam attingit.*

A Tarcondimoto) Regulo in Ciliciæ parte, qui Civili Bello contra Cæsarem pro Pompeio pugnavit: eique postea victor Cæsar ignovit: post interitum Cæsaris, copias pro reip. partibus comparante C. Cassio, cum eo se conjunxit. Cassio mortuo, secutus Antonium cum Octaviano dimicantem, ab Agrippa navali prælio cæsus est. Dio lib. XLI. XLVII. L. Strabo lib. XIV. Florus l. IV.

Pacorum) Dux esse videbatur, quia regis filius: revera autem copias Osaces ducebat: quem postea C. Cassius prælio victum occidit. Pacorus autem hoc tempore nondum ex ephebis excesserat. Dio, lib. XL. Eum post aliquot annos cum omnibus copiis cæsum a Ventidio, qui de Parthis primus triumphavit, idem Dio lib. XLIX. Iustinus lib. XLII. & alii prodiderunt.

Ab Iamblicho) Strabo lib. XVI. Tarcondimoti filium appellat. Dio videtur aliter sensisse lib. L. & LIV. Occisum autem ait a M. Antonio, de proditione suspectum.

Phylarcho) Regem fuisse in quadam Arabiæ parte, auctor est Dio libro L. ejus filio paternum principatum ab Augusto restitutum, lib. LIV. *Phylarchum* dignitatis apud Arabas nomen fuisse, Strabo docet.

Nostram consuetudinem integritatemque) Etsi neque veteres libri mutant, & *Consuetudinis* verbo significari laudem constat; probo tamen conjecturam Hieronymi Ferrarii, qui legendum putabat,

bat, *Mansuetudinem*, adductus in hanc opinionem similitudine locorum; nam ep. 3. *Mihi maxime curæ est, ut, quæ copiis & opibus tenere vix possumus, mansuetudine & continentia nostra, sociorum fidelitate teneamus*. Et epistola 5. *Mansuetudine & innocentia imperatoris provinciam retentam, atque conservatam*. Epist. 9. ad Att. lib. V. *Faciam, ut summa modestia, & summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus*. Et ep. 16. ad eumdem: *Sociis incredibilis videtur & nostra mansuetudo, & abstinentia*.

Ciliciam) Provinciæ suæ partem, in quam nondum pervenerat.

Æquitatis nostræ) Duo veteres libri, *Equitatus nostri*; & ep. 2. *Cum equitatum in Ciliciam misissem*. Malo tamen, *Æquitatis nostræ*; plus enim præsidii, ad continendos in fide socios in æquitate sua, quam in universo exercitu, non modo in equitatu, Cicero sibi esse constitutum existimabat: ut epist. 3. & hic proxime, quod profecerit integritas sua, jam ostendit.

Qui ex Ciliciam gente in armis essent) Amanienses significat: vide epist. 4. & lib. II. ep. 10.

Nos quemadmodum instructos) Ep. 2. & lib. VIII. ep. 5.

Quibus vectigalia populi R. continentur) Asiæ vectigalia maxima erant. Pro lege Manilia: *Ceterarum*, inquit, *provinciarum vectigalia tanta sunt, ut his ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus: Asia vero tam opima est, & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat*.

In Asia) Nondum in Syriam pervenerat Bibulus, sed erat adhuc in Asia.

Deiotari) Galatiæ regis.

Quantæcumque sunt) Fuere cohortes triginta, quadringentorum peditum singulæ, id est, peditum duodecim millia, legiones videlicet duæ: equitum vero duo millia: epistola prima ad Att. lib. VI. & ad eumdem epist. 18. lib. V.

Inanis) Vacua præsidio; in ea regnabat Ariobarzanes, qui nominatur ep 2. lib. IV. & lib. II. ep. 17. ad Attic. ep. 20. lib. V.

In hac paucitate) Duas tantum legiones habebat: epist. 15. ad Attic. lib. V. & Plutarchus.

Dignitati certe consulemus) Nihil indecore faciemus, nihil turpiter.

EPISTOLA II.

CUm pridie Kal. Sext. in provinciam venissem) Epist. 4. & lib. III. ep. 6. & ad Atticum epist. 13. lib. V.

Navigationum difficultatem) Ad Att. epist. 12. lib. V. *Negotium magnum est navigare, atque id mense Quint. Sexto die Delum Athenis venimus; pridie non. Quinct. a Piræeo ad Zostera, vento molesto, &c.*

Facultate & copia) Ep. 3. Opibus & copiis.

Isauros) De quibus anno 679. triumphaverat P. Servilius, & Isaurici cognomen acceperat.

Quod ea maxime pateret) Epist. 4. *Cappadocia patet a Syria*.

Per Cappadociæ partem eam) Ep. 5. lib. III.

Quæ cum Cilicia continens est) Quæ Ciliciam attingit, ep. 4.

Cybistra) Oppidum Cappadociæ, ubi quinque dies castra habuit; ad Att. epist. 20. lib. V.

Artuasdes, rex Armenius, quocumque animo esset) Cujus soror Pacoro, regis Parthorum filio, nupta erat; filia vero Deiotari regis filio pacta; ep. 3. & ad Att. ep. 21. lib. V. Appianus in Parthico. *Artavasdes*, non *Artuasdes*, vocatur ep. 20. 21. lib. V. ad Att. & a Paterculo. Dicit autem, *Quocumque animo esset*, quia propter affinitatem cum rege Parthorum contractam dubitari poterat, idque significat apertius ep. 20. lib. V. *Perrexi* (ait) *in Ciliciam per Cappadociæ partem eam, quæ Ciliciam attingit, eo consilio, ut Armenius Artavasdes, & ipsi Parthi Cappadocia se excludi putarent*.

Regem) Cappadociæ.

Eusebem, & Philoromæum) Pium, & amicum Romanorum. Sic appellabatur, Græcis nominibus ad Latinam consuetudinem traductis.

A nostro ordine) A senatu.

In consilio meo) Præsentibus qui majoris apud eum dignitatis erant, quæstore Mescinio, legatis quatuor, C. Pontinio, Q. Cicerone, M. Anneio, L. Tul-

L. Tullio, præfecto fabrum Lepta, tribunis mil. & aliis fortasse.

Cæsum illum interitus paterni) Hujus Ariobarzanis patrem, quem regno expulsum a Mithridate Pompeius Magnus restituerat, per insidias interfectum, hæc verba & alia inferiora declarant.

Amicosque in patris ejus fide atque judicio probatos) Sic habent duo veteres libri: unus: *Amicosque patris ejus atque judicio probatos*: reliqui omnes: *Amicosque in patris ejus atque judicio probatos* Fortasse legendum: *Amicosque patris ejus fide atque judicio probatos*, id est, quibus pater ejus fidem haberet, de quibus optime judicare solitus erat.

Regnare disceret) Non multo enim ante rex a senatu appellatus erat, Cicerone consule; epist. 17. lib. II.

In eos uteretur jure regio) Hoc, & quæ sequuntur, significavit, cum dixit: *Regnare disceret*.

Consilio vestro) Qui, facto S. C. de Ariobarzanis salute, & incolumitate regni a me defendenda, providistis, ne acciderent ea, quæ pæne acciderunt; infra.

Nullo postulante) Cicerone tamen consule referente: epist. 17. lib. II.

Tantam curam diligentiamque) Cum decreveritis de eo, quod nullo umquam de rege; supra.

EPISTOLA III.

M. Cicero imp.) Imperator Cicero appellatus est III. id. Oct. cæsis Amaniensibus, ut epist. 20. ad Att. lib. V. Ea res gesta nondum erat, cum hæ litteræ scriptæ sunt, ac ne tum quidem, cum illæ superiores ad senatum, quas post has missas esse satis liquet: ait enim in his Cicero: *Publice propter duas caussas nihil scripsi*. Quare mendosam hanc imperatoris appellationem semper duxi: & (opinor) librarius, cum videret in titulo sequentis epistolæ, *Cicero imperator*, eodem modo hanc esse inscribendam, ignarus temporum, existimavit. Hoc & Sigonium video suspicatum esse.

Ab Antiocho Commageno) Ep. 1. 4.

Ad Iconium) In castra venit Cicero, quæ fuere apud Iconium VII. Kal. Sept. cum Iconii decem dies fuisset: ut ep. 20. ad Att. lib. V. Ab Iconio castra movit pridie Kal. Sept. ep. 6. lib. III. Itaque legendum videtur, III. *Kal. Sept.* eodemque modo in ep. seq. ubi nunc legitur: *Kal. Sept. legati a rege Commageno ad me missi*.

Regis Parthorum filium) Pacorum; epist. 1.

Regis Armeniorum) Artuasdis, epist. 2.

Multarumque præterea gentium) Arabum. Ep 4. *Magnas Parthorum copias & Arabum ad oppidum Antiochiam accessisse*.

Ad te) Cujus in clientela Cappadocia est. Epist. quarta: *Duæ maximæ clientelæ tuæ, Cyprus insula, & Cappadociæ regnum*.

Certiora) Quia Syria, Bibuli provincia, Parthis finitima.

Ut in ejusmodi re) Rei difficultatem hic loquendi modus indicat. Sic ep. 9. lib. IV. *Adhuc & factum tuum probatur, ut tali re, etiam fortuna laudatur*.

EPISTOLA IV.

Summa tua auctoritas) Tanta fuit Catonis auctoritas ob singularem ejus integritatem, ut, quæ illi placerent, ea demum & recta, & honesta omnes ducerent: argumentum illud insigne, quod, ambitus cum esset maximus, tribunicii candidati jurarunt se arbitrio Catonis petituros, depositis apud eum H-S quingenis; ut, qui a Catone damnatus esset, id perderet, & competitoribus tribueretur; ita visus est Cato plus unus posse, quam omnes leges, omnesque judices; ep. 15. ad Att. lib. IV. & epist. 14. ad Q. fr. lib. II.

Propter anni tempus) Ut ante hiemem geri aliquid posset.

Exercitum) Quo Appius proconsul usus erat; eæ fuere legiones duæ; ep. 3. 5. lib. III. & ad Att. ep. 15. lib. VII.

Biduum Laodiceæ fui, deinde Apameæ quatriduum, &c.) Aliter ad Att. ep. 16. *Moratus triduum Laodiceæ, triduum Apameæ, totidem dies Synnade*. Et ibidem, ep. 20. ait se moratum esse biduum Laodiceæ, quinque dies Apameæ, triduum Synnadis, Philomeli quin-

quinque dies, Iconii decem.

Magni conventus) Ius enim dixit in iis oppidis, tributaque ademit ab Appio imposita : epist. 16. ad Att. lib. V. *Audivimus nihil aliud, nisi imperata ἐπικεφάλια solvere non posse : possessiones omnium venditas : civitatum gemitus, ploratus, monstra quædam non hominis, sed feræ nescio cujus immanis . . . levantur tamen miseræ civitates, quod nullus fit sumtus in nos*. Et ad eumdem, epist. 20. *Injurias revellimus superiores; nihil ea jurisdictione æquabilius, nihil plenius, nihil gratius*. Et epist. 17: *Satis habeo negotii sanandis vulneribus, quæ sunt imposita provinciæ; quod, do operam, ut faciam quam minima illius contumelia*. Et ad eumdem, epist. 1. 2. libro sexto.

Falso ære alieno) Quod vere non debebatur : erat enim contractum ob solutionem tributorum : quibus liberatæ civitates, ære simul alieno liberatæ sunt.

Quinque cohortes) Opinor esse eas, de quibus epist. 6. lib. III.

Sine legato, sine tribuno mil. denique etiam sine centurione) In singulis legionibus erant singuli legati, interdum tamen bini, (nam Cicero proconsul duas tantum legiones, quatuor legatos habuit) tribuni mil. seni, centuriones triceni : auctor Polybius.

M. Annio) Epist. 57. lib. 13. hoc nomen varie legitur in antiquis libris.

Evocatorum) Præfecto Antonio : epist. 6. lib. III.

Exercitu lustrato) Cum exercitum duces educere in expeditionem vellent, prius, quam castra moverent, exercitum lustrabant, id est, recognoscebant.

Kal. Sept.) III. *Kal. Sept.* legendum esse, jam ostendimus.

Syria) Bibuli provincia.

Mea provincia) Et Asiaticis tribus diœcesibus : ep. 67. lib. XIII.

Duo aditus) Vterque per Amanum montem.

A Tauro) De hoc monte Plinius lib. V. c. 17.

Oppidum Cybistra) Cappadociæ : ep. 20. ad Att. lib. V.

Præsentia, magnitudine, & animi, & consilii) Pro, *Animi præsentia, magnitudine consilii* : præsenti animo, magno consilio. In oratione pro Milone, *Præsentiam animi*, dixit Cicero, & Cæsar lib. V. bel. Gal. Interdum ita commiscentur consilium & animus, ut ab animo consilium pendeat : quia metus consilium impedit. Cic. lib. I. Off. *Præsentis animi uti consilio*.

Cum omnibus suis copiis) Cohortibus triginta quadrigenariis, equitum duobus millib. ad Att. epist. 18. lib. V. & 1. lib. VI.

Cum auctoritate regnaret) Hoc explanatur infra.

Athenaidis) Malo nomen esse mulieris, quam civitatis : ut regis uxor materve fuerit : nam, *Importunitate*, aptius de muliere dici puto, quam de civitate. Suffragatur huic opinioni antiqua inscriptio, quam Romæ vidimus in hortis Carpensibus.

C. POPILIVS. ALBAVS
VIX. AN. XXXV.
ATHENAIS. AVGVSTAIS. VNCT
POSIT. FRATRIS.

Sacerdos) Comanorum sacerdos Archelaus, a Pompeio Magno, ut scribit Appianus, Mithridate devicto, præfectus : post quem sacerdos fuit Nicomedes, a Cæsare, post superatum Pompeium, præpositus. Ejus sacerdotis potestas quæ fuerit, ostendit Hirtius de bello Alexandrino, his verbis : *Comana, vetustissimum & sanctissimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, ut sacerdos ejus deæ, majestate, imperio, & potentia secundus a rege consensu gentis illius habeatur : id homini nobilissimo Nicomedi Bithynio adjudicavit*. Videndus & Strabo libro XII.

Adolescens & equitatu, & peditatu, & pecunia paratus) Latine quoque dicebant cum præpositione, *a*, vel *ab*. Plancus epist. 8. lib. X. *Cum, Deum benignitate, ab omni re sumus paratiores*. Cœlius epist. 8. lib. VIII. *Qui scirem, quam paratus ab exercitu esses*. *Imperatus cum a militibus, tum a pecunia*, epist. 15. l. II. ad Attic. Cicero dixit. *Imparatissimus omnibus rebus*, sine præpositione, libro primo Bel. Civ. Cæsar.

Toto) Ignoratio Latini sermonis quosdam induxit, ut hoc mendosum putarent, & inepta quædam comminiscerentur. Sed *Toto*, Cicero dixit, pro ea re, quæ summa est, & in qua sunt omnia. Ad Att. epist. 20. lib. V. *Est*

V. *Est totum, quid Kalendis Mart. futurum sit*. Et epist. ad Capitonem: *Totum hoc, ut, quod semper existimavi, mihi plane intelligam, me a te multum amari*. Et epist. 1. lib. III. ad Q. fr. *Totum in eo est, tectorium ut continuum fit*.

Antiochiam) Quæ erat in Syria, Bibuli provincia: epist. 10. lib. II.

Equitum meorum) Equitatum a se in Ciliciam esse missum, dixit ep. 2.

Cohorte prætoria) Quæ firmissima in exercitu manus erat: epist. 30. lib. X.

Epiphanea) Plinius lib. V. cap. 24.

Occidione occisum) Phil. XIV. *Cum A. Hirtius M. Antonii copias occidione occiderit, suo exercitu incolumi*. Sic & Livius, & Tacitus, & alii locuti.

Hostem ab Antiochia recessisse) Cassio insequente: epist. 20. lib. V. ad Att. *Rumore adventus nostri, & Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit, & Parthis timor injectus est; itaque eos cedentes ab oppido Cassius insecutus, rem bene gessit: qua in fuga magna auctoritate, Osaces, dux Parthorum, vulnus accepit, eoque interiit paucis post diebus*.

Cum magno, & firmo equitatu, & peditatu) Equitum duobus millibus. epist. 1. lib. VI. ad Att.

A regno) Galatia.

Utrique provinciæ) Syriæ, & Ciliciæ.

Interesse utriusque provinciæ) Est enim terminus inter utramque, & utrique communis, aquarum divortio divisus. epist. 10. lib. II.

Perpetuum hostem) Ep. 10. lib. II. *Cum meis copiis omnibus vexavi Amanienses, hostes sempiternos: multi occisi, capti: reliqui dissipati*.

L. Tullius) Cujus avaritiam carpit epist. ult. lib. V. ad Att.

Sepyram, & Commorim) Obscura vicorum potius, quam oppidorum nomina.

Apud Aras Alexandri) Iterare eadem non oportet: vide ep. 10. lib. II.

Eleutherocilicum) Liberorum Cilicum, qui suis legibus utebantur: ep. 2. lib. V. ad Att.

Qui ne regibus quidem umquam paruissent) Quod est argumentum summæ pervicaciæ. Tacitus de Thracibus lib. IV. *Ne regibus quidem parere, nisi ex libidine, soliti*.

Turribus) Unica turri: ep. 20. lib. V. ad Att.

Tiberani) Ignota geographis gens: nimium enim negotii fuisset, latronum Amani montis nomina persequi. Latrocinia enim exercebant ejus montis incolæ. Tibarenos & Plutarchus in Lucullo nominat, & Plinius lib. VI. capite quarto: ubi Themiscyræ regionis gentes persequitur.

Aut captis, aut male pacatis) Ep. 20. libro quinto ad Atticum: *Exercitum in hiberna agri male pacati deducendum Quinto fratri dabam*.

Relatum sit) Ut mihi supplicationes decernantur.

Gravissimos homines) Hoc dicit, quia gravitas respuere preces, ut indecoras, videtur, & *L. Crassus, ille orator summus, cum petere magistratum blandius, id est rogare vellet, socerum suum Scævolam dimittebat, cum ei ita diceret, se velle ineptum esse: id erat petere blandius: quod nisi inepte fieret, bene non posset fieri*. De orat. lib. I. *Admonendum potius te a me, quam rogandum, puto: rogamus enim eos, quorum voluntati parum confidimus: admonemus tantum, quos ergo nos optime animatos esse credimus*. Epist. 9. libro primo: *Quæ mihi commendas, & tantæ mihi curæ sunt, ut me nolim admoneri, rogari vero sine magno dolore vix possim*. Epist. 18. lib. XIII. *Ego admirabar magis te, quasi rogatus, aut certe admonitus, liberaliter Attico respondisses*.

Cum quidam clarissimo atque optimo viro supplicationem non decerneres) Cæsarem significari, nonnulli arbitrantur: quod ego non sentio: virum enim optimum Cæsarem non vocaret, Catonis inimicum, præsertim cum in hac tota epistola gratiam Catonis aucupetur. C. Antonium, collegam Ciceronis in consulatu, designari potius opinor: nam ei decretam ob victum Catilinam supplicationem, indicat Dio libro XXXVII. *Clarissimo*; ob victoriam de Catilina relatam.

Quas consul in urbe gessisset) Ex quatuor antiquis libris ita lego: alii: *Quas is consul in urbe gessisset*. Ego Catonem, cujus in se officia hic Cicero commemorat, cum C. Antonio supplicationem sua sententia non decerneret, dixisse puto, decreturum se, si referretur ob res a consule, id est a Cicerone, in urbe gestas; cum ea

pluris æstimaret, quæ togatus Cicero consul in urbe gessisset, quam quæ foris armatus Antonius. Hanc sententiam confirmant ea, quæ sequuntur.

Mihi supplicationem decrevisti togato, non, ut multis, rep. bene gesta, sed, ut nemini, rep. conservata) Idem gloriatur in oratione in Pisonem: *Mihi togato senatus non, ut multis, bene gestæ, sed, ut nemini, conservatæ reipub. singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit*. Et oratione secunda in Antonium: *Senatus clarissimis civibus bene gestæ reip. testimonium multis, mihi uni conservatæ dedit*. In eumdem XIV. *Mihi consuli supplicatio, nullis armis sumtis, non ob cædem hostium, sed ob conservationem civium, novo & inusitato genere decreta est*.

Invidiam) Odium epist. 1. lib. I.

Meas tempestates) Clodianis temporibus.

Subieris) Sponte: quod me vexari innocentem judicares, quia remp. domestico malo liberatissem.

Si per me licuisset) Si armis contra Clodium certare voluissem. Epist. 9. lib. I. *Qui meos cives & a me servatos, & me servare cupientes, servis armatis objici noluerim*.

Inimicum meum) P. Clodium.

Milonis) Qui Clodium occiderat.

In senatu defendenda) Inter Milonis patronos Catonem Pedianus nominat, eumque ait studuisse in petitione consulatus Miloni, & reo adfuisse, nec dissimulasse, bene actum esse cum rep. morte P. Clodii.

A me autem hæc sunt profecta) Hoc verbum interdum Cicero ad beneficiorum & studiorum commemorationem accommodat, ut epist. ult. lib II. *Quæcumque a me ornamenta in te proficiscentur*. Et epist. 14. lib. IX. *Si omnis tua laus a meis consiliis profecta videatur*.

Græcis) Græce etiam Cicero scripsit, ut commentarium de consulatu suo. ep. 1. lib. II. ad Att.

Hoc nescio quid gratulationis & honoris) Honorem supplicationum: quem se sua sponte non magnifacere ostendit, cum ait: *Hoc nescio quid*: ut epist. 1. lib. XIII. *Nescio quid illud parietinarum*. Gratulabantur autem diis immortalibus ob victoriam, decreta a senatu supplicatione: epist. 5. *Si a diis immortalibus gratulari nos, quam tibi referre acceptum, mavis*. Et ep. 18. lib. XI. *Tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus*. Phil. XIV. *Supplicationem decernitis; hostem non appellatis: grata vero nostræ diis immortalibus gratulationes erunt, gratæ victimæ*.

Et natura, & magis etiam ratione atque doctrina) Magis laudandi, qui ratione & doctrina aliquid agunt, quam qui natura: itaque Nepos in Attici vita: *Neque id fecit*, inquit, *natura solum, (quamquam omnes ei parere debemus) sed etiam doctrina*. Sic pro Cluentio: *Nihil tam remotum ab accusatione, quam Cluentius, & natura, & voluntate, & instituta ratione vitæ*. Iacet enim natura, nisi voluntas accedat, & consuetudo: & hæc omnia ratio & doctrina vehementer adjuvat.

Ego profecto is sum) Similiter locutus, in re diversa, epist. 14. libro sexto: *Si quisquam est timidus in magnis periculosisque rebus, semperque magis adversos rerum exitus metuens, quam sperans secundos, is ego sum*.

Et natura, & magis etiam, ut mihi quidem sentire videor, ratione atque doctrina) Lib. I. in Ver. *Ab hominibus & natura, & consuetudine, & disciplina levissimis*.

Per se) Gloriam non spectavi, cum recte agerem: sed ea studiose gessi, ex quibus gloria nasci posset.

Provinciam) Quam in concione deposuit: epist. 2. lib. V. & Phil. XI. *Instructam ornatamque a senatu provinciam deposui*. Ea vero provincia, Gallia citerior fuit: nam in oratione in Pisonem: *Provinciam*, inquit, *Galliam, senatus auctoritate, exercitu & pecunia instructam & ornatam, in concione deposui, reclamante populo Romano*. Et ad Att. epist. 1. lib. II.

Spem non dubiam triumphi) Triumphare poterat e Salassis, & inalpinis gentibus, quæ populo Romano non parebant; cum his bellum gessit & Metellus Celer, ut epist. 1. lib. V. & D. Brutus, ut epist. 4. lib. XI.

Sacerdotium) Auguratum.

Injuriam) Exsilium suum significat.

Augur postea fieri volui) In locum P. Licinii Crassi, M. F. qui a Parthis occisus est.

Eam

Eum honorem) Triumphum.

Nunc mihi expetendum puto) Ut, si quam antea, pulsus in exsilium, dignitatis jacturam fecisset, honore novo ita sarciret, ut de pristino statu detractum nihil, additum potius aliquid ad gloriam videretur: causam hanc attigit ep. 6. lib. VI. ad Att. his verbis: *Amicorum litteræ me ad triumphum vocant, rem a nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν nostram, non negligendam*.

Ad sanandum vulnus injuriæ) Injuria, id est exsilium, injuste mihi irrogatum, quasi vulnus fuit, cujus medicina triumphus erit.

Ut faveas) In supplicatione adipiscenda, quæ triumphi prærogativa erat: epist. 4.

Quod paullo ante me negaram rogaturum, vehementer rogo) Dixi jam de hoc artificii genere, epist. 16. 18. 47. lib. XIII.

Honores summos) Tiumphos.

Equidem etiam mihi illud, &c.) Cognita Catonis consuetudine, ne totum ponere videatur in bellicis rebus, quæ plerumque a fortuna pendent, æquitatem & continentiam suam commemorat; eaque sibi ait contra metum impendentis Parthici belli, & ad sociorum animos recuperandos, firmissima præsidia fuisse.

Quam attente te audire soleam) Cum de habendis, aut non habendis honoribus in senatu sententiam dicis.

In mea causa) In hoc negotio, de quo tecum ago.

Exercitu imbecillo) Duabus legionibus: epist. 5. libro quinto ad Atticum: & Cœlius epist. quinta libro octavo: *Si Parthus movet aliquid, scio non mediocrem fore contentionem: tuus porro exercitus vix unum saltum tueri potest*.

Maximi belli) Parthici, quod, post Crassum interfectum, cæsasque ejus copias, formidolosum in primis erat.

Veteris imperii) Imperii Romani, cui parere soliti erant.

Præsertim ad te) Cum enim omnes socii suas querelas ad te deferant; nimirum nihil eorum ignoras, quæ in provinciis geruntur: itaque narrari hæc a me de me ipso, necesse non videtur.

Qui meis institutis se recreatos putant) Cum Appii institutis afflicti essent: epist. 16. libro quinto ad Atticum, & epist. 1. lib. VI. ad eumdem.

Duæ maximæ clientelæ tuæ, Cyprus insula, & Cappadociæ regnum) Cyprus ea causa, quia lege P. Clodii, Ciceronis inimici, Pisone & Gabinio coss. profectus in eam insulam Cato, regis Ptolemæi, qui sibi veneno mortem conscivit, publicatis bonis, maximam pecuniæ vim in ærarium intulerat: mos autem veterum fuit, ut, quorum opera natio aliqua in populi Romani potestatem venisset, eorum in clientela perpetuo esset; itaque Siculi Marcellorum, Pœni Scipionum clientes. Citicos quoque, qui erant in Cypro insula, Catonis clientes lib. IV. de Fin. Cicero vocat. Cappadociæ regnum ideo clientela Catonis erat, quia regem Ariobarzanem vehementer diligebat, auctorque senatui fuit, ut eum Ciceroni commendaret: de quo supra: *Regem Ariobarzanem*, inquit, *cujus salutem a senatu te auctore commendatam habebam, præsentibus insidiis nec opinantem liberavi*. Maximas autem clientelas appellat, quia privatæ quoque tenuiorum hominum erant.

De me loquentur) Cyprum enim institutis meis recreavi: Cappadociæ regem insidiis liberavi.

Quæ si etiam majora sunt) Quam res gestæ: supra enim dixit: *Equidem etiam mihi illud animadvertisse videor, te non tam res gestas, quam mores, instituta, atque vitam imperatorum spectare solere in habendis, aut non habendis honoribus*.

In omnibus seculis pauciores viri reperti sunt, qui suas cupiditates, quam qui hostium copias vincerent) Fortasse hanc sententiam e Xenophontis Agesilao sumsit: Πολυ πλεονες, inquit, των πολεμιων, η των τοιουτων, δυνανται κρατειν. *Multo plures ex præliantibus, quam ex istis, imperare possunt*. Et infra: Καλον μεν δοκει ειναι, τειχη αναλωτα ἡγειασθαι ὑπο πολεμιων. πολυ μεν τοι εγωγε καλλιον κρινω, το την αυτου ψυχην ανάλωτον κατασκευασαι, και ὑπο χρηματων, και ὑπο ἡδονων, και ὑπο φοβου. *Pulcrum quidem esse videtur, muros inexpugnabiles expugnari a præliantibus: multo ego vero pulcrius existimo proprium animum inexpugnabilem servare a divitiis, voluptatibus, ac timore*.

Hæc

Hæc genera virtutis) Æquitatem & continentiam.

Iustiores) Profecto, qui sententiam attenderit, legendum, *Illustriores*, intelliget; bellicis enim rebus non justitiam, sed splendorem addunt æquitas & continentia.

Allegem) Mittam; epist. 10. *Allegarem ad te illos.*

In forum, atque in remp.) Cum uterque locos graves ex Philosophia, abhorrentes ab usu forensi & publico, magna cum laude in judiciis, in concionibus, in senatu tractaret. Vide proœmium Paradoxorum.

In ipsam aciem pæne deduximus) Otio & desidiæ, forum, remp. aciem opponit: *aciem* autem pro summa contentione posuit, non quasi tertium quiddam, a duobus proxime dictis, id est a foro & a rep. diversum, sed quod & foro, & reipub. jungatur: quasi dixerit, in majores & fori, & reip. contentiones; qua similitudine lib. I. de Orat. *forensem aciem* appellavit.

Negavi) Negavit tamen; epist. seq. & lib VIII. epist. 11. & ad Att. epist. 1. 2. lib. VII.

A Catone) Ab eo, qui Philosophiam ipsam vehementer amat. Vis est in nomine: ut ad Curionem epist. quarta libro secundo: *Quid est, quod possit graviter a Cicerone scribi ad Curionem, nisi de rep.*

Ex meis litteris) Ex his litteris quibus a te peto, ut mihi tua sententia faveas, adjutorque sis.

Auctoritate tua) Quam summam esse dixit initio litterarum.

Mihi quod maxime cupierim, contigisse) Supplicationem ipsam.

EPISTOLA V.

INnocentiam) Hoc addidit, quia potest esse virtus sine innocentia. nam hic virtus est præstantia quædam & animi, & ingenii: qualem in multis fuisse disjunctam ab innocentia, historiæ testantur.

Cognitum in maximis rebus domi togati) Cum remp. Catilinæ conjurationis exitio togatus liberasti; epistola decima tertia libro duodecimo: *Tua toga omnium armis felicior.*

Administravi) Exercuei.

Pro meo judicio) Non laudavi te gratiæ causa, sed adductus judicio meo: cum ii, qui supplicationem tibi decreverunt, gratiæ fortasse potius id tribuerint, quam judicio.

Innocentia consilioque tuo) Ut supra cum virtute innocentiam, ita conjungit hoc in loco cum innocentia consilium; nam ut reip. sine innocentia virtus, ita sine consilio innocentia nihil prodest.

Defensam) Contra metum Parthici belli, non quod Cicero cum Parthis pugnaverit: & ipse in epistola superiore, *Reperies*, inquit, *me exercitu imbecillo contra metum maximi belli firmissimum præsidium habuisse æquitatem & continentiam.*

Quæ in re nihil fortuito) Fortuito geri ea res ostendit, quarum causa supplicatio decerni, & diis immortalibus gratulatio fieri soleret, ita bellicas victorias fortunæ tribuit, Ciceronis autem continentiæ & æquitati defensam provinciam, servatum Ariobarzanis cum ipso rege regnum, sociorum revocatam ad studium imperii voluntatem; qua sententia videri volebat, plus decrevisse Ciceroni, quam si supplicationem decrevisset; sed Cicero aliter accepit, dolorem tamen suum dissimulavit, ut intelligitur ex epistola sequenti. Ad Atticum autem cum scriberet: *Auro scire*, inquit, *Cato quid agat: qui quidem in me turpiter fuit malevolus; dedit integritatis, justitiæ, clementiæ, fidei mihi testimonium, quod non quærebam; quod postulabam, negavit; itaque Cæsar iis litteris, quibus mihi gratulatur, & omnia pollicetur: quo modo exultat Catonis, in me ingratissimi, injuria? at hic idem Bibulo dierum viginti: ignosce mihi, non possum hæc ferre, nec feram.* Et epistola tertia ibidem, invidisse ait Catonem suæ dignitati.

Gaudeo) Si tu mavis, ea, quæ pro repub. fecisti, non rationi & continentiæ tuæ, sed diis immortalibus tribui; supplicationem decretam gaudeo.

Triumphi prærogativam) Quæ tribus, quæque centuria suffragium ferebat, prærogativa dicebatur, *quod prima rogaretur*, ut ait Asconius, *quos vellet consules fieri.* Et quoniam prærogati-

væ

væ tanta auctoritas erat, ut eam ceteræ tribus & centuriæ sequerentur: inde factum, ut prærogativa pro certo acciperetur signo, futuram rem prænunciante.

Casum potius, quam te, laudari vis) Fortuitum eventum, beneficio deorum immortalium, potius quam æquitatem & continentiam tuam. Lib. III. de Nat. deor. *Hoc quidem omnes mortales sic habent, omnem commoditatem prosperitatemque vitæ a diis se habere: virtutem nemo umquam acceptam deo retulit; nimirum recte: propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute recte gloriamur: quod non contingeret, si id donum a deo, non a nobis, haberemus; at vero honoribus aucti, aut re familiari, aut si aliud quidpiam nacti sumus fortuiti boni, aut depulimus mali; cum diis gratias agimus, tum nihil nostræ laudi assumtum arbitramur, &c.*

Contra consuetudinem meam) Stoicorum enim brevis oratio. Stoicus autem Cato: ut indicat oratio pro Murena, Plutarchus, & alii.

Quod maxime volo) Maxime volo existimes, laborare me, &c.

De tua majestate) De tua dignitate.

Quod amplissimum sum arbitratus) Duxi amplissimum esse, rationi & continentiæ tuæ acceptam referri defensionem provinciæ, quod mea sententia censui; non benignitati deorum immortalium; quod censuerunt ii, qui supplicationem decreverunt.

Quod tu maluisti) Maluisti, supplicationem decerni: quod factum esse gaudeo.

Severitatem) Ne quid contra leges committatur, qua virtute Cato ipse in primis excelluit.

EPISTOLA VI.

LÆtus sum laudari me) Senarii finis est, *Lætus sum*: alter senarius integer: *Laudari me, pater, abs te laudato viro*. Tusc. IV.

Opinor apud Nævium) Opinor, ait, memoriæ vitium simulans dignitatis causa: ne videatur homo consularis, & jam senior Poetas lectitare; quod eo videri turpius putabat, quia non ad juvenem quemdam scribebat, fabellis poeticis deditum, non ad eum, qui mediocrem prudentiam consecutus esset, verum ad gravissimum & sapientissimum virum Catonem, ab omni abhorrentem voluptate, addictum Philosophiæ, eamque vita & moribus exprimentem. C. Nævius Poeta Campanus, ut ex Gellii libro primo capite vicesimo quarto licet conjicere, scripsit carmine bellum Punicum primum, & in eo bello ipse militavit: fabulas præterea multas, quarum exemplis utuntur sæpe Varro, Festus, Nonius, alii.

Laudato viro) Quæ enim laus est a non laudato? Recte Plautus in Epid. *Strenuiori deterior, si prædicat suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ*.

Amplissimum) Usus est Catonis verbo, qui scripserat: *Me voluisse de tua majestate, quod amplissimum sum arbitratus*.

Libenter amicitiæ dedisse) Et hic, ut opinor, ad Catonis verba respexit; dixerat enim initio epistolæ suæ: *Quod & resp. me, & nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam virtutem, &c.* Laudasti, inquit, me amicitiæ causa; libenter enim amicitiæ tribuisti, quod veritati facile tribueres.

Et si non modo unus, verum etiam multi Catones essent, &c.) Unus es vere Cato, isto plane dignus cognomine, antiqua majorum virtute decorato: verum, si multi præterea Catones essent; ego tamen sententiæ tuæ testimonium omnibus triumphis anteponerem: quanto magis cum sum sis unus: quo tua major est auctoritas, tua virtus illustrior. Cum vero dixit: *Si non modo unus, verum etiam multi Catones essent*: Catonum præstantiam, non numerum, cogitavit; nam alii quoque Catones erant, ut C. Cato, qui epist. 2. 4. 5. libro primo nominatur. Video quosdam legere, *Omnes*, non *Unus*: quorum opinionem non improbo; eodem enim fere spectat, & adstipulatores habet veteres libros; quorum testimonio nostra quoque sententia comprobatur.

Quem ego currum, aut quam lauream) Quem triumphum; nam & currus, & laurea corona sunt instrumenta triumphantium.

Ad meum sensum) Ut quidem ego sentio; alii fortasse pluris faciunt supplicationem decretam: mihi tamen sententia tua, quæ supplicationem non

non decrevit, nihil videtur laudabilius & præstantius esse posse.

Ad illud sincerum ac subtile judicium) Quasi non sincere, nec subtiliter judicent, qui aliter sentiunt. Pronomen, *Illud*, non commune, sed singulare quiddam hic designat: ut epist. 9. lib. VIII. *Si ad illam summam veritatem legitimum jus exegeris*. Et pro Marcello: *Illa ipsa rerum humanarum domina fortuna*. Et alibi.

Causam meæ voluntatis) Dixit enim in superioribus litteris, cupere se supplicationem, non quia delectetur inani laude, sed ut acceptam ab inimicis injuriam novis honoribus compenset.

Parum justa tibi visa est) Quia supplicationem non decrevisti.

Honos) Et supplicatio, & triumphus.

Honore, usitato præsertim) Triumpho: nam supplicationem senatus jam decreverat.

Tantum ex te peto) Non peto, ut mihi triumphum decernas: sed illud tantum peto, si triumphum senatus detulerit, ut gaudeas.

Quod amplissimum esse arbitraris) Amplissimum esse judicasti, virtutem, innocentiam, diligentiam meam laudari; idque mihi tribuisti.

Quod maluero) Malebat triumphum, quam sine triumpho laudari.

Sic enim fecisse te video) Video te supplicatione mihi decreta gavisum esse: quia, cum S. C. scriberetur, adfuisti.

Et sensisse) Sensu intimo, non vultu solum, qui sæpe mentitur, gavisum esse.

Scripsisse) Gaudere enim se, factum esse: quod Cicero maluisset, id est, supplicationem decretam, in suis litteris Cato dixerat.

Scribendo adfuisti) Vide illud, *scribendo adfuerunt*, ep. 8. lib. VIII.

Quam timeo) Emergebat jam inter Cæsarem & Pompeium discordia, quæ civile bellum, reip. perniciosum, excitavit.

EPISTOLA VII.

C. *Marcello*) Hic locus, non semper credendum veteribus libris, facile probat; scriptum est enim in omnibus, *Marco*, non *Caio*, falso, ut ostendam, prænomine. Tres Marcelli, unus Marci, duo Caii prænomine, per triennium deinceps consules fuere: primo anno Marcus, M. F. ut ait Dio, Ser. Sulpicio collega: quibus non consulibus designatis, sed consulatum gerentibus, Cicero in provinciam profectus est, ut e superiore epist. & ex epistola tertia libri tertii, perspicuum fit: altero anno cum L. Paullo Caius, C. F. Ciceronis in auguratu collega, Marci vero non frater germanus, sed ut perspicue narrat Suetonius, patruelis; nam si germani essent fratres, in patris prænomine congruerent; at Marcus Marco patre, Dione teste, natus est: Caius autem Caio: quod ex epistola, quæ sequitur hoc initio, *Marcellum tuum*, intelligitur; atque his consulibus Cicero, absoluto annuo imperio, et provincia decessit. Tertio anno alter Caius, M. F. ut lapides Capitolini, & Dio significat, Marci, biennio ante consulis, frater germanus, quod ex parentis prænomine cognoscitur, cum L. Lentulo, anno civilis belli primo, consul fuit; cujus anni primis diebus, id est pridie non. Ian Cicero procos. ad urbem accessit: ut epistola decimâ libro decimo sexto. Hæc ad infirmandum consensum veterum librorum, & veritatem historiæ testimonio restituendam, arbitror sufficere. Est enim hic (ut ἐν ἐπιτομῇ supra dicta colligantur) C. non M. Marcellus, ut quidam crediderunt, M. Marcelli, ad quem superior est epistola, frater patruelis, Caii, ad quem sequens, filius.

Fortunare) Etsi *Fortunæ* vocabulum sit ambiguum; propterea que adversa, vel secunda, distinctionis gratia, appellari soleat; *fortunare* tamen verbum, & *fortunatus*, in bonam partem semper accipiuntur. Ep. 2. l. II. *Tibi patrimonium dii fortunent*.

Volo) Pro *Cupio*: ut epist. 19. lib. XII. *Eamdem rem tibi volo bene & feliciter evenire*. Et epist. 1. lib. I. *Regis causa, si qui sunt, qui velint*. Hanc sententiam expressit aliis verbis ep. 11. *Tibi velim ii sint exitus, quos mereris: quos fore confido*. Et ep. 7. lib. II. *Ut sempiternæ laudi tibi sit iste tribunatus, exopto*.

Pa-

Parentisque tui) C. Marcelli, ad quem scribit Cicero epistolam sequentem.

In omni varietate rerum mearum) Ep. seq. *Vel in labore, vel in honore meo*; & ep. 4. 29. lib. XIII.

Vester) Tuus, & parentis tui.

Matris tuae) Iuniae, ep seq.

Erga salutem) In laboribus meis, epist. 11.

Dignitatem) In honoribus. Proxime utrumque dixit: *In omni varietate rerum mearum*.

Diligas, atque defendas) Praesertim in consulatu; timebat enim Cicero, ne sibi, propter Galliarum controversiam, Pompeio eas Caesari ante legitimum tempus eripere cupiente, vel succederet nemo, vel etiam provinciae tempus prorogaretur, epist. 7. & lib. VIII. ep. 5. 6. 8.

EPISTOLA VIII.

Collegae) In auguratu; hoc ipse docet Cicero lib. II. de Divin. & Charisius.

Marcellum tuum) Filium.

Vel in labore meo, vel in honore) Idem aliis verbis in epistola superiore: *Patris tui pluribus beneficiis, vel defensus tristibus temporibus, vel ornatus secundis*; & ep. 10.

Vel salutis, vel dignitatis meae) Proxime dixit: *vel in labore meo, vel in honore*.

Iuniae) Matri C. Marcelli, consulis designati.

EPISTOLA IX.

Cum Marcello consule facto) Designatus erat consul in annum sequentem C. Marcellus: qui si frater germanus fuisset M. Marcelli, addidisset Cicero, *fratre tuo*; erat autem frater patruelis: post quem consul fuit alter C. Marcellus, Marci frater germanus: de quo epist. 9. lib. IV.

A te ipso missi) A te consule, & Ser. Sulpicio, collega tuo; epistola tertia libro tertio. Infra: *quod tu mihi & S. C. & lege finisti*.

Vltimas gentes) Inter ultimas imperii Romani; nam ultra Ciliciam Syria est. Epistola nona libro primo: *Recordare, quibus laudationem ex ultimis terris miseris*: cum Hispaniam citeriorem, non ulteriorem significet.

Dilexerim) Et, *Dilexi*, usitatum erat; utrique enim modo servit particula *Cum*, sequente *Tum*; ut ep. 6. lib. IX. *Cum enim te semper magnum hominem duxi; tum quod his tempestatibus es prope solus in portu*.

Tuo facto) Quod opera, gratia, studio tuo factum sit, ut consul crearetur C. Marcellus patruelis frater tuus.

Populi R. de te judicio) Quid enim populus de te judicet, fratre tuo consule facto declaravit.

Vel me tui similem esse audio, vel te mei) Comparari solitum Ciceroni M. Marcellum, & judicari simillimum, hic locus, & alter in Bruto declarat; interroganti enim Ciceroni, quid de Marcello judicas, quem saepe audisti? respondet Brutus: *Quid censes, nisi id, quod habiturus es similem tui?* Et infra: *Itaque cum eum ante tui similem in dicendo viderim; tum vero nunc, a doctissimo viro Cratippo instructum omni copia, multo videbam similiorem*.

Aut mihi succedat quamprimum aliquis) Quamprimum, id est post absolutum annuum imperium.

Aut ne quid accedat temporis) Aut si nemo succedat, saltem discedere mihi liceat, eo tempore decurso, quod tu mihi & S. C. & lege finisti; quod ita contigit; nemine enim succedente, Coelium, quaestorem suum, decedens Cicero provinciae praeposuit.

Tu mihi) Immo uterque consul. Sed unum, ad quem scribit, affatur, ut supra, *A te ipso missi*.

Et S. C. & lege) Lex curiata significatur; de qua diximus ep. 9. lib. I. in eo loco: *Si licitum esset legem curiatam ferre*.

Non putabam a me etiam nunc scribenda esse publice). Nondum enim satis certa: quae postea legatis primum Antiochi regis Commageni, deinde litteris Tarcondimoti, & Iamblici confirmata sunt; epistola prima hujus libri; quamquam primus locus, habita ratione temporum, huic epistolae debetur.

EPISTOLA X.

Quando id accidit) Sic mei quinque veteres libri: reliqui, *Quomodo*,

modo, Cum, Quem: placet, *Quando*.

Marcellinorum etiam) Eorum etiam, qui ex familia vestra in alias adoptione transierunt; designat maxime Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum: de quo vide quæ diximus ep. 1.

Generis) Claudiæ gentis.

Nominis) *Nomen* interdum accipitur pro familia, interdum & pro prænomine, vel cognomine; hic videtur esse dictum de familia.

Lausque & honor earum) Vt laudari, & honorari, te consule possent, supplicatione decreta.

Si mihi tecum minus esset) Diximus hoc de genere loquendi, ep. 1. lib. XIII.

Allegarem) Mitterem; ep. 4. *Philosophiam ad te allegem*.

Neque enim saluti meæ, neque honori amicior quisquam dici potest) Idem aliis verbis, ep. 8. 9.

Frater tuus) Patruelis, M. Marcellus; epist. 7.

Neque vero tu in me diligendo cuiquam concessisti tuorum) Paullo ante dixit: *Si mihi tecum minus esset, quam est, cum omnibus tuis*.

In supplicatione decernenda) Vterque consul, magis tamen Paullus, Ciceroni studuit in supplicatione decernenda; vide ep. 11. lib. VIII.

EPISTOLA XI.

MEus honos) Supplicatio.

Cum parentibus tuis) Matrem quoque significat: de qua vide epist. 8.

Res ipsa loquebatur) Cum decreta mihi supplicatio esset.

Magni interest, cui debeas) Causam affert, cur dixerit *Tum libenter*; non enim omnibus libenter debemus.

Iam ante) Antequam consul esses.

Vt, quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantumdem ego unus debeam, non recusem) Simile illud ep. 18. lib. VI. *Non recuso, quin, quantum de illo libro, tantumdem de mei judicii famæ detrahatur*.

Tibi velim, ii sint exitus, quos mereris) Epist. 8. *Eum honorem tibi deos fortunare volo*.

In ipsos Etesias) De his ventis, certo anni tempore flantibus, unde nomen accepere, diximus ep. 15. lib. II.

EPISTOLA XII.

L. Paullo) Æmiliæ gentis, patriciæ; videtur is esse, qui Catilinam lege Plautia, ut ait Sallustius, interrogarat.

Cos. des.) Cum C. Marcello.

Nec opinatus, & improvisus) Hæ duæ particulæ, *Nec, Et*, sic usurpantur interdum, ut antecedat ea, quæ neget, sequatur, quæ affirmat; epist. 1. lib. X. *Nec miror, & gaudeo*.

Provinciæ casus) Epist. 2. lib. III. *Cum & contra voluntatem meam, & præter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in provinciam proficisci necesse esset*

EPISTOLA XIII.

RVit explorata) Numquam dubitavi, quin te populus R. consulem cunctis suffragiis facturus esset.

Ornasti) Studiis & officiis tuis.

Reditum meum) Ab exsilio.

Rerum gerendarum) In provincia.

Amplitudo, & dignitas) Quæ consulis est.

Omnes gentes) Significat, prædicari a se etiam in provincia, quantum Paullo debeat.

Honore) Supplicationis.

Gratulatione) Vt gratulario fiat diis immortalibus ob res prospere gestas.

Ad collegam) C. Marcellum; eæ litteræ non exstant.

Procurationem, susceptam, velim habeas) Quam antea suscepisti, eam velim habeas.

Cum absens, tum etiam præsens) Absens supplicationem, præsens triumphum.

EPISTOLA XIV.

C. Cassio) Qui postea Cæsarem occidit.

Proquæst.) Quæstor cum M. Crasso procos. in Syriam iverat; eo mox a Parthis interfecto, proquæstor usque ad Bibuli procos. adventum in provincia remansit.

M. Fabium) Fortasse is est, quem Cœlio commendat epist. 14. lib. II. Pæto epist. 25. lib. IX. Curtio epist. 59. libro XIII.

In ære meo est) Inter meos; ep. 62. lib.

lib. XIII. *Semper in animo habui, te in meo aere esse propter Laniae nostri coniunctionem*.

Me convenire potuisses) Ante quam ab urbe discederem, in provinciam proficiscens.

Tanto intervallo) Post triennium; nam Cassius cum Crasso proconsule in Syriam iverat Domitio & Appio Coss. Cicero autem Sulpicio & Marcello.

Gratulari) Ob rem bene gestam; infra: *Haec tua victoria tanta*. Et epist. 10. lib. II. & ad Att. epist. 20. lib V.

Tum) Cum de duabus rebus agit Cicero, *primum*, *deinde*, solet usurpare: cum de tribus, *primum*, *deinde*, *postremo*: cum de quatuor, tertio loco *Tum* inserit.

Bono litterarum) Commodo litterarum.

Unus scilicet fructus) Etsi video esse in aliquot antiquis libris, *Unus scilicet uni fructus*: mihi tamen magis arridet, *Unus scilicet fructus*: ut est in tribus item antiquis libris; verbum enim, *Uni*, quem hic locum habeat, non satis intelligo; quid enim est, *Unus uni fructus percipi litteris non potest*? quasi vero non id omnium commune sit; nemo enim ex amici litteris eum fructum, quem ex praesentis conspectu & sermone, percipit.

Pro opportunitate temporis) Hoc videtur dicere, quia parabatur in eum accusatio, fortasse de repetundis; nam avaritiae nomine male audiit Cassius, quod & Plutarchus in Bruti vita narrat: & Coelii quoque testimonio cognoscitur; ait enim ep. 10. lib. VIII. *In eam opinionem Cassius venerat; quae diripuisset ipse, ut viderentur ab hoste vastata, finxisse bellum & Arabas in provinciam immisisse, eosque Parthos esse, senatui renunciasse*. Satis igitur Cassii patet avaritia; accusationem autem demonstrant illa verba: *Si quae sunt onera tuorum; si tanta sunt, ut ea sustinere possis: &c.* Recte igitur gratulatur Cicero pro opportunitate temporis, quia summam in eum decedentem provincia benevolentiam ostenderat: quod inimicorum sermones refellebat.

Ea, quae reliqui) Cum ab urbe discessi, turbulenti nihil erat adversus te: sed allatus postea victoriae tuae nuncius clariorem faciet adventum tuum.

Haec tua recenti victoria) Parthos enim Cassius fudit, fugavitque post adventum Ciceronis in provinciam, id ostendit ep. 10. lib. II. fudit tamen Parthos Cassius ante Bibuli Syriae proconsulis adventum, qua de re sic in Philip. XI. *Magnas ille res gessit ante Bibuli, summi viri, adventum, cum Parthorum nobilissimos duces, maximasque copias fudit, Syriamque immani Parthorum impetu liberavit*. De hac victoria Dio lib. XL. & alii.

Si quae sunt onera tuorum) Quae sunt haec onera? opinor vel propinquus aliquis Cassii, vel amicus, qui cum eo fuisset in provincia, pecuniae contra leges captae, aut ereptae accusabatur: qui si damnatus esset, manifestum praejudicium fuisset in Cassium.

Si tanta sunt) *Tanta*, minuit hic potius, quam auget magnitudinem: ut epist. 8. lib. VIII. *Sin aut non erit istic bellum, aut tantum erit, ut vos, aut successores, parvis additis copiis, sustinere possint*.

Ea sustinere) Efficere, ne damnentur. Translatio, quia dixerat, *Onera*.

Propera: nihil tibi erit lautius) Ex omnibus antiquis libris unus omnino Masseorum est, in quo ita legatur; nam reliqui mei, *Prope*; Mediceus, *Propere*, habet, ex quo patet, qui veritatem e tenebris velit educere, multos ei consulendos esse veteres libros. Sententia satis aperta.

Lautius) Elegantius.

Scis, quid sustinere possis) Scis, an tuis opibus efficere possis, ut absolvantur tui. Tecta admonitio, quasi dicat: si damnantur tui: tibi quoque periculum impendet.

Senatus) Senatusconsulto.

Populus) Lege epist. 7.

Paullum) Consulem, epist. 13.

Est Curio: est Furnius) Uterque tribunus pl. epist. 11. lib. VIII. & ad Att. epist. 18. lib. V.

Enitare) Supra: *Omnes tuos nervos in eo contendas*.

Quasi in eo sint mihi omnia) Supra: *Ut in eo fortunas meas positas putem*.

Tristissimis meis temporibus) Clodianis, cum in exsilium Cicero pulsus est.

Cum Bruto tuo) M. Bruto, cujus soror uxor erat Cassii. Plutarchus, & alii.

Suavitatis) Habet rationem ætatis ; nam erant Cicerone multis annis juniores.

EPISTOLA XV.

VTerque nostrum) Vterque enim, victo in Pharsalia Pompeio ab armis discessit : verum prior Cicero. propterea subjungit : *Ejus consilii princeps egi fuisse videor*.

Spe pacis) Fore enim sperabam, ut, illo in Pharsalia quasi quodam fatali prœlio facto, pax consequeretur ; sed, cum homines essemus, ea futura, quæ acciderunt, divinare non potuimus.

Odio civilis sanguinis) Verum : tamen illud verius, *spe pacis* ; nam bellum in Africa renovatum iri non putavit : quod infra significat, & ad Atticum aperte, epist. 16. lib. XI.

Plus fortasse tibi præstare ipse debeo, quam a te exspectare) Efficere ipse, debeo, ne te pœniteat consilii tui, non a te exspectare, ut ea scribas ad me, quibus in sententia confirmer. Hoc præponit, quia dicturus erat, quod in extremo posuit : *Velim scribas ad me, quid videas, quid sentias, quid exspectandum, quid agendum nobis existimes*. Hanc enim ob causam scripsisse videtur has litteras.

Si non totam causam) Fieri enim posset, ut Pompeiana causa uno prœlio victa, tamen afflicta & perdita plane non esset.

Nostrum judicium definiri convenire) Vt arma deponeremus ; judicare enim ex una pugna potuimus, persequi nos belli civilis extrema non debere.

Deleri) Deletur enim resp. cum de communi jure, pace contemta, disceptatur armis.

Imminutam) Vno prœlio.

Scilicet) Eleganter usurpatum pro *nimirum* · epist. 6. lib. I. & 21. lib. IX. & ad Att. epist. 10. lib. XIII.

Nos non vidisse) Non enim fore putavimus, ut in Africa tantum bellum, tantis Pompeianorum copiis, excitaretur. Videtur significare, ab armis fortasse discessurum neque ipsum, neque Cassium fuisse, si vidissent ea futura, quæ postea præter utriusque opinionem acciderunt ; jam enim dixit, utrumque spe pacis abesse a belli pertinacia voluisse, quod apertius ad Attic. scripsit, epist. 16. lib. XI. *Qui ex Asia* (inquit) *veniunt, nihil auditum esse dicunt de pace : cujus ego spe in hanc fraudem incidi*.

Cum homines essemus) Quibus divinare non licet.

Et victores communi saluti consulere vellent) Pace facta, victis ignoscendo.

Et victi suæ) Depositis armis, venia præteritorum petita.

Africa) Pompeiani, qui se post Pharsalicum prœlium in Africam contulerant. Metonymia ; nam ab eo, quod continet, significatur id, quod continetur.

Quam cognovit Asia, quam etiam Achaia) Quam cognoverunt ii, qui post Pharsalicam pugnam se in Asiam, & in Achaiam receperunt. Videtur autem hic locus indicare, scriptam esse hanc epistolam postea quam Cæsar ex Alexandrino bello per Asiam, & Achaiam in Italiam revertit. Ego aliter sentio ; nam, ante reditum suum in Italiam, Pompeianis multis, vel in Asia, vel in Achaia commorantibus, Cæsar ignovit. Hoc probatur verbis epist.14. lib.XI. ad Att. cum adhuc Cæsar esset Alexandriæ ; tamen in illa epistola scribit Cicero ignotum esse quibusdam Pompeianis, qui vel in Achaia, vel in Asia consederant. Præterea cum ait in hac ad Cassium epistola : *Qui nescio quem istum Pharnacem Asiæ terrorem illaturum putares ?* num dubie significat, Cæsarem cum Pharnace bellum gerere ? Iam illud, *Ego, qui festinavi, ut Cæsarem in Italia viderem* : satis aperte, ut mihi videtur, demonstrat, Ciceronem Brundusii adhuc esse, necdum Cæsarem vidisse.

Ipso) Cæsare.

Legato, ac deprecatore) Non exspectasset, ut Pompeiani legatos ad eum, qui deprecarentur, mitteret ; sed ipse ad eos, quæ est ejus humanitas, & clementia, ultro ivisset, atque ut pace facta reconciliarentur, deprecatus esset.

Temporibus) Occasionibus.

Quæ plurimum valent) Nam neque res eædem semper sunt, neque hominum voluntas.

Interpositus annus) Inter pugnam Phar-

Pharsalicam, & id tempus, quo Cæsar, consumtis (ut ait Appianus) in Alexandrino bello novem mensibus, Pharnacem devicit.

Alios induxit, ut victoriam sperarent, alios, ut ipsum, vinci, contemnerent) Pompeianorum, bellum in Africa renovantium, duo genera ponit: quorum alii, anno post Pharsaliæ cladem interposito, in spem victoriæ venerant; alii, licet victoriam non sperarent, pugnare tamen statuerant, ita animati, ut, etiam si contigisset, ut vincerentur, non laborarent.

Culpam fortuna sustinet) *Culpam* vocat, quia bellum in Africa renovetur; sed fortunæ culpam, non hominum.

Tantam moram) Novem mensium. Appianus.

Nescio quem istum Pharnacem) Quem nemo tanti roboris putavit, ut Asiæ terrorem inferret. Mithridatis filius fuit, quo Cæsar mox unica pugna superato, scripsit ad amicos: *Veni, vidi, vici*, ut Pompeium carperet, qui tantum mulierculis in Asia pugnasset. Hic locus nondum victum esse Pharnacem ostendit, ex quo licet epistolæ annum invenire. Fuisse autem, cum Pharnaces Asiam terreret, Ciceronem Brundusii, duæ ad Atticum epistolæ, 21. 22. lib. XI. clarissime demonstrant.

In consilio pari) Discedendi ab armis, & spe pacis, & odio civilis sanguinis.

Casu dissimili) Hoc explanatur sequentibus verbis: quorum sententia, collecta breviter hæc est. Tu te ad Cæsarem ipsum contulisti, ut cum eo esses: ego me Brundusium, ut eum exspectarem.

Consiliis interesses) Cæsaris. Cassius enim cum classe in Hellesponto Cæsari occurrens, non solum ei se tradidit, verum etiam apud eum mansit. Dio lib. XLII.

Futura animo prospicere posses) Quod iis non licet, qui consiliis non intersunt. Propterea dixit infra: *Velim scribas ad me, quid videas, quid sentias, quid exspectandum, quid agendum nobis existimes.*

Festinavi) Cujus eum consilii graviter pœnituit. Ad Att. epist. 6. & 9. lib. XI.

Sic enim arbitrabamur) Nam neque de Alexandrino bello, neque de Pharnace suspicari poteramus.

Longissime) Cicero enim Brundusii, Cæsar in Ponto, confecto jam, ut arbitror, Alexandrino bello.

In gemitu Italiæ, & in urbis miserrimis querelis) Absente Cæsare, M. Antonius multa contra leges, moremque majorum tyrannico more commisit; itaque Cicero Oratione secunda in illum: *Italiæ*, inquit, *percursatio, comite mima: in oppida militum crudelis, & misera deductio: in urbe auri, argenti, maximeque vini fœda direptio.* Et paulo post: *Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? cogebat egestas: quo se verteret, non habebat: erat ei vivendum latronum ritu; ut tantum haberet, quantum rapere potuisset.*

Si auctor adfuisset) Cæsar, quo auctore publicis vulneribus mederemur.

Quid videas, quid sentias) Potes enim, cum intersis consiliis, futura animo prospicere: supra.

Primis illis) Quibus suadebas, ut omnino ab armis abstinerem.

EPISTOLA XVI.

CUm hæc tertia jam epistola ante oppressit) Sic olim emendavimus ex antiquo libro Vincentii Riccii a Spe, idque testati sumus ante aliquot annos in scholiis nostris; nam quod est in aliis veteribus libris: *Cum hæc tertia iam epistola ante operis sit*; id mihi prorsus non placet; sensus enim videtur esse durior, nec tamen, nisi fallor, verus; quid enim? adeo ne longa est hæc epistola, ut opus videri possit? cum præsertim eam, quæ sequitur, Cicero brevem appellet, quæ tamen brevior, quam hæc, non est.

Exigam) Quasi debitas; cum ego tres epistolas jam ad te miserim. Nonius in, *Exigere*, addit: *Quando hercle ego temere exigam.*

Neque id κατ' εἴδωλον φαντασίας) Quod Græce φαντασία, Latine *visum* dici posse, ait Cicero Acad. 1. Hic igi-

igitur interpretamur, *per spectrorum visa*. Putabant igitur Epicurei, si quis aliquam rem cogitaret, ejus rei spectrum, & imaginem ad cogitantis animum advolare, de qua opinione dubitat Cicero, & in eo jocatur.

Tui amici novi) Epicurei, quorum dogmata Cassius ante biennium probare cœperat.

Διανοητικὰς φαντασίας) Mentis, vel intelligentiæ visa.

Spectris Catianis) Cogitationibus illis, quæ spectra Catius vocabat, Epicurus & Democritus εἴδωλα.

Hic spectra nominat) Tacite, nec sine joco, Catium accusat, qui, quod Græce εἴδωλον, *spectrum* Latine converterat. Et Cassius in epistola sua, quasi jocum joco reddens: *Nec tamen*, inquit, *hoc usu venit propter spectra Catiana*. Et quia senserat, Catium a Cicerone reprehensum, quasi Græci verbi malum interpretem, ægre ferens Epicureos suos ut barbare loquentes morderi, tamquam ad ulciscendam injuriam subjunxit: *Pro quo tibi proxima epistola tot rusticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum esse dicas*.

Excitari) Commoveri; dicebant enim Epicurei, si quis aliquid cogitaret, ejus animum cogitatæ rei spectro feriri; id Cicero infra explanat, cum ait: *Doceas tu me oportebit, cum salvus veneris, in mea ne potestate sit spectrum tuum, ut, simul ac mihi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat*. Et proxime: *Si insulam Britanniam cœpero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolabit ad pectus?* Hic igitur aperte Cicero ostendit, Epicureorum hanc opinionem fuisse, ut spectra non modo in oculos, sed in animum quoque, si quam rem cogitare cœpissemus, incurrerent. Libro autem de Fin. I. ex Epicuri sententia non cogitatione spectra in animo gigni, sed spectrorum incursione adduci nos ad cogitandum, non obscure docet: *Imagines* (inquit) *quæ εἴδωλα nominant, quorum incursione non solum videamus, sed etiam cogitemus*. Eodemque spectat illud epist. 3. lib. II. ad Attic. *Si κατ' εἴδωλον εμπτώσεις videremus, valde laborarent εἴδωλα in angustiis*.

Catius) De quo Quinctilianus lib. X. cap. 1. *In Epicureis levis quidem, sed non injucundus tamen auctor est Catius*.

Insuber) Sic olim placuit: quamquam videremus in antiquis omnibus libris esse, *Insuper*.

Gargettius) Epicureus, ex ignobili pago Gargetto, unde Cicero lib. II. de Nat. deor. *Quam volet*, inquit, *Epicurus jocetur, homo non aptissimus ad jocandum, minimeque respiciens patriam*. Laertius, Suidas.

Democritus) Abderites, Pythagoræ imitator, quamquam eum non audiverit. Laertius.

His autem spectris) Et hic jocum quærit, iterato spectrorum vocabulo.

Etiamsi oculi possent feriri) Quæ fuit Epicuri sententia.

Quod velis ipsa currunt) Vincentii Riccii a Spe liber habet: *Quod in his incurrat*; reliqui: *Quod velis ipsa currunt*; unus hoc totum non habet, sed amplam lacunam, quantam scilicet implerent hæc ipsa verba; ut fortasse Græcum aliquid desit; nam eodem modo, qui librum illum descripsit, ubi Græcum aliquid occurrit, inane spatium reliquit. Hæc mihi varietas mendi suspicionem affert, & libenter legerem: *Quod, cum velis, ipsa incurrunt*, id est, in animum.

Insulam Britanniam) Si, quam numquam vidi, cœpero cogitare.

Si enim stomachabere) Quod irridere videar Epicuri dogmata.

Ex qua heresi) E Stoica, ut ex epist. 19. intelligitur.

Vi hominibus armatis) Per jocum verba mutuatur ex iurisconsultorum formulis; nam hoc significat: postulabimus, ut, omissa voluptate, referas te ad virtutem, a qua discessisti. Vide epist. 13 lib. VII.

In hoc anno) Quod addi solebat in omnibus interdictis.

Cum virtuti nuncium remisisti) Cum virtutem amare desiisti. Translatio ab iis, qui divortium faciunt.

In integro res nobis erit) In integro non esset, si, ut in ceteris interdictis, item in hoc adderetur, *In hoc anno*. Sed tibi annuum spatium definitum non est: conceditur, ut

ut vel post biennium, aut etiam triennium cum virtute in gratiam redeas.

Quamquam qui cum loquor) Quamquam, cum te noverim, sperare posse videor, te ad virtutem esse rediturum; nihil enim umquam fecisti, nisi plenissimum amplissimæ dignitatis.

In ista ipsa αἱρέσει) In Epicurea secta, quam probare cœpisti.

Nervorum) Cum ego eam mollem & imbecillam putarim.

Quid tibi in mentem venit, inquies) Cur hæc scribis? inquies.

Neque enim, quod sentio, libet scribere) Epist. 4. lib. II. *In hoc genere hæc mea causa est, ut neque ea, quæ sentio, velim scribere.*

P. VICTORIUS.

Quod vel iis ipsis occurrant) Locum inquinatissimum ita purgari posse censuimus, non insulse (ut opinor) neque ineleganter: alii studiosos in iisdem volutari sordibus voluerunt. Magnas labes in antiquis scriptoribus factas esse, quod ab imperitis librariis, quandoque ex duabus una dictio facta sit, aut contra, ex una duæ, fatebuntur. Quod si quis hic quoque factum esse concedit, nullus labor est reliqua restituere. Infinitis locis in Mediceo codice duarum vocalium, quas appellant, altera absorpta est. Ad Pætum: *Salis enim satis est, sanorum parum*. Ad eumdem: *Tenuculo apparatu* significans Balbum fuisse contentum, pro *Samniorum* & *Tenuiculo*. Possemus infinita alia exempla afferre, & hoc frequentius est, cum eædem litteræ sunt, ut in epistola Q. Ciceronis: *Res est aut Tribuniciis, aut privatis consiliis muniendis*, pro Tribuniciis. Nam de Germanorum fide bene existimo: video enim illos epistolarum antiquos codices habuisse, multaque adnotasse, quæ ficta non esse & commentitia ausim affirmare. De sententia horum verborum non laboro; puto enim me affatim ostendisse citatis testimoniis magnorum virorum, decretisque illorum explicatis, si ita legatur, omnia opinionibus illius familiæ respondere.

EPISTOLA XVII.

Ἐξσπεδὰ πάντα περὶ πάντων) Omnia de omnibus: longissimas litteras de omnibus rebus.

P. Sullam patrem) Corneliæ gentis, eum, ut opinor, pro quo exstat Ciceronis Oratio: vide ep. 19. lib. IX. ep. 10. & lib. II. de Off.

Mortuum) Extra urbem; nam subjungit: *Alii a latronibus, alii, cruditate, dicebant*.

Habebamus) Audiebamus.

Non curabat) De genere mortis; mortuum autem esse lætabatur. Eodem modo jocatus est Cicero de Sullæ morte epist. 10. lib. IX.

Combustum enim esse constabat) Itaque de morte dubitari jam non poterat: in hac familia combustum esse neminem, ante Sullam dictatorem, lib. VII. cap. 14. Plinius prodidit.

Pro tua sapientia feres æquo animo) Ironia; satis enim sciebat non dolere Cassium ejus hominis morte, qui bona Pompeianorum emere in auctione solitus esset: infra.

Hasta) Signum auctionis. Ep. 10. lib. IX. *Ego cetera qui animo æquo fero, unum vereor, ne hasta Cæsaris refrixerit.*

Adversarium) In emendis Pompeianorum bonis.

De Hispania) In qua Cæsar cum Pompeii liberis pugnabat.

Tristiores) Adversis Cæsaris rebus.

Ἀδέσποτοι) Sine auctore.

Pansa) C. Vibius Pansa, qui postea cum Hirtio consul fuit.

Paludatus) Epist. 10. lib. VIII.

Profectus est) In Galliam citeriorem, M. Bruto successurus: ep. 25. lib. XII. ad Att.

Ut quivis intelligere posset) Ex hominum benevolentia, quæ discedentem prosecuta est.

Nuper) Ante biennium, vel triennium, Epicureus factus, epist. 16.

Dubitare cœpisti) Honestum enim non propter se ipsum; sed ita, si cum voluptate jungeretur, Epicurei expetebant.

Τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετόν) Honestum propter se expetendum.

Miseriis levavit) Valebat enim apud Cæsarem auctoritate.

Hominem præbuit) Humanissime se gessit : afflictis opem tulit. Sic Terentius in Heaut. *Homo sum : humani nihil a me alienum puto* . Sic locutus ep. 18. lib. V. *Te colligas , virumque probeas* .

Ἀκενόσπουδος) Minime curiosus, inanium rerum studio vacans , rumusculos cujusque rei non captans .

Erit gratum) Brundusii enim erat Cassius , remotus ab omni negotio .

EPISTOLA XVIII.

Φλυαρον) Garrulum , nugacem ; ego autem nugis & garrulitate non delector .

Σπουδάζειν) Serio agere , graves res tractare .

Non mehercule facillime) Ne Cæsarianos offendamus : quasi de bello Hispaniensi bene speremus , & ideo rideamus .

Aberrationem a molestiis) Epist. 37. lib. XII. ad Att. *Aberrationem a dolore* .

Vbi igitur , inquies , Philosophia) Non ea tibi molestias adimit .

Tua quidem in culina , mea molesta est) Mordet Cassium , ut Epicureum, cujus Philosophia voluptatem rebus omnibus præponeret . *In culina* : in epulis . Varie legitur hic locus in antiquis libris : *Tua quidem in culina tua molestiat* : vel , *Tua quidem in culina mea molestiasset* : vel , *Et quidem in culina mea molesta est* : vel , *Tua est ? quidam , in culina mea molestiasset* : in uno pro *Molesta* , *Molestia* legitur .

Pudet enim servire) Reprehendit me, quia serviam .

Facio me alias res agere) Fingo me non servire , sed aliis rebus operam dare .

Ne convicium Platonis audiam) Servientes objurgantis .

De Hispania) In qua Cæsar contra Pompeii filios bellum gerebat .

Mea causa) Quia careo consuetudine tua .

Tua) Quia solutus omni cura frueris otio jucundissimo , ἀκενόσπουδος , epist. 17.

EPISTOLA XIX.

S*pectra Catiana*) Vide ep. 16.

Rusticos) Indocte & barbare loquentes .

Stoicos) Quorum sectam probas , ut Epicurea meliorem .

Regeram) Contra objiciam , tu Catium notasti ut rusticum & indoctum: ego contra , tot rusticos tibi Stoicos nominabo , ut Catius , cum iis collatus , urbanissimus esse videatur . *Regerere* , est ei , qui aliquid reprehendat , aliquid contra objicere . Plinius lib. XIII. cap. 15. *Confines ei Mauri : quibus plurima arbor cedri , & mensarum insania : quas feminæ viris contra margaritas regerunt* .

Athenis) In urbe totius Græciæ humanissima , & eruditissima. Ep. 1. lib. VI. *In ea urbe es , ubi nata & alta est ratio ac moderatio vitæ* .

Pansam) Epist. 17.

Ad bonos pervenire) Vt ad Pansam, probum & clementem virum , pervenit honor Galliæ administrandæ .

Difficile est enim hominibus persuadere) Quod nunc persuadebitur exemplo Pansæ ; propterea dixit : *Spero homines intellecturos , quanto sit omnibus odio crudelitas , & quanto amori probitas & clementia* .

Τὸ καλὸν δι᾽ αὑτὸ αἱρετὸν εἶναι) Honestum per se expetendum , hoc significat : multi cum honestum sequuntur , honorem & utilitatem spectant; Pansa vero honestum amat propter ipsum , ideo jure perveniunt ad eum, quæ mali concupiscunt .

Ἡδονὴν vero & ἀταραξίαν) Voluptatem & statum mentis perturbatione carentem ; in his enim duobus felicitatem locabat Epicurus : quod Plutarchi , Laertii , & aliorum testimoniis probatur .

Virtute , justitia , τῷ καλῷ parari) Hoc sensisse Epicurum , affirmat Cassius : quamquam Catius , & Amafinius , Epicuri verba perperam interpretati , secus opinarentur . Quod si virtute , justitia , honesto voluptas tranquillitasque mentis paratur : quis Epicuri , hoc sentientis , dogma non probet ?

Omnes Catii , & Amafinii) Omnes ii , qui similes Catii sunt & Amafinii . De Catio epist. 16. de Amafinio Tusc. IV.

Mali verborum interpretes) Vel quia εἴδωλα Catius verteret *spectra* : vel quod Epicureorum duo genera , unum eorum , qui Epicuri mentem sensu

falso

falso interpretabantur, opinati voluptatem eam, quam rebus omnibus præponebat Epicurus, non virtute, justitia, honesto, sed obscenis turpibusque rebus parari: quod Catius, Amafinius, & horum similes alii senserunt, σοφισαι a Laertio vocati. Alterum genus eorum erat, qui voluptatem ab honesto & virtute disjungendam non putabant: quod apertis verbis Epicurus ostendit, cum scriptum reliquisset: Ουκ εστιν ἡδεως ανευ τε δικαιως και καλως ζην. *Non licet suaviter vivere, nisi juste & honeste vivatur*. Ex hoc genere Cassius & se ipsum esse, & Paniam, & alios præterea significat.

Dicit) In suis sententiis, quæ Græce κυριαι δοξαι, a Cicerone *ratæ sententiæ* vocantur, lib. I. de Nat. Deor. lib. II. de Fin.

Ουκ εστιν ἡδεως ανευ τε καλως και δικαιως ζην) Non potest jucunde vivi, nisi honeste & juste vivatur, quam sententiam l. II. de Fin. sic attigit Cicero: *Cum diceres clamare Epicurum, non posse jucunde vivi, nisi honeste, & sapienter, & juste viveretur*. Et Tusc. III. *Negat Epicurus jucunde posse vivi, nisi cum virtute vivatur*. Et Tusc. V. *Epicurus negat quemquam jucunde posse vivere, nisi idem honeste, sapienter, justeque vivat*. Exstant apud Laertium Epicuri aliquot epistolæ: quarum in tertia sunt hæc: Διο και φιλοσοφιας τιμιωτερον ὑπαρχει φρονησις, εξ ἡς αι λοιπαι πασαι πεφυκασιν αρεται, διδασκουσαι, ὡς ουκ εστιν ἡδεως ζην, ανευ τε φρονιμως, και καλως, και δικαιως· ουδε φρονιμως, και καλως, και δικαιως, ανευ τε ἡδεως. *Quocirca ex Philosophiæ bonis prudentia antecellit, ex qua reliquæ virtutes omnes oriuntur, docentes quod jucunde vivere possit nemo, nisi prudenter, & honeste, justeque vivat: nec contra prudenter & honeste, justeque, quin & vivat jucunde*. Et infra, ubi recitat ejus sententias: Ουκ εστιν ἡδεως ζην, ανευ τε φρονιμως, και καλως, και δικαιως· ουδε φρονιμως, και καλως, και δικαιως, ανευ τε ἡδεως, οτῳ δε τουτο ουχ ὑπαρχει, ου ζῃ φρονιμως, και καλως, και δικαιως. και ὡ τουτο ουχ ὑπαρχει, ουκ εστι τουτο ἡδεως ζην. *Non potest jucunde vivi, nisi prudenter, & honeste, ac juste vivatur: nec prudenter, & honeste, ac juste vivitur, nisi jucunde*. Cui igitur non adest, ut prudenter, & honeste, ac juste vivat; nec jucunde ille vivere potest. Quod Cicero lib. I. de Fin. Latine sic expressit: *Clamat Epicurus, non posse jucunde vivi, nisi sapienter, honeste, justeque vivatur; nec sapienter, honeste, juste, nisi jucunde*.

A vobis) Epicureos irridentibus, tamquam voluptatis, nulla virtutis cura, studiosos; itaque vocatis eos φιληδονους tantum, non, ut oporteret, etiam φιλοκαλους, και φιλοδικαιους.

Φιληδονοι) Amatores voluptatis.

Φιλοκαλοι, και φιλοδικαιοι) Amatores honesti, & justi.

Sulla) Cujus mortem Cicero significaverat, epist. 17.

Cujus judicium probare debemus) Quasi præstantis viri. Ironia.

Dissentire) De summo bono: quod alii ponerent in sola voluptate, alii in virtute, quidam in divitiis, aut in alia re.

Quid bonum esset) Quod esse varium videbatur ex varia Philosophorum sententia.

Omnia bona coemit) Ne erraret in delectu, omnia bona sumsit. Ludit in ambigua bonorum significatione; nam Philosophi de summo bono disputabant: Sulla vero Pompeianorum bona omnia, cum in auctione venderentur, coemit.

Forti mehercule animo) Et hic jocatur; nullam enim Cassius molestiam cepit ex obitu Sullæ.

Desiderare) Nemo Sullam desiderabat: sed, quasi desideraretur, ita fore Cassius dicit, ut alios ei similes restituat Cæsar.

Habet damnatos, quos pro illo nobis restituat) Arguta in primis & festiva sententia; lege Pompeia damnatos restituerat Cæsar: ut legimus apud eum l. III. de Bel. Civ. hoc latenter Cassius notat: cum tamen de iis loquatur, quos Cæsar ad sectiones faciendas, ne hasta refrigesceret, Sullæ mortuo suffecturus esset. Iocus est in verbo, *Restituat*, ambigua significatione, ad majorem Cæsaris contumeliam.

Ipse) Cæsar, cujus erat pecunia, quæ de venditis Pompeianorum bonis colligebatur.

Sectorem) Sector is est, ut Pedianus ait,

ait, qui condemnati bona emit in auctione: & *secari* autem, & *caedi* bona dicuntur; unde illud Crassi oratoris in procemio lib. III. de Orat. *Non tibi illa sunt caedenda, si Crassum vis coercere.*

Filium) P. Sullae, qui patrem imitabitur: itaque sectore non carebimus; ep. 3. lib. III. ad Q. fr.

Nisi sollicitus sum) De belli eventu.

Clementem) Caesarem.

Crudelem) Cn. Pompeium, Magni filium.

Αντιμυκτηριουμ) Vicissim deridere, sed rustice gladio; nam urbani homines facetiis & salsis dictis, non gladio, derident.

Soluto) Curis vacuo, non impedito.

Quid me facere oporteat) Vtrum sollicito, an soluto me animo esse oporteat.

P. VICTORIVS.

Ἡ'δονην *vero & ατεραξιαν*) Ita accurate de hoc loco disseruimus, ut aliquid nunc addere supervacaneum existimemus. Medicaeus verae lectionis vestigia & ipse retinet: habet enim *Αιαριαν*, ut si secundae litterae apicem addas, *αταξιαν* facias, quod in aliis etiam manu scriptis invenitur. Animadvertimus autem librarium, qui eum codicem scripsit, in hoc saepe peccasse; & ut imperitum Graeci sermonis I pro T, crebro sumsisse, ut paulo supra, *το καλον*, & ad Fabium, *γελωτα καρδωνιον*. In cunctis autem media syllaba defecit. Praeclara etiam vox Epicuri a Clemente in VI. commentario de vera Philosophia adducitur, qua docuit ille non parvum justitiae fructum esse, quod ea reddit animum omni perturbatione vacuum; in ea autem explicanda ille hoc nomine usus est, *δικαιοσυνης καρπος μεγιςος αταραξια*. Sed altera etiam ejusdem a Plutarcho in commentario adversus Colotem Epicureum, qua dignitatem hujus securitatis mirum in modum celebraverat. Plutarchi ipsius verba sunt: *Αλλα τινες εισιν οἱ ταυτα συγχεοντες και αρδην αναιρουντες ουχ οἱ της αταραξιας σεφανον συμβλητον ταις μεγαλαις ἡγεμονιαις λεγοντες.* *Verum nonnulli sunt, qui hoc confundunt, ac penitus evertunt: atque animi securitatis coronam maximis principatibus nullo pacto conferendam esse dicunt.* Hanc & superiorem illam, de incursione simulacrorum, castigationem, quae non parvam doctrinam continent, & ab eo qui Epicuri sententiarum rudis sit, intelligi non possunt, exposui nuper Francisco Medici optimo ac nobilissimo juveni, ut quid de hac omni re sentiret, intelligerem: non quod Epicureus ille sit; est enim omni liberali doctrina eruditissimus: sed cum omnes Peripateticorum sententias cognitas habere voluerit; non sprevit etiam hujus familiae decreta, in primisque Romanum Poetam, qui inventa Epicuri politissime expressit, amavit; eamque operam in eo posuit, quae & illi necessaria erat, & omnibus ipsius studiosis grata esse debebit. Ita autem loquor, quia spero illum cum per graviora studia, quibus deditus est, ei licuerit, non passurum tot, tamque utiles suos labores frustra ab aliis desiderari. Vt autem omnes intelligant, me non sine causa de illius doctrina & sedulitate tam egregie sentire, locum e multis ab ipso felicissime restitutis, qui nunc mihi succurrit, exponam. In II. lib. Lucretius, ubi docet corpora individua, cum multitudine infinita sint, figuris esse finita; narratque quod incommodum sequeretur, si formae illorum sine fine essent: quod Democritus, & Leucippus voluerant, inquit (ut Francisci opera cognoscimus)

Aurea pavonum ridenti imbuta lepore
Secla, novo rerum superata colore,
jacerent.

Qui versus, quam deformati antea in omnibus libris essent, & quam planam elegantemque nunc sententiam habeant, omnibus notum esse potest. Praesidio autem ille antiquorum codicum, adhibito etiam judicio, quo plurimum valet, omnes illinc maculas delevit. Hanc libenter ipsius hic castigationem adjunxi, quia non parvo ornamento huic meo libello fore putavi. Consultus igitur ille a me super duobus his locis, judicium meum probavit, & hanc dixit se veram esse illorum lectionem arbitrari.

Epi-

EPISTOLA XX.

ORatorem meum) Sic appellat librum suum de perfecto oratore; ep. 18. lib. VI. *Oratorem meum tantopere a te probari, vehementer gaudeo*.

Sabino) Nomen proprium, a regione tamen deductum. Pro Sext. *Maledicto Sabino homini Rheatino*.

Natio hominis) Nota enim Sabinorum probitas & fides. Livius de Numa: *Suopte ingenio temperatum animum virtutibus fuisse opinor magis, instructumque non tam peregrinis artibus, quam disciplina tetrica, ac tristi Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit*.

Candidatorum) Qui magistratum petentes, populo se, quæsita interdum fictis cognominibus gratia, commendant.

Etsi molestus ejus vultus) Altera causa, cur ei librum recte committi putaret. Impulit me, inquit, non solum hominis natio, quia Sabinus; verum etiam modestus ejus vultus, sermoque constans, Sabinam integritatem quandam ex parte referens.

A Curibus) Numæ regis patria, Sabinorum olim urbe nobili.

Ad amorem meum aliquantulum discedens addidisti) Pro, *Aliquantulum*, veteres libri omnes *Aliquantum olim*, uno excepto, in quo est, *Aliquantulum olim*, ex quo placuit, *Aliquantulum*; nam, *Olim*, locum non habet: cum Trebonius paulo ante discessisset: quod illud infra demonstrat: *Iter tuum cujusmodi sit, ubi Brutum nostrum videris*.

Igniculum desiderii tui) Eam, qua incendimur, tui videndi cupiditatem.

Istic est) In vobis reipub. liberatoribus, te Cassio, Marco, & Decimo Brutis: quibus provincias senatus decreverat; nam in urbe, dominantibus Antonio & Dolabella consulibus, respub. non esse videbatur.

Brutum nostrum) M. Brutum; qui, metu plebis ab Antonio concitatæ, militumque veteranorum, urbe excesserat.

De bellicis rebus) Pro liberanda rep. ab Antonio consule oppressa.

Quo statu simus) Est enim in vobis resp.

EPISTOLA XXI.

EPistolam tuam) Quæ non exstat; nam illa, quæ est decima sexta lib. XII. de Ciceronis filio, & de Antonio significat: de quibus in hac nulla mentio; & hæc de Calvo respondet; illa mentionem Calvi nullam habet; præterea, illa post interitum Cæsaris, hæc ante scripta est.

Liorum) De quo infra.

In ea voluptate hunc accepi dolorem) Similis figura epist. 9. lib. I. *In molestia gaudeo*. Quo loco vide, quæ diximus.

Discedis a nobis) In provinciam Asiam proficiscens; ep. 16. lib. XII.

Ut illa omittam, quæ civitate teste, fecisti, cum mecum inimicitias communicasti: cum me concionibus defendisti) Lepida figura, brevem commemorationem dissimulationis arte inducens earum rerum, quarum producta narratio satietatem potius, quam delectationem afferret. ἀντίφρασις Græce vocatur: cum quædam nos dicere negamus, & tamen dicimus: ut ep. 3. lib. VIII. ad Att. *Omitto illa vetera: quod istum in remp. ille aluit, auxit, armavit*. Et Terentius in Eun. *Ut omittam, quod ei amorem difficillimum & carissimum ab meretrice avara, virginem, quam amabat, eam confeci sine molestia*. Et Virg. II. Georg.

An memorem portus, Lucrinoque addita claustra?

Fecisti) Temporibus Clodianis.

Concionibus) Quas, ut opinor, privatus habuit, concedente magistratu: nam si eas tribunus pl. habuisset; non ante quæsturam, cujus mentio proxime sequitur; sed post nominatus esset: nam tribunatus pl. post quæsturam dabatur: gessit autem tribunatum Trebonius Pompeio II. Crasso II. consulibus, id est biennio post quæsturam, quam gessit Pisone & Gabinio coss.

In mea, atque in publica causa) Quo tempore Ciceronem consules Gabinius & Piso, eodem remp. prodiderunt: communis igitur & Ciceronis & reip. causa fuit: siquidem ille in conjuratos, indicta quidem causa, sed jubente senatu, animadverterat: quo facto lege Clodia in exsilium abiit.

Tribuno pl.) P. Clodio, fortasse jubenti, ut omnes magistratus in legem suam jurarent.

Tuus collega) Alter quæstor urbanus: nam duo ærarium curabant.

In armis) Civili bello.

In reditu) Cum post Pharsalicam pugnam in Italiam redii.

Curæ & dolores mei) Vehementer enim Ciceronem pœnituit, in Italiam venisse, non arcessitum a Cæsare: vide epist. 6. lib. XI. ad Att.

Brundusium) Vbi Cicero tam diu moratus est, donec Cæsar, confecto Alexandrino bello, in Italiam rediit.

In Hispaniam) Vt Hispaniæ præesset, post præturam, quam gessit anno superiore proximo, Cæsare iterum & Servilio coss.

Liber iste) Quem scripserat Trebonius de dictis Ciceronis.

Sive sic) *Sic*, minuendi vim habet, ut epist. 13. lib. XV. ad Att. *Cautum Marcellum, me sic, sed non tamen cautissimum.* Et apud Terentium in Heaut. *Sic satis.*

De uno me) Alii, *de uno, de uno me*; quæ geminatio mihi non admodum probatur: non quod ea sæpe Cicero non utatur, idque graviter & ornate: sed etiam sententia, nisi opinione fallor, hoc in loco requirere non videtur.

Si te non amarem) Quia de me uno tamdiu cogitasses.

Futurum satis) Malim, *facturum satis*: ut subaudiatur, *Me*; alioqui, *Quo tamen ipso*, unde regatur, non erit: nam, *futurum*, nullo modo cum auferendi casu conjungi potest.

Illas Calvo litteras misi) Videtur ad Ciceronem scripsisse Trebonius, sibi non probari, quod Calvum tantopere laudasset: id Cicero excusat, quod ad ipsum Calvum cum scriberet, aliter scripserit, quam si multos lecturos putasset: laudaverat enim illum aliquanto plus, quam veritas concederet. Hic est Licinius Calvus, C. Licinii Macri filius; qui de repetundis apud Ciceronem prætorem accusatus, voluntaria morte pœnam præcurrit: auctor Valerius Max. & Plutarchus.

Acute movebatur) Quod est ingenii. Sic Acad. lib. I. *Zeno, cum valde subtiliter differret, & peracute moveretur, corrigere conatus est disciplinam.*

Genus quoddam) Dicendi.

Quo valebat tamen) Qua tamen parte valebat, id est ingenio, consequebatur id quod optimum putabat: quam puto fuisse exilitatem orationis: nam Calvus Atticum se oratorem videri volebat: & nimia quadam religione orationem attenuans, dum verebatur, ne quasi vitiosum sanguinem colligeret, verum etiam deperdebat: hoc enim de illo Cicero scripsit in Bruto: laudatur tamen & a Cicerone, & a Quinctiliano, Tacito, & aliis.

Vis non erat) Exiliter enim, sicco, jejune dicere, id esse Calvus putabat, Attice dicere: quod & in libro, quem Oratorem inscripsit, & alibi Cicero reprehendit.

Plurimum valet, si laudes eum, quem cohortere) Id observat epist. 1. lib. II. epist. 8. lib. II. & alibi.

Existimavi bene) Bene judicavi: id enim valet, *existimare*, hoc in loco, ut epist. 7. lib. I. *Ex eventu homines de tuo consilio existimaturos.*

Profectionem) In Hispaniam.

Iudicabis) Si tua in me officia multum tecum recordabere.

PAVL-

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN EPISTOLAM I. LIBRI XVI.

ORdinem epistolarum fere omnium ad Tironem ostendit ratio temporis, ex adscripta cuique die, & in ipso argumento satis nota. Prima sine dubio est, quæ incipit, *Paullo facilius*: secunda, *Non queo*: tertia, *Nos apud*: quarta, *Varie*: quinta, *Vide*: sexta, *Facilius*: septima, *Septimum*: octava, *Nos a te*: nona, *Etsi opportunitatem*: decima, *Quo in discrimine*: undecima, *Magno*: duodecima, *Omnia*: tertiadecima, *Menandrus*: quartadecima, *Ægypta*: quintadecima, *Spero*: sextadecima, *Video*: decimaseptima, *Sollicitat*: decimaoctava, *Exspecto*: decimanona, *Ego vero*: vicesima, *Quid igitur?* vicesimaprima, *De Tirone*: vicesimasecunda, *Etsi mane*: vicesimatertia, *Tu vero*: vicesimaquarta, *Cum vehementer*: vicesimaquinta, *Etsi justa*: vicesimasexta, *Verberavi*: vicesimaseptima, *Mirificam*.

EPISTOLA I.

AD *honorem nostrum*) Ad triumphum, quem sperabat; sed, eum ne discordiæ civiles impedirent, verebatur: id quod evenit; propterea dicit: *Quamprimum ad urbem venire*.

Peccasse mihi videor, qui a te discesserim) Simile illud epist. 13. lib. IV. *Vt hoc ipsum, quod maneam in vita, peccare me existimem*.

Cibum cepisti) Stomacho non, ut antea, respuente: ideo scripsit epist. 6. *Jus tibi dandum non fuit, cum κακοστόμαχος esses*.

Tuum consilium est) Tui consilii sit, velis navigare, necne: hoc tuæ permitto voluntati: epist. 8. lib. VIII.

Marionem) Servum.

Hæc pro tuo ingenio considera) Vt tibi faciundum videbitur, ita facies.

Illud igitur potius) Vt valentem videamus.

De tuis innumerabilibus in me officiis) Epist. 4. *Innumerabilia tua sunt in me officia; domestica, forensia; urbana, provincialia; in re privata, in publica; in studiis, in litteris nostris; omnia viceris, si, ut spero, te validum videro*: & epist. 3.

III. non.) III. non. discesserat a Tirone, ut in epist. sequenti, & 9.

EPISTOLA II.

QVo animo sim affectus) Quia te careo.

Tertio die abs te) Discesserat igitur a Tirone III. non. nam hæc epistola scripta est nonis; superior III. non.

Alyziam) Qui est Acarnaniæ locus, a mari distans quindecim stadiis, ut ait Strabo lib. X.

Leucadem) Quondam Neritum dictum. Plinius lib. IV. c. I.

Stadia CXX.) Stadia Columella & Plinius metiuntur passib. CXXV. id est pedib. DCXXV. Gellius pedib. DC. Suidas e stadiis septem & dimidio milliarium constituit: qua ratione milliarium e mille passibus, unde nomen sumsit, non constabit. Videtur autem Plutarchus idem fere sensisse: nam in Gracchi vita milliarium ait e stadiis esse paullo minus quam octo: cum ex octo integris constare debeat: si modo in stadio passus fuere CXXV, in milliario mille.

Epi-

EPISTOLA III.

Ante diem IIX. id. Nov.) Hic locus aperte demonstrat, *ante diem IIX. id.* idem esse, quod IIX. id. quod aliis probavimus exemplis epist. 7. lib. VIII.

Magistrum tuum) Quem propterea magis, quam alios, amare debes: epist. 10. *Docui te*, inquit.

Marionem) Epist. 1.

Vtilitatibus tuis possum carere) *Vtilitates* hic non pro rebus utilibus accipiuntur, sed pro operis quas Tiro, cum valeret, Ciceroni præbere solitus erat: ut ab eo, quo utimur, non ab eo, quod utile est, deducatur. Sic ad Att. ep. 5. lib. VII. *Tironem, etsi mirabiles utilitates mihi præbet, cum valet, in omni genere vel negotiorum, vel studiorum meorum, tamen propter humanitatem & modestiam malo salvum, quam propter usum meum*. Et Lucretius lib. VI. *Vtilitatem*, pro, *usum* dixit: *Nihil adeo posset cuiquam leve, tenueque membris Vertere in utilitatem*. Mansit hæc significatio usque ad venerabilis Bedæ tempora: nam in quadam homilia: *An tu*, inquit, *calumniaris ea, quæ oculis vides, manu tenes, utilitate sentis?*

EPISTOLA IV.

De medico) Asclapone ep. 9.

Cum κακοστόμαχος esses) Stomacho cibum non appetente: quæ dicitur ἀνορεξία: non enim, quicumque κακοστόμαχος est, jure læditur: Ius autem pulli gallinacei, quo æquari humores videmus, & alii prodidere, non dubito, quin significet.

Lysonem) Patrensem, de quo epist. 1. & 9. & lib. XIII. ep. 19.

Curium) Ad quem scribit lib. VII. ep. 3. nominatur & in hoc libro ep. 5. & 9. & ad Att. ep. 2. 3. lib. VII.

Suavissimum hominem) *Suavitatem* ejus ep. 28. lib. VII. *urbanitatem* epist. 31. nominat, & ep. 2. lib. VII. ad Att.

Quod ad valetudinem opus sit) Quæcumque res ad valetudinem opus sit, in ea sumtu ne parcas.

Daret) Tibi. ep. 5. lib. VIII. ad Attic. *Tironem Curio commendes; ut ei, ut petiit, si quid opus erit, in sumtum eroget*. Et epist. 6. *Tironem video in sumtum ab aliis mutuatum: ego autem Curium nostrum, si quid opus esset, rogaram: malo Tironis verecundiam in culpa esse, quam illiberalitatem Curii*. Et ad Tironem ep. 9. *Curio misi, ut medico honos haberetur, & tibi daret, quod opus esset*.

Innumerabilia) Epist. 1. 6.

Si recte erit) Si valebis ep. 5. *Cum meliuscule tibi esset*. Epist. 22. *Spero tibi melius esse*.

Quæstore Mescinio) Qui post Ciceronem in Italiam venit: epist. 20. De quæstoribus Ciceronis diximus epist. 3. lib. III.

Decursurum) Maritimo cursu ad me venturum.

Consulito navigationi) Ep. 6. *Cum valetudinis rationem habueris, habeto etiam navigationis*. Et epist. 1. *Comites, & tempestates, & navem idoneam ut habeas, diligenter videbis*.

Nullo loco) Dum mihi nullam serviendi occasionem prætermittis, valetudini tuæ servire non potuisti: ep. 18.

Lepta) Præfectus fabrum apud Ciceronem proconsulem: epist. 7. lib. III.

EPISTOLA V.

Thyrei) Locus inter Alyziam & Leucadem: nam Patris Alyziam, inde Thyreum, Thyreo Leucadem Cicero venit: unde proficiscens hanc epistolam scripsit. Thyreo nullas litteras dedit: quia duas tantum horas ibi mansit.

Facturum puto) Aliqua re proposita: cum Cicero subjungit sententiam suam, utitur hac figura, quam & gravitas, & brevitas commendat, ut hic: *Is omnia pollicitus est, quæ tibi essent opus: facturum puto*. Et epist. 15. lib. XIII. *Incensus studio rerum tuarum, eas litteris Græcis mandare cupiebat: posse arbitror: valet ingenio*. Ad Att. epist. 4. lib. X. *Iurabat ad summam, quod nullo negotio faceret amicissimum mihi Cæsarem: esse debet*.

Marionem remitterem) Quem antea miserat: epist. 1.

Cum meliuscule tibi esset) Epist. 6. *si recte erit*: epist. 22. *spero tibi melius*

lius esse. Tusc. I. *Pompeio melius factum est*.

Acastus) Servus Ciceronis est: epistola 10. 14. & ad Att. epist. 9. lib. VI.

Patras) Vbi ægrum Tironem reliquerat: epist. 2. lib. VII. ad Att.

EPISTOLA VI.

TErtiam) *Primam*, hoc initio, *Variæ*: secundam, *Vide*.

Eadem die) Pro, *Eodem die*, contra Asconium, qui *Diem* feminini generis a *Die* masculini distinguit: ut illa sit tempus, hic XXIV. horarum spatium. In epist. ad Q. fr. lib. III. *Antiquior dies adscripta erat in tuis litteris, quam in Cæsaris*. Et Virg. lib. II.

Jamque dies infanda aderat. ——

Charisius eamdem distinctionem Varroni tribuit: a quo ipse dissentiens adjungit: *Quod nemo servavit*.

Igitur illa) Scribamus eadem, quæ antea: quæ mihi in primis curæ sunt.

Innumerabilia) Idem ep. 1. 6.

Cum valetudinis rationem, ut spero, habueris, habeto etiam navigationis) Ep. 4. *Cum valetudini tuæ diligentissime consulueris; tum, mi Tiro, consulito navigationi*.

Actio) Ad hoc Acarnaniæ promontorium Antonius ab Augusto maritima pugna victus.

EPISTOLA VII.

NOn *sederemus*) *Sedere* interdum est nihil agere, ut hic, & apud Terentium: *Sedere domi virginem tam grandem*.

Per anni tempus.) Abeunte hieme: epist. 33. lib. X. *Anni tempus libertatem majorem mihi dat*. Plautus in Merc. *Itidem ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum convenit*: sic alibi *tempus diei*, *tempus ætatis*.

XV. Kal. Nov.) Si attendimus, quod epist. 9. scriptum est, cogemur credere, *Dec.* non *Nov.* legere.

EPISTOLA VIII.

AΚινδυνα μεν, χρονιωτερα δε) Tuta quidem, sed diuturniora: id est, te quidem non ægrotare periculose, sed morbum fore diuturniorem.

In magna consolatione ingens inest sollicitudo) Est quædam non invenusta figura, cum contrarium contrario jungitur, ut alterum altero levetur: exemplum exstat epist. 9. lib. I. *In molestia gaudeo*. Quo loco plura hujus generis ostendimus.

Si diutius a nobis abfuturus es, is, cujus usum, &c.) Eadem figura lib. II. de Orat. *Quorum princeps Socrates, is, qui, &c.* Et alibi, *Vsum* pro *consuetudine* poni, ut aliis quoque locis, quivis, opinor, intelligit.

Explorate) *Caute*, dixit Cicero epistola 9.

Ψυχος δε) Frigus autem tenui cuti inimicissimum. Senarius Euripidis; sed amissæ tragœdiæ.

EPISTOLA IX.

AD *Cassiopen*) De quo loco Plinius & Strabo.

Ludibundi) Ludentibus similes, navigatione jucundissima.

Cn. Plancii) Pro quo exstat oratio.

Omnino liberassent) Quod esset factum, si te plane valere significassent.

Asclapo) Quem Sulpicio commendat ep. 20. lib. XIII.

Symphoniam Lysonis vellem vitasses) Συμφωνειν, est *concinere*: per translationem *obsequi*, ut hic: nam cum Tiro in aliqua re valetudini contraria, Lysoni eum invitanti, obsecutus esset, verebatur Cicero, ne in quartam hebdomadem ejus morbus perduceretur: nam eorum morborum, qui cito terminantur, magna pars, vel secunda, vel tertia hebdomade finem invenit: quod si qui ad quartam pervenerint, metuenda diuturnitas.

Hebdomadem) Si *hebdomadem*, Græco more legas: Gellium corrige, ubi legitur quibusdam locis, *Hebdomada*, &, *Hebdomadam*.

Pudori tuo) Qui te adduxit ad symphoniam Lysonis, id est, ad obsequium.

Curio) Quem nominavit 4. 5. 11.

Misi) Pro, *mandavi*: epist. 4. *Scripsi ad Curium, quod dixisses, daret*. Ad Att. epistola 7. lib. XIII. *Misi equidem ei nunciari, te exspectasse ejus adventum*.

Ut medico honos haberetur) De pecunia intellige, non de honore: unde *Honorarium*, præmium honoris causa datum.

Ex Kal. Ian.) Novis consulibus magistratum ineuntibus.

Magni tumultus) Consulibus in eam curam una cum Pompeio contendentibus, ut Cæsari Galliæ ante decennii tempus, lege jam concessum adimerentur; tribunis vero plebis pro Cæsare pugnantibus: quæ belli civilis origo fuit.

Agemus omnia modice) Sic, ut neque Pompeii, neque Cæsaris animum offendamus.

Caute) *Explorate*, dixit Q. Cicero, epist. 8.

Honesto aliquo homine) *Honesto*, non ad mores, sed ad dignitatem refertur.

Incolumen stiteris) Recte alii verbum *Stiteris*, mutatione minima, cum sit in antiquis libris *Steteris*, reposuerunt. Sic ad Att. epist. 14. libro X. *Te vegetum nobis in Græcia siste*.

EPISTOLA X.

EGo vero) *Vero*, in principio epistolæ, responsionem significat, epist. 23. & lib. IV. epist. 6. lib. VII. epist. 30. lib. IX. epist. 5.

Hac tamen epistola) In qua, te satis belle habere, significas.

Acastus) Servus, epist. 5. 14.

Oculos paullum sustulerunt) Contrarium contrario reddidit, quia dixerat, *oblanguerunt*; nam languore oculi demittuntur.

Pompeius) Obierat jam Pompeius Magnus, quem Cicero, cum non addit prænomen, significare solitus est. Itaque, *Pomponius*, pro Pompeius, reponendum esse, jampridem suspicatus sum; non enim, Pompeio Magno mortuo, quemquam præterea Pompeium, ita Ciceroni familiarem invenimus, ut, prænomine omisso, tamen indicaretur.

Cupienti audire nostra) An aliquid scriberem.

Muta esse) Tacere enim litteræ videntur, cum nihil scribimus. In Bruto: *Quod huic debes, ego a te peto. Quidnam id, inquam? Ut scribas, inquit, aliquid; jampridem enim conticuerunt tuæ litteræ*. Et lib. II. Off. *Cum resp. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, illæ scilicet litteræ conticuerunt, forenses & senatoriæ*.

Musis nostris) Communem a nobis operam exigentibus.

Operas) Quas præbere consuesti.

Reddas) Intermissas tuo morbo.

Nostra) Quæ ad me pertinent, quæ me esse facturum tibi promisi. Manumissio significatur; ep. 14.

Docui enim te, fides ἔτυμον quod haberet) Docui te, *Fidem* inde dictam, quia fiat id, quod promittitur. Lib. I. de Off. *Docui tamquam magister*. Ep. 3. *Si nos amas, & præcipue me magistrum tuum, ἔτυμον, notationem, quod rem, de qua prædicatur, ut ait Boetius, notam faciat*.

EPISTOLA XI.

ETiam firmiorem fore) Quam fuisti ante morbum; hoc ideo dicit, quia pituitam, & melancholicum humorem quartana febris exsiccat. Galenus in primo de Arte Cur. ad Glauconem.

Ex desiderio) Mei.

Labores) Epist. 14. *Audio te animo angi, & medicum dicere, ex eo te laborare*.

Nauseæ) Quæ navigando præsertim insolentibus, & stomacho infirmis, excitatur.

Ad urbem accessi) Non enim urbem, nisi triumphans, ingredi volebat.

Cupiditates certorum hominum) Ep. 12. *Mirus invaserat furor non solum improbis, sed etiam iis, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante, nihil esse bello civili miserius*. Et lib. IV. ep. 1. *Incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias*. Et lib. VI. epist. 6. *Causa belli orta est: Quid ego prætermisi aut monitorum, aut querelarum? cum vel iniquissimam pacem justissimo bello anteferrem, victa est auctoritas mea, non tam a Pompeio, (nam is movebatur) quam ab iis, qui duce Pompeio freti, peropportunam & rebus domesticis, & cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant*.

Exercitum & provinciam) Quæ senatus populusque concesserant.

Invito senatu) Qui, coitione consu-

lum

lum & Pompeii, decreverat, ut Cæsar, exercitu dimisso, provinciam successori ante tempus traderet. Cæsar lib. I. Bel. civ. Suetonius, Plutarchus, Appianus, Dio, & alii,

Curio meus illum incitabat) Velleius lib. II. discussas ait, ac ruptas a Curione pacis conditiones, quas & Cæsar justissimo animo postulabat, & Pompeius æquo recipiebat.

Antonius quidem noster, & Cassius) M. Antonius, Q. Cassius, tribuni pl.

Nulla vi expulsi) Imo expulsi, injusto S. C. ut queritur Cæsar lib. I. Bel. civ. & Suetonius pulsos plane ait.

Cum Curione) C. Curione, superioris anni tribuno pl.

Ne quid resp. detrimenti caperet) Quo uno versiculo summa in cives potestas committebatur; vide orationem pro Deiotaro, Cæsarem lib. I. Bel. civ. Sallustium in Catil.

Paratiorem ducem) Cæsarem laudat invitus, ut epist. 9. lib. VIII. ad Att. *Hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia est*.

Comparatur) Quidquid ad bellum pertinet.

Sero cœpit timere) Cum eum ipse aluisset; quod sæpe queritur Cicero.

Flagitavit) A consulibus, ut referrent.

Lentulus) Cognomento *Crus*, vel *Cruscellus*; ep. 4. lib. VIII.

Nihil cupide) De rep. ut arbitror, potius, quam de triumpho; quod ex verbo sequenti, *Auctoritas*, intelligitur, & ex eo, quod in epistola superiore dictum est: *Romæ, vereor, ne ex Kal. Ian. magni tumultus sint; nos agemus omnia modice*. Aut igitur hæc temperantiæ significatio ad remp., non ad triumphum, aut ad utrumque simul spectat.

Nos Capuam sumsimus) Ep. 12. *Ego adhuc oræ maritimæ præsum a Formiis; nullum majus negotium suscipere volui*. Et ad Att. ep. 11. lib. VII. *Ego negotio præsum non turbulento; vult enim me Pompeius esse, quem tota hæc Campana & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & summa negotii referatur*.

EPISTOLA XII.

Domos nostras, & patriam ipsam vel diripiendam, vel inflammandam reliquimus) Epist. 1. lib. IV. *Vrbem relictam direptioni & incendiis*. Hoc Pompeii consilium de urbe relinquenda, sæpe reprehendit Cicero, ut ep. 16. lib. II & ad Att. epist. 10. lib. VII. & alibi; non enim aggregare placet exemplorum copiam.

Mirus furor) Epist. 11. *Cupiditates certorum hominum, &c.*

Improbis) *Invado* cum dandi casu, ut hic, apud Sallustium, Varronem, Accium; cum accusandi casu, addita præpositione *In*, sæpe apud Ciceronem; sine præpositione, apud eumdem, sed raro; nullo casu, apud Terentium: *An morbus invasit?*

Amentia) Qui a rep. desciscunt, amentes, insani, furiosi dicuntur. Infra: *Videtur, si insaniet, posse opprimi*.

Nominis) Quod antea magnis rebus pro rep. gestis adeptus est.

Honorum) Epist. 9. lib. I. *Cum Cæsar, singularibus ornatus & novis honoribus, ad eam causam accederet*. Quo loco supplicationes, novo numero auctæ significantur; hic autem non tam supplicationes, quam magistratus & imperia.

Quam sapienter, aut quam fortiter) Id est, nec sapienter, nec fortiter.

Hispaniam) Pompeii provinciam; quod Cicero, vitandi belli civilis caussa, censuit. Epist. 6. lib. VI. *Eumdum in Hispaniam censui; quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset*. Hac de re in epistolis ad Att. & in omnibus fere historiis.

Domitio) L. Domitio Ahenobarbo, Cæsaris inimico, quem Suetonius ait successorem ei per tumultum esse nominatum. Consul fuerat cum Ap. Claudio.

Considio) Q. Considium senem nominat ep. 24. lib. II. ad Att.

Noniano) Ex Nonia gente in Considiam adoptato. Hic nondum consul fuerat: itaque Gallia citerior prætoria facta provincia.

Ad consulatus) Secundi, quem gessit cum P. Servilio, Isaurici filio.

Absentis rationem haberi sui) Quod ei lege permissum erat, ipso Pompeio con-

consule pugnante; vide epist. 6. lib. VI. ut omittam historias omnes. Hic a vulgatis libris antiqui dissentiunt; nam pro, *Sui*, omnes habent *Suam*: pro *Absentie*, nonnulli, *Absente se*.

Trinundinum) Lex ad populum ferenda promulgabatur prius, ut per trium nundinarum spatium populo pateret; quo posset, lege satis considerata, quid sentiret, suffragiis ostendere. Eadem, opinor, in magistratibus creandis ratio fuit; promulgatis per tres nundinas eorum nominibus, qui petebant: ut populus, de quibus suffragium laturus esset, tanto ante nosset. Atque hic *Trinundinum*, pro Trinundini spatio dictum puto, ut Phil. V. *Promulgatio trinundinum*. Et pro domo: *Sit accusatio trinum nundinum*. Ibidem: *Si quod in ceteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est, trium esse horarum: nihil reprehendo*. Pro C. Cornelio, apud Priscianum: *Ex promulgatione trinundinum dies, potestasque venisset*. Et Varro γεροντοδιδασκαλῳ· *Rusticus Romanus internundinum barbam alebat*: pro, internundini spatio. Servari a se velle consuetudinem veterem in petendo, modo Pompeius iret in Hispaniam, Cæsar ostendebat.

Vt removeas præsidia ex iis locis, quæ occupavit) Occupaverat Ariminum, Pisaurum, Anconam, Arretium; supra, & Cæsar lib. I. Bel. civ.

Sic esse, ut sumus) Vagi, relicta patria, in summo discrimine; supra: *Domos nostras, & patriam ipsam vel diripiendam, vel inflammandam reliquimus*.

Preter transpadanos) Quibus Cæsar & ædilis, & consul civitatem dare cogitaverat: quod postea dictator effecit. Dio. Transpadanos autem Cæsari studuisse, auctor est Cicero epist. 7. lib. VII. ad Att. & ep. 2. lib. V. ad eumdem.

Afranio & Petreio) Legatis Pompeii, quos postea Cæsar devicit.

Modo ut urbe salva) Timebat propinquum malum: ne Cæsar, priusquam opprimeretur, urbem vel diriperet, vel inflammaret; ideo proxime dixit: *Tantummodo ut eum intercludamus, ne ad urbem possit accedere*.

T. Labienus) Asiæ gentis, plebejæ: qui cum legatus Cæsaris in Gallia res præclaras gessisset, postea Pompeium secutus, nihil parta gloria dignum administravit. Ep. 14. lib. XIV. *Labienus rem meliorem fecit*. Et ad Att. epist. 13. lib. VII. *Labienum upon judico; facinus jamdiu nullum civile præclarius: qui ut aliud nihil, hoc tamen profecit: dedit illi dolorem: sed etiam ad summam profectum aliquid puto*. Idem alii.

Ore maritime) Vide epist. 11. & ad Att. epist. 11. lib. VII.

A Formiis) Præfecturæ meæ primum oppidum Formiæ sunt.

Nullum majus negotium suscipere volui) Epist. 7. lib. IV. *Neque tu multum interfuisti rebus gerendis; & ego id semper egi, ne interessem*. Epist. 6. lib. VI. *Susceptum bellum est, quiescente me*.

Video me castris, & certis legionibus præfuturum) Non præfuit, ac ne interfuit quidem Pharsalico prælio. Epistola decima octava libro nono: *In acie non fui*. De Divin. lib. I. Plutarchus.

Dolabella noster) Sic epist. ult. lib 7. *Cassius tuus, & Dolabella noster*. Noster autem, quia gener. epist. 16. lib. II. epist. 12. lib. VIII.

EPISTOLA XIII.

MEnandri) Servi, quem ad Tironem miserat, ut antea quoque Marionem.

EPISTOLA XIV.

ANdricus) Non dubito, quin hic sit idem, qui *Menander* in epistola 13. nominatur; itaque cum putarem, vel in ea epistola, *Andrici*, non *Menandri*, vel in hac *Menandrus*, pro *Andricus*; reponendum esse: consului veteres libros; quorum in uno corrupte quidem, unde tamen veritas elici possit, *Atandrius*; in altero, *Menadricus*: in tertio clarissimis litteris, *Menandrus*, legitur: utroque enim modo, *Menandrus*, & *Menander*, usitate dicitur. Propertius lib III. el. 21.:

Librorumque tuos, docte Menandre, sales.

Et Ovidius:

Dum fallax servus, durus pater, improba lena,
Vixerit, & meretrix blanda, Menandrus erit.

Ex hoc loco, non unum aut alterum,

num, quod sæpe jam dixi, sed multos ad tollenda menda inspiciendos esse veteres libros, plane constat; nam in quibusdam, etiam antiquitate celebratis, legitur *Andricus*.

Habui noctem plenam timoris ac miseriæ) Sic lego ex veteribus aliquot libris: placere aliis video: *Habui noctem plenam timoris; ac miseriis: tuis litteris nihilo sum factus certior, quo modo te haberes: sed tamen sum recreatus*. Quod minime placet. Quo modo enim miseria major est, quæ nascitur ex litteris Tironis; cum, iis acceptis, recreatum se dicat, id est, priore miseria liberatum, aut certe valde levatum?

Medico) Asclaponi, epist. 9. & lib. XIII. epist. 20.

Mercedis) Hoc est, quod dixit ep. 4. *Medico ipsi puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior*. Et epist. 9. *Curio misi, ut medico honos haberetur*.

Id scripsi ad Mumium) Veteres libri varie, *Mumium*, *Munium*, *Numium*, *Nummum*, *Vatinium*, *Vmmium*; omnes, ut ego suspicor, mendose. Quis enim iste est vel *Vmmius*, vel *Mumius*, vel *Munius*, vel *Numius*, vel *Nummus*, vel *Vatinius*, a quo pecuniam medico promitti Cicero vult? is enim nusquam neque in his ad Tironem, neque in iis, quæ ad Atticum scriptæ sunt, epistolis nominatur. Ad Curium quidem se scripsisse, ut Tironi, quidquid opus esset, in sumtum erogaret, utique significat, ut ep. 4. *Scripsi ad Curium, quod dixisses, daret: medico ipsi puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior*. Et ep. 9. *Curio misi, ut medico honos haberetur, & tibi daret quod opus esset*. Et ad Attic. ep. 5. lib. VIII. *Fasciculum qui est M' Curio inscriptus, velim cures ad eum perferendum: Tironemque Curio commendes; ut ei, ut petiit, si quid opus erit, in sumtum eroget*. Et ibidem epist. 6. *Tironem video sumtum ab aliis mutuatum: ego autem Curium nostrum, si quid opus esset, rogaram*. Quare videtur in hac etiam ad Tironem epistola Curius omnino significari; &, ut dicam quod sentio, legendum opinor sit: *Id scripsi ad Manium*: mutatione fere nulla: cum in vetere libro scriptum sit, *Munium*. Fuisse autem *Manium*, Curiorum prænomen, nemo fere paullo eruditior ignorat. Nec mirum videatur, solo prænomine quemquam indicari; nam, cum ad Tironem sæpe Cicero de Curio & hac ipsa de re scripsisset: prænomen poni, cum de homine notissimo loqueretur, satis esse duxit: ut interdum *Servium*, *Appium*, *Sextum* nominat, neque addit, *Sulpicium*, *Claudium*, *Peducæum*. Prænomen autem *Manius*, quia non admodum erat usitatum, idcirco librariorum incuria sæpe transiit in *Marcus*, eo facilius, quod *M'*, quo *Manius* ostenditur, minimum distat a *M*. Hinc M. Acilius Glabrio, M. Aquilius, M. Curius, mendose ubique pro M'; quod mendum sustulimus ex epist. 17. lib. XIII. & ad Att. epistola 2. 3. lib. VII. & ep. 5. lib. VIII. ad eumdem.

Ex eo te laborare) Epist. 11. *Non ignoro, quantum ex desiderio labores*.

Humanitatemque) Non dubito, quin *humanitatem* hic Cicero, non pro facilitate quadam & benevolentia erga homines, sed pro eruditione posuerit: ut lib. I. de Orat. *In omni recto studio atque humanitate versarentur*. Lib. II. *Homini non hebeti, non exercitato, neque communium litterarum, & politioris humanitatis experti*. In Verrem: *Tu sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris intelligis & judicas?* Gellius autem libro XIII. cap. 16. *Qui verba*, inquit, *Latina fecerunt, quique iis probe usi sunt, Humanitatem non id esse voluerunt, quod vulgus existimat, quodque a Græcis φιλανθρωπία dicitur, & significat dexteritatem quamdam, benevolentiamque erga omnes homines promiscuam; sed humanitatem appellaverunt id propemodum, quod Græci παιδείαν vocant: nos eruditionem, institutionemque in bonas artes dicimus; quas qui sinceriter cupiunt, appetuntque, ii sunt vel maxime humanissimi; hujus enim scientiæ cura & disciplina ex universis animantibus uni homini data est, idcircoque humanitas appellata. Sic igitur eo verbo veteres esse usos, & cum primis Varronem, & Tullium, omnes ferme libri declarant; quamobrem satis habui unum interim exemplum afferre; itaque verba posui Varronis e libro rerum human. rum primo: cujus principium hoc est: Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini est paullum modo humaniori ignotus*.

Animo valere) Quo non valet, qui angi-

angitur: epist. 11. *Non ignoro, quantum ex desiderio labores*.

Dies promissorum adest) Manumissionem significari puto, ut etiam ep. 10. *Nostra ad diem dictam fient; docui enim te, Fides ετυμον quod haberet*. Et ep. 15. *Ego te omni cura liberabo*.

Repraesentabo) Non exspectabo diem dictam: manumittam te etiam ante, si adveneris.

EPISTOLA XV.

AEGypta) Nomen servi: ad Att. epistola 15. lib. IX. Misit ad Tironem Cicero quinque servos suos, ut & benevolentiam in eum ostenderet, & de ejus valetudine certior fieri posset: Marionem primum, ep. 1. deinde Menandrum, epist. 13. postremo Hermiam & coquum, epist. 15. Acastum autem non misit, sed cum eo reliquit, epistola 5.

Belle habere) Epist. 9. lib. IX. *Terentia minus belle habuit*.

Omni cura liberabo) Manumittam te: epist. 10. 14.

EPISTOLA XVI.

INdignum illa fortuna) Indignum, qui serviret.

Amicum) Manumissus enim incipit esse in amicorum numero.

Exsilui gaudio) Alibi, *Exsultat gaudio*, vel *exsultat*, simpliciter. Ad Attic. lib. VII. ep. 2. *Quo modo exsultat Catonis in me ingratissimi injuria?* ep. 7. lib. II. *Incessi omnibus laetitiis*.

Et ago gratias, & gratulor) Haec interdum conjunguntur, ut epist. 9. lib. II. *Cum gratulor, tum vero, quibus verbis tibi gratias agam, non reperio*.

Statii) A Q. Cicerone manumissi: epist. 18. 19. lib. II. ad Attic. & ep. 2. lib. I. ad Q. F.

Fidelitas) Differre arbitror *fidelitatem* a *fide*: ut *fides* in mente sit, *fidelitas* re declaretur: propterea Plautus Trin. *Probo, & fideli, & fido, & cum magna fide*.

His ipsis commodis) Fidelitate: de qua dixit jam, *Haec eadem bona*: quasi in una fidelitate multa commoda, multaque bona sint.

Propter hanc) Quod Tironem liberaveris.

Vel quod) Hoc etiam nomine. Tale illud epist. 13. lib. II. *Vel quas proxime acceperam, quam multi, & officii, & consilii*. Et epist. 24. lib. VII. *Vel quas proxime de Tigellio*.

Sic) Verbis laetitiam significantibus: ut plane te totum in litteris viderim.

Sabini) Cognomen Romanae familiae, epist. 20. lib. XV.

Pueris) Servis.

EPISTOLA XVII.

VIdeo quid agas) Opinor hoc significari: Tironis epistolas ita diligenter scriptas esse, ut cupere videretur eas quoque in volumina referri. De voluminibus epistola 7. lib. III.

Tuas quoque) Ita ut meae referuntur. Fuit enim haec ipsius Tironis opera: quod & Nepos in Attici vita ostendit: & Cicero ipse epist. 4. lib. XVI. ad Attic. negat quidem eas a se in volumina referri, a Tirone tamen ait aliquot servari: *Mearum* (inquit) *epistolarum nulla est συναγωγη: sed habet Tiro instar septuaginta, & quidem sunt a te quaedam sumendae; eas ego oportet perspiciam, & corrigam: tum denique edentur*.

* Κανων) Regula: utrum hoc ad judicium Tironis, qui scripta Ciceronis examinare, atque interdum etiam corrigere solitus esset, an ad diligentiam pertinet, qui summam in iis custodiendis ordinandisque curam poneret? ad judicium potius, ut opinor: quod indicant ea, quae sequuntur: miratur enim Cicero, parum aperte translato verbo Tironem usum esse, quem ipse judicem suis in scriptis habere consuevisset.

Ακυρον) Improprium, alieno loco positum.

Verecunda translatio) *Ut in suum locum verba immigrasse, non in alienum irruisse videantur*: quod ait Cicero lib. III. de Orat. & in Bruto. Vide Arist. de Arte Poetica, & lib. III. Rhetoricorum.

Demetrius) Is, de quo ep. 19. 22.

Quo quidem comitatu αφωμιλημενα, satis scis) Qui vident acutius, iis examinandum hunc locum relinquo: nam mihi quidem tenebrae sunt; putavi interdum, αφωμιλημενους, legendum: pro,

usus:

asus: verbo composito ab *ανι* & *ἀμιλλω*.

EPISTOLA XVIII.

NOn sic oportet) Inscribi epistolas meas.

Διαφορησις) Animi relaxationem. Alibi est, ut medici loquuntur, evaporatio: sic *διαχυσις*, proprie cum sit humorum diffusio, accipi tamen interdum non modo a Græcis, verum etiam a Latinis, ut a Cœlio Aureliano, pro exhilaratione solet.

Tusculanum) Quo se Tiro contulerat, animi & valetudinis causa. Si tibi, inquit, Tusculanum quoque profuerit, item ut profuit *διαφορησις*, cum ex urbe exiisti: longe mihi erit amabilius, quam antea.

In modum procedit) Satis procedit; nam ego vere existimo me a te amari. *Modus* moderatum quid ostendit: unde *Modice* propterea interdum dicitur, *Mirum in modum*, *Majorem in modum*, & similia.

Vt est) Malim, *Vtut est*: pro, quoquo modo res se habet: sive me vere amas, sive simulas; nam, *Vt est*, *Quo modo est*, *Quo modo se res habet*, affirmare videntur, & præsentem rei statum indicare. Cicero autem hic jocans dubitare se fingit.

Indulge) *Indulgere*, est nimium obsequi; plus concedere, quam deceat: ut ep. 4. lib. X. ad Att. *Q. filius indulgentia nostra depravatus, eo progressus est, quo non audeo dicere*. Et ep. 6. ibidem: *Pater, nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat*. Est etiam filii in patrem laudabilis indulgentia, in lib. III. Off. *Qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium*.

Cui quidem adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis) Epist. 4. *Adhuc, dum mihi nullo loco deesse vis, numquam te confirmare potuisti*.

Πεψιν, ακοπιαν, περιπατον συμμετρον, τερψιν, ευλυσιαν κοιλιας) Concoctionem, vitationem lassitudinis, ambulationem moderatam, oblectationem, facilitatem alvi.

Bellus) Recuperata valetudine: epistola 15. *Belle habere*.

Non modo te) Qui, pro amore in me tuo, diligentiam omnem ad convalescendum adhibueris.

Tusculanum) In quo morbum depuleris.

Plus amem) Pro, plus amabo. Paulo ante: *Quanto mihi illud erit amabilius*.

Parhedrum) Proprie, *παρεδρος*, *Assessor* est: transfertur ad alia, & consiliarium, aut custodem significat: fortasse loquitur Cicero de olitoris vicino.

Hortum) In agro Tusculano, ubi Tiro erat.

Ipse conducat) Conducere hortum in Tusculano, possessum a quodam olitore, Cicero cupiebat; ille nimium petebat: ut fere fit, emturis, aut conducturis aliquid iis, qui opibus abundant: fallere igitur olitorem Cicero cum vellet; Parhedrum, hominem non divitem, vicinum olitoris, vel suum, qui hortum ipsum minoris conduceret, deinde Ciceroni traderet, summittendum cogitabat.

Olitorem) De quo epist. 20.

Commovebis) Calefacies: hoc enim verbo infra utitur in eadem sententia: *Commovebis olitorem*. Opinor, dictum, pro molestia illum afficies: nam *calefacere*, id valet hoc in loco: ut ep. 9. lib. VIII. *Si Parthi vos nihil calefaciunt, nos hic frigore frigescimus*. Et epist. 2. lib. III. ad Q. Fr. *Gabinium ad populum luculente calefecerat Memmius*.

Helico) Sic veteres libri omnes, & opinor, mendose; obscure quidem certe: obscura autem omnia si mutare conemur, ultro implicabimur difficili cura, nec semper necessaria.

Nequissimus) Qui rem familiarem temere dissipat.

H S CIↃ) Sestertium mille, nostratis monetæ scutatis triginta.

Dabat) Reprehendit Cicero nequitiam illius Heliconis, qui pro eodem horto, quem ipse conducere volebat, dederat, olim scutatos annuos triginta, ex quo olitor in spem venerat, non minus Ciceronem daturum. Fortasse etiam alio de horto, quem Helico ille magna mercede conduxerat, loquitur Cicero: cujus exemplo velle dicit insanire, neque passurum, ut ab olitore tanta impensa, id est tanta mercede horto illo conducto, derideatur: atque in hanc opinionem eo venio libentius, quia verisimile non videtur, eum hortum Ciceronem conducere voluisse, qui nec apricus esset, & careret emissario, maceria, casa.

Calface) Commove: loquitur enim de olitore: de quo dixit jam: *Olitorem ipsum commovebis*.

Vt ego) Calefeci.

M. Othonem) *Mothonem*, antiqui libri omnes: placet vel *M. Othonem*, cujus crebra mentio lib. XII. ad Attic. vel *Mathonem*, eum fortasse qui nominatur epist. 25. lib. IX. vel *Motonem*, de quo epist. 50. ad Att. lib. XII. vel *Mutonem*, in oratione pro Fundanio.

Abutor coronis) Mihi ab olitore donatis. *Abutor* autem, quia calefieri eum a te volo, in quo videor ei malam gratiam referre.

De Crabra) Agri Tusculani aqua. In Rullum Orat. III. *Ego Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam, quia a municipio fundum accepi. Si a Sulla mihi datus esset, Rulli lege non penderem*. Et Frontinus de Aquæ duct.

Sudum) Serenum tempus, quasi sine udo.

Pangis) Scribis: de versibus dictum, non de soluta oratione, putat Festus, & Probus. Cicero tamen epist. 6. lib. II. ad Att. ad orationem solutam, nisi fallor, transtulit: *Ανεκδοτα*, inquit, *a nobis, quæ tibi uni legamus. Theopompino genere, aut etiam asperiore multo, pangetur*. Proprie, *Pangere*, est figere: unde *pangere clavum, plantam, stylum in cera*: inde factum, ut *Pangere*, sit scribere: quia versus in cera pangebantur.

Sophocleum) Simile Sophoclis versibus, qui excellunt inter alios: unde Virgilius:

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Fac opus appareat) Fac ut videam. *Opus* est id, quod post operam remanet, aut ex aliqua re quasi fructus enascitur: itaque interdum libri, opera dicuntur, ut hic: quia fructus otii significatur, & ad Att. ep. 6. lib. II. *Tibi superioribus litteris promiseram, fore, ut opus exstaret hujus peregrinationis*. Et lib. III. Off. *Nulla ejus ingenii monumenta, mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis munus exstat*. Accipitur igitur pro quacumque re, quæ post operam exstat, non simpliciter pro eo, quod scribitur; itaque male Latine loquuntur, qui, *Platonis opera*, dicunt.

A. Ligurius) Is est, de quo ep. 9. lib. XI. ad Att.

Exspectemus) Romæ.

P. VICTORIVS.

Helico nequissimus) Sic omnes quos vidi manuscripti, Mediceus in primis: impressi enim *Helluo*. Ex vetere scriptura libenter legerem, *Salaco nequissimus*: qua Græca voce usus est in epistolis ad Gallum: *Cognovisti meam causam, & istius Salaconis iniquitatem*; & in epistolis ad Atticum. Declaratio hujus vocis qua naturam ipsius Græci interpretantur, mire quadrat huic sententiæ Ciceronis: ait enim Salaconas dici *θρυπτομενους*, qui delicate vivunt: *και ου μη δει δαπανωντας*, & qui sumtum faciunt, ubi minime oportet: Cicero enim inquit, HS. CIↃ dabat nullo aprico loco, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa: grandem igitur pecuniam pendebat, ubi non decebat, & in rebus quæ nihil haberent commoditatis, aut oblectationis. Arist. lib. XI. Rhetor. ubi de moribus divitum differit, & in quibus fere peccent, ostendit, inquit: *τρυφεροι δε και σαλακωνες*: quo etiam in loco aperit, cur illi his vitiis obnoxii sint. Mire igitur exprimit Græca vox hujuscemodi ingenium, quale in eo; quem acerbe accusat, Cicero describit. S, autem ultima erat littera antecedentis dictionis, quæ cum geminata esse deberet (consequens enim vox ab eadem littera incipiebat) negligentia librarii relicta est: maculæ plurimæ hujuscemodi sunt. Par huic est, & eodem pacto conformata, quæ fœdavit locum Taciti in primo libro, ea autem tanti incommodi fuit, ut persuaserit docto, & diligenti viro locum illum stellula, ut desperatum notare; sic autem legendus totus est: *Atque idem cum Valerius Messalinus signum aureum in æde Martis Vltoris, Cæcina Severus aram ultioni statuendam censuissent, prohibuit ob externas eas victorias sacrari, dictitans, domestica mala tristitia operienda*. Potuit etiam hæc in Cicerone perversio nasci, quod superioribus temporibus mala quædam consuetudo erat libros corrigendi: non pauci enim fuerunt, neque hi omnino imperiti, nec parum in hoc munere jactati homi-

homines, qui cuncta, quæ statim non intelligebant, tollerent: a quibus multæ, quæ nunc in bonis auctoribus maculæ sunt, fluxerunt. Ostendimus alias, non pauca in Lucretio quondam ab eo, qui corrigere voluit, depravata fuisse: idem etiam de Catullo dicimus: cum enim ille vetustate ex majore parte dilapsus esset, non pauca præterea vulnera ab his sinistris correctoribus accepit. De una ipsius plaga nunc mentionem faciam, quæ ab eo imposita est, qui rariorem vocem ignorabat, & malo consilio usus eam delevit, ac communem pervulgatamque reposuit: illum autem nomine etiam appellare possem, quod tamen non faciam, parcamque dignitati hominis. Versiculi Catulli sunt in carmine de Ati:

Ait hæc minax Cybele: religatque juga manu.

Ferus se ipse adhortatus rapidum incitat animum.

Non solum autem manuscripti codices, sed nonnulli etiam formis excusi primis illis annis, quibus hæc ratio scribendi libros inventa est, habent: *Ferus sese adhortatus: lis, rapidum incitat animum*, quæ vera ac germana lectio est. *Lis* autem Græcis leo: quod qui ignorant, parum in lectione Græcorum Poetarum versati sunt, qui ea voce frequenter utuntur. Theocritus certe in Idyllio, quem appellavit Hylam, ter ipsa usus est. Libenter autem usurpare Poetas peregrina verba, & ea etiam ratione solere fabulas suas ornare, quis nescit? Hanc quondam, cum Romæ essem, castigationem exposui Francisco Mario Molsæ, maximi ingenii, ac eruditionis viro, ut ejus judicio potissimum uterer in eo Poeta expurgando, quem ille plurimum amat, ac politissimis suis versibus divinitus exprimit.

EPISTOLA XIX.

DEmetrium) De quo epist. 17. 22.

Redde nostrum) Sic locutus epist. 32. lib. VII. *Dolabellam redde plane meum.*

De Aufidiano nomine) Ut exigas ab Aufidio, quod debet.

EPISTOLA XX.

COmpone) Ordina, & dispone, suo quemque loco statue.

Indicem) Quem componere, majoris laboris est.

Cum Metrodoro) Medico.

Cum olitore) Epist. 18.

Spectare) In urbe.

Redire) In agros.

EPISTOLA XXI.

ADoptatissimus) Pro exoptatissimus: sic Vatinius ep. 9. lib. V. *Quem potius adoptem, aut invocem, quam eum, quo defendente, vincere didici?* Alibi, *Adoptare*, est eum, quem optamus, assumere: ut, *Adoptare filium*.

Buccinatorem) Qui quasi buccina canens, divulgas laudes meas: in oratione pro Archia, *præconem*, dixit Cicero pater: *O fortunate adolescens, qui tuæ virtutis præconem inveneris.*

Mihi successa) Pro *successisse*, quod Latini sermonis consuetudo ferre vix videtur. Omnino mirari satis non possum, non modo ab elegantia & copia, sed interdum etiam a proprietate paterni sermonis longe distare orationem filii: quod voluntatis potius, quam naturæ vitium esse arbitror.

Cratippo) Philosophorum principi in Peripatetica doctrina: de quo diximus epist. 16. lib. XII.

Brutio) Latino sermone: plerique tamen veteres libri, *Bruto*: mendose scilicet; opinor enim, qui subsequi mentionem Cassii viderunt, eos hunc esse M. Brutum, illum C. Cassium putasse; quasi vero post Cæsaris necem ita vacuo animo essent, itaque otio abundarent Brutus & Cassius, ut apud alterum Græce declamitare, apud alterum Latine exerceri Cicero filius arbitratu suo posset. Præterea, quis credat hoc ad M. Brutum pertinere? *Quem nullo tempore a me patior discedere.* Et illud? *Huic ego locum in proximo conduxi & ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem.* Non enim ut arbitror, ita loqueretur adolescentulus Cicero de claro viro, & ejus anni prætore, M. Bruto; nec ita Brutus ab amicis imparatus erat, ut a Ciceronis filio, cui pater in annuum

sumtum non satis large suppeditaret, sustentandus in Athenarum urbe nobilissima fuerit, numquam id (ut matrem Serviliam, propinquos, familiares reliquos omittam) Atticus tulisset; qui etiam, ut in ejus vita Nepos ait, Bruto Italia cedenti H-S c. muneri miserit, eidem in Epiro absenti ccc jusserit dari.

Cujus cum frugi, severaque est vita, tum etiam jucundissima convictio) Quæ summa laus est; severitatem humanitate temperare. Epist. 27. lib. XII. *Est autem ita temperatis, moderatisque moribus, ut summa severitas summa cum humanitate jungatur*. Quo loco plura diximus.

Philologia) Disputatione de litteris.

Συζητησει) Mutua quæstione.

Mitylenis) Cratippi patria.

Adduxit) Non multo ante; nam Pompeius eum, ex pugna Pharsalica fugiens; Mitylenis vidit.

Leonides) Qui cum ad Ciceronem de filio scriberet, certi nihil ausus est polliceri. Epist. 16. lib. XIV. ad Attic. *Cupio excurrere in Græciam: magni interest Ciceronis, vel mea potius, vel mehercule utriusque, me intervenire discenti; nam epistola Leonidæ quid habet quæso, in quo magnopere lætemur? numquam ille mihi satis laudari videbitur, cum ita laudabitur: Quo modo nunc est; non est fidentis hoc testimonium, sed potius timentis*. Et epist. 16. lib. XV. *Leonidas retinet suum illud, Adhuc: summis vero laudibus Herodes*.

Τα μεν ουν καθ' ἡμας, ταδε) Quæ igitur ad nos pertinent, hæc sunt.

De Gorgia) Græco rhetore.

Διαρρηδην) Aperte.

Vt eum dimitterem statim) Causam, cur eum a filio dimitti Cicero voluerit, Plutarchus hanc narrat, quod ad potum & voluptates adolescentem alliceret. Hoc fortasse magistro didicit strenue bibere Cicero filius; nam binos congios simul haurire solitum scribit Plinius lib. XIV. cap. ult.

Σπουδη) Propensa voluntas ad Gorgiam retinendum, studium de non dimittendo Gorgia. Ad Att. lib. XIII. epist. 27. *Nec in hac quidem re quidquam magis ut vellem accidere potuit, quam quod σπουδη nostra non est probata*.

Grave esse me de judicio patris judicare) Non recte facere me, si de patris judicio ita judicare vellem, quasi falli posset in eo, quod existimaret de Gorgia.

Studium & consilium) *Studium*, quia cupis: *consilium*, quia suades, ne Gorgia utar.

Hoc loco) Hac parte epistolæ.

Noli mirari) Cum gratulatio primum in epistola locum postulet, exempla sunt in epist. 7. 9. lib. II. ep. 12. lib. III. ep. 12. lib. VI. ep. 12. lib. VIII.

Habes ubi deponendæ tibi sint urbanitates) Nihil muto: nec enim necesse est. Habes, inquit, ubi mores urbanos deponas, animumque liberiore vitæ genere, nulla gravi occupatione, remittas, ac relaxes. Vel, *Deponendæ urbanitates*, omittendæ res urbanæ: ut epist. 17. lib. VII. *Mihi interdum levis in urbis urbanitatisque desiderio videbare*.

Rusticus Romanus factus es) Ioco dictum: quasi Tironi, qui paullo ante servierat, gratuletur, quod rusticus Romanus, emto prædio, sit factus; nam veteres illi rustici Romani admodum laudabantur, utpote consulares multi ac triumphales. Varro Γεροντοδιδασκαλῳ: *Quoties priscus homo, ac rusticus Romanus internundinum barbam radebat*.

Videre enim videor ementem te rusticas res) Modus transferendi conjecturam ad oculos; quo plus fidei nostra consequatur opinio. Epist. 15 lib. IX. *Te cum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, vere ut dicam, Crassos quoque, & Lælios videre videor*. In Lælio: *Videre jam videor populum Romanum a senatu disjunctum*. Tum alibi: *Videbar mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes*. Simile illud epist. 12. lib V. *Cerno jam animo, quanto omnia uberiora, quantoque ornatiora futura sint*.

In lacinia servantem ex mensa secunda semina) *Laciniam* Festus dixit esse partem vestimenti: id Plauti testimonio confirmatur; ait enim in Asinaria: *Lacrumantem lacinia tenet lacrumas*. Macrobius quoque lib. II. Sat. *Post victoriam*, inquit, *Cæsaris, interrogatus Cicero cur in electione partis errasset, respondit: Præcinctura me fefellit; jocatus in Cæsarem, qui ita toga præ-*

præcingebatur, *ut trahendo laciniam*, *velut mollis incederet*. Suetonius in Nerone: *Circuitis templis*, *cum in æde Vestæ resedisset*, *consurgenti ei primum lacinia obhæsit*: *deinde &c.* Item Servius Honoratus, cum illud Virgilii explanaret, *Cinctuque Gabino*, hæc posuit: *Cinctus Gabinus est togæ*, *sic in tergum rejecta*, *ut una ejus lacinia*, *a tergo revocata*, *hominem cingat*. Hæc de lacinia, vestimenti parte. Pro linteolo, aut sudario quadrato, aut oblongo, Plautus accepit in Mercatore: *Sume*, inquit, *laciniam*, *atque abstergę sudorem tibi*. Nec alia, nisi fallor, in hac Ciceronis filii epistola significatio est: quid enim? an e secunda mensa Tiro semina exciperet in veste, cum eadem & honestius multo & commodius in linteolo servare posset? Tertio modo laciniam usurpavit Columella pro definita loci parte: dixit enim lib. VII. cap. 5. *Male affectum gregem in lacinias distribuendum*: *quia particulatim facilius*, *quam universus convalescat*. Ad hanc similitudinem spectavit Plinius lib. VIII. c. 50. de capris cum dixit: *Laciniæ e cervice binæ dependentes*. Et lib. V. cap. 10. *Laciniosam Alexandriam*, id est, in urbanas insulas, tamquam in lacinias quasdam, divisam ac distinctam. Et lib. XXV. cap. 10. *Laciniosa folia*: pro, partibus concisa, lacinias imitantibus. *Laciniatim*, pro particulatim, dixit Apuleius: *Non laciniatim disperso*, *sed cuneatim stipato grege*. Eodem modo sæpe usurpavit Frontinus, in lib. de Coloniis. *Hic in lacinia*, dixit Cicero filius, pro, in vestimenti parte: fingit enim Tironem, emto prædio, rusticos prorsus imitari: eamque speciem familiari joco describit.

Servantem) Quod rustici solent.

Semina) Pomorum, quæ comeduntur in secunda mensa.

Hypomnematis) Commentariis, ex tempore & sine cura scriptis: ep. 23. lib. XV. ad Att. *Silium exspectabam*: *cui ὑπόμνημα compositum*. Vide illud epist. 3. lib. VIII. *Aliquod ad me σύνταγμα conscribas*. Hæc Hypomnemata fortasse Cratippi commentarii fuere, qui nominantur lib. III. Off. in extremo. *Hypomnematis*, ex consuetudine dictum est; nam ratio postulabat *Hypomnematibus*: cum sit in nominativo *Hypomnema*, non *Hypomnematum*. Sic, *Poematis* dicebant veteres, pro *Poematibus*: & *Poematorum*, pro *Poematum*: ideo librum suum Varro inscripsit *de Poematis*: & Annæus Florus ad Divum Hadrianum: *Poematis delector*. Et Cicero pro Gallio: *Poematorum*, dixit: in Oratore, *Poematis*. Sed & Q. Lælius, ex principibus Grammaticis, librum suum ita inscripsit: *De vitiis*, *virtutibusque Poematorum*. Attius quoque Didascaliorum IX. *Quam varia sunt genera Poematorum*, *Bæbi*, *quamque longe distincta ab aliis*, *nosce*. Et Varro ad Ciceronem undecimo: *Horum Poematorum*, *& his Poematis*, *oportere dici*, *affirmat*. Hæc Charisius. Eamdem consuetudinem a Nonio observatam video; ait enim, Ciceronem libro III. de Off. dixisse: *Quod idem in Poematis*, *& in picturis usu venit*. Ut Plautus quoque dixit in Asinaria: *Neque fictum umquam est*, *neque pictum*, *neque scriptum in Poematis*. *Poematorum* autem, pro *Poematum*, dixit. Afranius, in Privigno.

Συμφιλολογεῖν) De litteris inter nos disputare.

Antherum) Servum: ἀνθηρὸς, floridus.

EPISTOLA XXII.

Tibi melius esse) Epist. 1. *Cum meliuscule tibi esset*: epist. 6. *si recte erit*: epist. 33. lib. XII. ad Att. *Ego hic vel sine Sica* (*Tironi enim melius est*) *facillime possem esse*, *ut in malis*.

Cupio quidem certe) Præposita re non satis certa, cum sequitur affirmatio, hæc duo verba, *Quidem certe*, ut omnino tollatur dubitatio, subjungimus: ut epist. 9. lib. I. cum vereretur Cicero, ne consilium suum, quia se cum Cæsare & Pompeio conjunxerat, non satis probasse videretur, hæc subjecit: *Illud quidem certe nostrum consilium iure laudandum est*, *quod meos cives*, *ut a me conservatos*, *& me servare cupientes*, *spoliatis armatis objici noluerim*. Et epist. 14. lib. IV. *De mea in te voluntate sic velim judices*, *me*, *quibuscumque rebus opus esse intelligam*, *quamquam videam*, *qui sim hoc tempore*, *& quid possim*;

opera tamen, & consilio, studio quidem certe, rei, famae, saluti tuae praesto futurum. Ad Att. epist. 1. lib. I. *Spero me tibi caussam probasse, cupio quidem certe*. Pro Quintio: *Vt summa haberem cetera, temporis quidem certe vix satis habui*.

Ego hic cesso) Cum dicit, *Hic*, se non esse in urbe significat; ut ep. 33. lib. XII. ad Att. *Ego hic vel sine Sica facillime possem esse, ut in malis*.

Librarii) Qui libros describebant.

Facile legere soleo) Sic antiqui libri omnes. Interdum abundare verbum, *Legere*, suspicatus sum: ut subaudiatur, *Intelligere*: cum paullo ante dictum sit, *Non intelligent*.

De quadrimo Catone) De puero Catone, quatuor annos nato. Haec est illa interpositio, quam ne ipse quidem legere facile solebat: nec dubito, quod aliis quoque visum est, librum significari, quem scripsit de laudibus Catonis Vticensis: cujus libri testimonio utuntur veteres Grammatici. Non tamen desunt scripti libri, in quibus est, *De qua prima*: ex quo creditum est, legi posse: *De qua primo caveto*.

Tertia) Mulier post duas sorores nata, unde nomen: soror M. Bruti, uxor C. Cassii, *Tertia* vocata, & *Tertulla*.

Aderit) In coena, quae dabitur in illo triclinio.

Rogetus sit) Vt ad coenam veniat.

Demetrius) De quo ad me scribis, fortasse is, de quo epist. 17. 19.

Numquam omnino Phalereus fuit) Iocatur in Demetrii nomine, numquam, ait, elegans, urbanus, Phalereo Demetrio similis fuit.

Plane Billienus est) Non Phalereo, sed improbo homini Billieno similis, qui nominatur epist. 15. lib. VIII. quamquam ibi non *Billienus*, sed *Bellienus* vocatur: hic veteres libri dissentiunt: habent enim, *Billenus*, *Bullenus*, *Bilienus*, *Billienus*.

Te do vicarium) Vt vicariam mihi operam praestes: ut ea diligentia in eo observando & cavendo utaris, qua ego uterer, si adessem. *Vicarius* est, qui facit id, quod alius facere debebat.

Etsi, Verumtamen: De illis) Brevitas locum obscurat: opinor tamen Demetrii illius, quem observari a Tirone jubet, concisum perplexumque sermonem repraesentarit.

Nosti cetera) Quae ille solet dicere.

EPISTOLA XXIII.

TV *vero*) Epist. 12. *Ego vero*: quo loco vide quae diximus.

Professionem) *Profiteri*, est hic, publice denunciare, quidquid pecuniae, agri, aliarumve rerum Cicero possideat: & videtur, ut haec per Tironem, sic altera superioris anni professio per Philotimum esse facta: nam epist. 33. lib. XIII. ad Att. *Negligentiam, ait, miram! semel ne putas mihi dixisse Balbum, & Faberium, professionem relatam? quin etiam eorum jussu miseram, qui profiteretur: professus est Philotimus*.

Hec pecunia) Quae nobis debetur.

Vt professione non egeat) Quia, cum nondum sit apud nos, profiteri eam non debemus.

Verumtamen) Subaudi, *confice*: & hanc ipsam pecuniam profitere.

Balbus) Idem, qui epist. 21.

Epiphora) Oculorum morbo.

Vt loqui non possit) Iocus: nam epiphora officium oculorum impedit, non linguae. *Non possit* autem dixit, id est, nolit: quia studiosus Antonii, & homo tectus: epist. 21. lib. XIV. ad Attic.

Antonius de lege quid egerit) Hoc malo cum superioribus conjungere, quam, ut nonnullis placet, separatim constituere: lex Antonii fortasse illa significatur, de qua sic epist. 12. lib. XIV. ad Attic. *Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani: cujus rei, vivo illo mentio nulla*.

Liceat modo rusticari) Quod urbanis rebus, quas Antonius consul e sua libidine administrat, antepono.

Bithynicum) Epist. 17. lib. VI.

De Servilio tu videris) Isauricum significari arbitror: is enim hoc anno periit, ut ostendit Dio lib. XLV. Respondet Tironi, qui Servilii mortem significaverat. Tu cogita, inquit, & cura, ne ex hac vita, nisi ultima senectute, discedas: quod Servilio contigit.

Sem-

Senectutem non contemnis) Locus non abest: significat enim Cicero Tironem non contemnere senectutem, sed magni etiam facere: qui fortasse scripserat, id sibi curæ esse, ut ætate Servilium æquaret. Potest autem hoc tacite dicere, senectutem ego non tanti facio, quanti tu, vel quia mortem, neque casum ullum extimesco: (ad quam sententiam spectant ea, quæ sequuntur) vel quia satis jam videor vixisse: annum enim, cum hæc scripsit, agebat Cicero LXII. & occisus est anno sequenti.

Etsi Atticus noster) Etsi Atticus, quia me quondam, antequam præsidio Philosophiæ septus essem, repentinis terroribus perturbari sensit, nunc item timidum esse putat: cum Philosophia prorsus me liberet ab omni metu, quæ docet; timendum nihil esse, præter culpam, unde illa vox epist. 9. lib. XIV. ad Attic. *O Socrates, o Socratici viri, nunquam ego vobis gratiam referam. Dii immortales! quam mihi ista pro nihilo.*

Πανικοὺς) Repentinis terroribus: quorum causam Pani deo tribuit antiquitas: unde πανικα. Hoc satis est ad intelligentiam loci. Plura si quis postulat, Politianum legat Miscell. cap. 28.

Θορυβοποιεῖ) Tumultum facit: terrorem in aliis gignit: vult enim timere me ab Antonio.

Ego tamen Antonii, &c.) Etsi nihil timeo, Antonii tamen inveteratam sine ulla offensione amicitiam retinere volo.

Inveteratam) Iam ante multos annos occidere Antonius P. Clodium Ciceronis causa conatus est. Phil. II. & Cicero sic ad eum scribit lib. IV. epist. ad Att. *Semper te amavi, primum tuo studio, post etiam beneficio provocatus.*

Nec tamen te avoco a syngrapha) Etsi videre te cupio: nolo tamen te ab urbe discedere, priusquam conficias eam rem, cujus rei causa te misi. Miserat eum Cicero, ut pecuniam, sibi per syngrapham debitam, exigeret.

Γονυ κνημης) Genu tibia propius est: nam subauditur εγγιον. Integrum proverbium recitat Aristoteles Moralium lib. IX. Theocritus autem in Idyllio, quod Charites inscripsit, eodem sensu dixit, απωτερω ἢ γονυ κνημα, id est, longius, quam genu, tibia. Terentius autem in Andria: *Heus proximus sum egomet mihi*. *Tunica pallio propior*. Plautus in Trin. dixit. Hoc proverbio significatur, curanda magis esse, quæ magis ad nos pertinent.

Etenim) Abest ab uno vetere libro: placeret, *Eum*: sed, *Etenim*, ferri tamen potest; quasi hoc dicat Cicero: *Quippe ad cujus rutam*.

Al cujus rutam pulegio mihi tui sermonis utendum est) Amarus, ut ruta, Lepræ sermo, suavis, ut pulegium, Tironis. Lepida similitudo, amaritudo, inquit, sermonis Lepræ, sermonis tui suavitate, quasi ruta pulegio, condietur. Notissima est utraque herba.

EPISTOLA XXIV.

H*Arpalum*) Servum.

Miseram) Romam, ubi Tiro erat.

Rei magnitudo) Rationes meæ, quas explicari a te cupio.

Prora & puppis) Summa consilii mei. nam prora & puppis totam navem continent; unde natum proverbium apud Græcos, πρωρα και πρυμνη.

Offilio & Aurelio) Creditoribus.

A Flamma) Debitore; hic est Flaminius Flamma, nominatus epist. 16. lib. XIV. ad Att. & epist. 1. 2. lib. XV. ad eumdem. Hoc & Calpurniæ gentis cognomen fuit.

Ut expedita sit pensio Kal. Ian.) Ut Kal. Ian. solvat id, quod debet.

De attributione) De assignatione pecuniæ, quam Ciceroni Dolabella, divortio facto cum Tulliola, ejus filia, debebat: vide epist. 13. lib. XV. ad Att. & epist. 3. lib. XVI. ad eumdem. Varro lib. I. Ling. Lat.

De repræsentatione) De pecunia ante diem solvenda: id enim est *Repræsentare*; unde, *Repræsentare diem promissorum*, μεταφορικως, epist. XIV.

Omnia mihi certa) Perscribe: verbum omittit, ut infra, *Sed quod egerint*: & sæpe in epistolis ad Att. figura est, quæ Græce αποσιωπησις dicitur, in epistolis, quæ ad familiares mittantur, usurpata.

Quid Octavius) Agat. Post Cæsaris necem, sororis ejus nepos Octavius,

ab eo adoptatus, heresque relictus ex dodrante, Apollonia, ubi studiis operam navaverat, ad urbem profectus, cum Antonio consule in contentionem venit, primum pecuniæ Cæsaris caussa in quam Antonius impetum facere cogitabat, (epist. 23. lib. XII.) deinde propter ipsam remp. quam Antonius opprimere conabatur: epist.25. lib. XII. epist. 7. lib. XVI. ad Attic.

Sed si) Sic veteres libri omnes. Ego legendum arbitror, *sed st*; id est, sed hoc silebis; est enim, *St*, nota silentii. Idem olim ex lib.II. de Orat. mendum sustulimus. In Plauto etiam ubi legendum *St*, modo *Si*, modo *Ast*, modo *At*, mendose legitur. Terentius quoque in Phormione hac nota usus est. Et Nævius in Corollaria apud Charisium: *St: tale verbum cave faxis*.

Balbum tuum) L. Cornelium Balbum, Gaditanum, pro quo exstat oratio.

Hirtium) Consulem cum Pansa designatum in annum sequentem.

Ad aquas) Baianas: epist. 12. lib. XIV. ad Attic.

Sed quod egerint) Fac ut sciam: vel *Sciemus*, subaudiendum; amat enim hic Cicero brevitatem, ut paulo ante: *De publicis omnia mihi certa*: subaudi, significat. Mei tamen veteres libri, *Seu*, non *Sed*, omnes habent: itaque cógor de mendo suspicari.

Dolabellæ procuratores fac, ut admoneantur) Qui consul erat hoc anno: gener antea Ciceronis fuerat: & dimissa jam ante Hispaniensem Cæsaris victoriam Tulliola, dotem reddere debebat. Ideo utitur Cicero hoc verbo, *Admoneantur*: quod ad pecuniam pertinet, quam ei Dolabella debebat. Epist. 18. lib. VI. *Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus: sed, cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum a Dolabellæ procuratoribus exigam primam pensionem*.

Appellabis) Et hoc verbum eorum est, qui pecunias a debitoribus petunt. *Appellare* autem, plus est, quam *Admonere*: utriusque verbi vis & notio patet ex oratione pro Quintio: *Cum tibi quotidie potestas hominis fuisset admonendi, verbum nullum facis: biennio jam confecto fere, appellas*.

Papiam) Mulierem Papiæ gentis, plebejæ, quæ Ciceroni pecuniam debebat. Hic apparet, valde Ciceronem de rebus domesticis laborare: nam, cum dixisset jam, *De domesticis rebus hactenus*, & publicas attigisset: rursus in extrema epistola redit ad domesticas.

EPISTOLA XXVI.

VErberavi te) Accusavi: ut in epist. sequenti: *Mirificam mihi verberationem cessationis epistola dedisti*; modo a verberibus deducatur *verbero*: quod Nonius animadvertit.

Te patrono) Si tu caussam tuam velis agere; quod si Marcum fratrem adhibeas patronum, fortasse ne is quidem, accurata licet oratione, probabit, vacare te culpa.

Lagenas etiam inanes obsignabat) Nam si quas non obsignatas, ut inanes, reliquisset; dici potuisset, eas quoque, quæ furtim essent exsiccatæ, inanes fuisse: ea vero ideo etiam inanes obsignabat, ut obsignatio lagenarum communis, plenas pariter esse omnes ostenderet: & ita nullus excusandi locus iis, qui eas furtim exsiccassent, relinqueretur. *Lagena*, vas vinarium fuit, quo vinum a cupa ad mensam ferebatur: opinor esse, quem communi lingua *fiascum* vocamus: id videtur ostendere Plinius epist. 6. *Cum venabere*, inquit, *licebit auctore me*, *ut panarium*, *& lagunculam*, *sic etiam pugillares ferat*. Et epist. 30. *Vinum parvulis lagunculis in tria genera descripserat*. Eodem spectant divi Augustini verba, quæ legimus Confessionum lib. IX. c. 8. *Cum de more*, ait de matre sua, *tamquam puella sobria juberetur a parentibus de cupa vinum depromere*, *submisso poculo*, *qua desuper patet*, *priusquam in lagunculam funderet merum*, *primoribus labris sorbebat exiguum: quia non poterat amplius*, *sensu recusante*. Horatius in Satyra de Nasidieni cœna:

Convivæ lecti nihilum nocuere lagenis.

Idem epist. 2. lib. II.

—— *Posset qui ignoscere servis*,
Et signo læso non insanire lagenæ.

Martialis videtur idem facere *lagenam*, *matellam*, *amphoram*; & lagenam ab uno Panareto epotam ait.

Lage-

Lagenas e radicum filis tum fici, tum etiam silvestrium, fieri solitas, auctor Plinius lib. XVI. cap. 31.

EPISTOLA XXVII.

Mirificam mihi verberationem cessationis epistola dedisti) Quid potest esse durius, aut magis diversum a Marci fratris purissimo sermone? Dicit hoc: valde me, quia cessaverim in litteris ad vos mittendis, verberasti in epistola tua: pro, tacite reprehendisti.

Verecundia) Qua factum est, ut parcius quædam scriberet, quæ ne fratris animum offenderent, verebatur.

Penitus novi) Cum legatus esset Cæsaris in Gallia.

A gubernaculis) A reip. administratione: translatio a navi, quæ gubernatoris imperiti culpa naufragium facit.

Oppositis Gallorum castris) Quo tempore in Gallia cum Cæsare militabant.

Ille latro) M. Antonius, cum quo Hirtius & Pansa, sequentis anni consules, bellum gesturi videbantur. *Latronem* & Plancus vocat epist. 15. lib. X. Et Phil. VI. *Semper eum duo dissimilia genera tenuerunt, lenonum, & latronum*.

Deleniet) Sibi conciliabit, ad suas partes traducet.

Tribuniciis) Vt Tribuni pl. totam remp. præsidio consulari distitutam, suscipiant.

Privatis) Vt privatus aliquis civis ducem se bonarum partium contra M. Antonium profiteatur; quod fecit Octavius: vide epist. 7. lib. XI.

Quibus alteri Cesenam) Hunc locum carere mendo numquam non sum arbitratus: neque enim adeo tum ignobilis, aut obscura Cesena fuit, quæ nunc in primis lauta & honesta civitas est, ut, tamquam abjecta res, nominari debuerit: nam quod Sidonius Apollinaris furnum ait esse potius, quam oppidum, jocari videtur, ut amico, qui Lugdunum, patriam suam, accusaverat, familiariter cavillans par pari referret. Auxit hanc suspicionem vetus liber viri optimi nec litterarum expertis, condiscipuli olim mei, Vincentii Riccii a Spe: quo in libro est, *Quibus gesa*, *vel quibus sutiznarum*. Alter liber, e Cypro advectus, quo olim sum usus, habebat, *Quibus alteri Censenam*. Atque hoc testati sumus ante multos annos in Scholiis nostris. Nunc video scriptum esse in antiquo exemplari Fulvii Vrsini: *Quibus alteri Cunsenarum, alteri Cossutinarum*: ut sint nomina tabernarum, quæ tunc ædificarentur: quod non displicet, licet ignotæ mihi tabernæ sint. In aliis, *Consuttinarum*, *Consutianarum*, *Cossutianarum*.

Vt dixi) Non in hac epistola, sed in sermone, cum simul essent.

Fero oculis) Mirifice diligo. *Reliqua exempla in oculis habent*, ut epist. 17. ad Q. fr. lib. III. *Balbum in oculis fero*. Phil. VI. *Trebellium fert in oculis*: & alibi.

In medio foro) In urbe igitur Tiro, in agris erat Quintus.

Dissuaviabor) Et hic amor ostenditur: nam *Suaviari*, id est osculari, plus est, quam Complecti: *oculos*, plus quam malas: *in foro*, plus quam domi, vel in via: *in medio foro*, plus quam in alia fori parte: *dissuaviari* autem, plus quam suaviari: iteratio enim suaviorum indicatur. Veteres libri omnes, *Dissaviabor*, detracta littera *V*: ut *Savium* quoque & *Suavium* veteres dicebant, a *Suavitate* tamen deducto vocabulo.

P. MANVTII IN CICERONIS EPISTOLAS AD FAMILIARES COMMENTARII

FINIS.

NOTÆ

NOTÆ

SIVE

OBSERVATIONES

IN

QVOSDAM AVCTORVM

Locos, qui citantur.

Tom. II. Pag. 398. col. b. v. 52.

EX Polybio, ſententiæ complendæ gratia, inſerere poteris, *Καρχηδονιυς μεν, τυς θευς τυς πατρωυς.* (ſ. *ομνυειν εδει.*) Pᶜ *ωμ.* P. 413. b. Verſus hic, *Πολλ' εν κακοισι θυμος ευηθεις ερα*, a Stobæo citatur non ex Euripidis Medea, ſed e Sophoclis Tyro: nec ex eodem loco petitos eſſe verſus iſtos, diverſitas metri ſatis indicat. Deinde ex tribus verſibus, quos ab Euripidis Medea, quæ nunc eſt in manibus, (id eſt, quæ hoc ſeculo exſtat) abeſſe ſcribit, unus tantum abeſt: nam qui ſecundus eſt, *Μεγαλοσπλαγχνος δυσκατακαυςος Ψυχη, δηχθεισα κακοισι*, in Stephanea, Plantiniana, & Hervagiana editione legitur non procul a principio, in colloquio Nutricis & Medeæ. Itidemque primus, quem ex Ariſtophanis ſcholiaſte adducit, paullo intervallo antecedit: ſed aliter in hodiernis editionibus legitur, in duos verſus diſtinctus: *Δυςανος εγω μελεα τε πονων. Ι'ω μοι μοι, πως αν ολοιμαν;* Tum in Ariſtophanis loco qui præcedit, Baſileenſis & Florentinus codex habent, *Ω'λομαν ωλομαν, αποχειρωθεις τας εν σευτλοισι λοχευομενας.* Et mox, *ω δυς.* pro *ω*: nam *ω* eſt *σχετλιαςικον*. Pro *αποχειρωθεις* vero ſi quis *αποχηρωθεις* reponendum ſuſpicetur, non improbaverim.

Infra Tom. III. pag.386. b. verſ. 8. pro *φαλυρον*, quod Stephanus quoque agnoſcit, apud Suidam legimus *φαληρος*: itemque pro *φρεαρρ'ον* apud Stephanum eſt *φρεαρρ'οι*. T. IV. p. 249. a. *μαςορ.*) *Οιος ορα πρ.* Et hæc quidem de Græcis. In Latinis vero non minorem ſæpe deprehendi diverſitatem: & ſunt alia nonnulla de quibus lector monendus erat. Sed quia pleraque in Commentario in epiſtolas ad Att: recurrunt, commodius ad finem illius reſervabuntur. Nunc quædam exempli gratia adduxiſſe ſufficiat.

Tom. I. pag. 283. b. v. 23. pro *Ergo dies*, in omnibus quæ inſpexi Virgilii exemplaribus legitur, *Iamque dies.* Pag.297. *diſceſſum eſt* habent libri Com. Cæſ. impreſſi.

Pag 327. a. v.32. Ioſ. Scaliger ſic legit: *Dea quoque ipſa Damia, & ſacerdos ejus Damiatrix appellabatur*, rejectis Græcis vocibus, ut ineptis. Pag.431. a. v. 25. eſt *Iguvium*, ut Aldus repoſuit in Cæſare: nam apud alios invenies *Tignium.* Pag. 457. a. v. 18. *υπερ Μαλεαν* Steph. in ſua editione legit, ep. 26. lib. X. non *Μαλεας*: nec alterius lectionis meminit: citatur in plurali a quibuſdam ex Plut. Arato. T. II. p.522. b. v.8. *duumvir Ven.*) *Vnchas* pro *Vachas*; & verſ. ſeq. *cum quibus ad*, Curtii quædam exemplaria habent. Porro p. 325. a. v. 22. *adjurat.* Pag.442. a. v.17. *ſuadeam.* T. II. p.407. b. v.54. *ſperare*. T. II. p.471. a. v.56. *oſtendebant*, rectius contra exemplar legeris.

Vnum hic prætereundum non fuit:

hanc

Hanc epiſtolarum editionem longe diverſam a Manutiana illa quæ ante multos annos prodiit, adeo ut aliqua etiam loca prorſus ſint mutila & aperte depravata; quæ tamen in veteribus codicibus omnino ita ſint & legantur: & hoc eo conſilio factitatum, ut lectione antiquorum exemplarium fideliter oſtenſa ſit, quo niti conjectura poſſit, ſi quis ingenio veritatem veſtigare voluerit. Sed ne cuipiam ea res fraudi ſit, in explanatione plerumque probata lectio, eademque opera utriuſque editionis diſcrimen indicatur. De quibuſdam vero dubium eſt, an eo modo in vet. lib. legantur, quo hic impreſſa ſunt; eum prætertim nulla de iis in Scholiis fiat mentio, quæ tamen neceſſaria eſſet. Ejuſmodi eſt locus lib. I. ep. 5. ubi pro *nimium magno ſilentio*; Aldina editio vetus habet *Omnium mag. ſil*. Sic lib. I. ep. 7. *animo in te ſingulari*, pro *animo ſingulari*: Lib. V. ep. 16. *Homines nos ut*, pro *homines ut*. Ibidem, *conditione vitæ videretur*, pro *conditione videretur*. Lib. VII ep. 29. *ad urbem lubentes*, pro *ad ver. lub.* etiam in vet. cod. eſſe crediderim. Præterea in citatione locorum ex epiſtolis deſumtorum, Manutius fere lectiones veteris illius editionis ſequi ſolet: ut, cum lib. I. ep. 7. hujus editionis ſit, *qui per provinciam atque imperii tui provincias ei crediſſent*, infra Tom. III. p. 389. b. v. 28. quo modo olim editum eſt, legit, *qui per provinciam imperii tui pecunias ei credidiſſent*. De ceteris volente Deo alias dicetur.

FINIS

HIE-

HIERONYMI RAGAZONII
COMMENTARIVS
IN
M. T. CICERONIS
EPISTOLAS FAMILIARES.

In quo brevissime, quo quæque earum ordine scripta sit, ex ipsa potissimum historia demonstratur.

AMPLISSIMO VIRO,

VINCENTIO RICCIO,

Illust. Decemviralis Consilii Venetæ reip. Secretario dignissimo.

HIERONYM. RAGAZONIVS S. D.

SI, quantum ingenii M. Cicero, VINCENTI clarissime, ad epistolas eas, quæ familiares vocantur, scribendas adhibuit, tantum, qui ab initio sexdecim earum volumina collegerunt, ad eas illustrandas industriæ attulissent; profecto iidem multo melius nobis, quam fecerunt, in hac tota litterarum ratione consuluissent. Cum autem res ita, nescio quo fato, ceciderit, ut quo magis Cicero in his epistolis excelluerit, eo minorem illi nostræ in iis componendis intelligentiæ rationem habuerint: propterea factum est, ut qui postea in iis aut emendandis, aut explanandis, aut quoquo modo illuminandis elaborarint, (quod multi hac ætate iique eruditi viri fecerunt) ii merito magnam laudem incredibili omnium hominum consensione adepti sint. Etenim summam illam, quæ plerosque ab hujusmodi studio deterrebat, obscuritatem, si non penitus, at certe magna ex parte sustulerunt. Ego autem illud in hac re præcipue dolere soleo, quod maximas semper his epistolis tenebras offudit, id neminem hucusque, qui aliqua ratione discusserit, exstitisse, id est, ut, quoniam nullo servato temporum ordine compositæ quondam fuerunt, ipsæ per tempora sua digererentur, atque describerentur. Quo ex labore cum alia multa commoda consequuntur, tum illa in primis, ut propter negotiorum temporumque conjunctionem, & facilius alteram ex altera intelligamus, & ipsius Ciceronis eorumque annorum contextam historiam habeamus. Quorum non, perinde atque in epistolis ad Atticum colligendis factum est, rationem habitam esse demiror. Hoc autem ita esse, cum ipse antea semper, ubi me ad hæc studia contuli, intellexi; tum meam hanc opinionem proximis hisce annis, multo etiam vehementius Caroli Sigonii auctoritas confirmavit: quem a me sæpe hac de re interrogatum, ita disserentem audivi, ut non multis solum laudibus consilium, fructumque laboris hujus efferret; sed etiam qua id potissimum ratione perduci ad exitum posset, singillatim ostenderet. Quamobrem cum in quotidiana vitæ consuetudine multa ab eo in hanc rem subtiliter & erudite dicta attente collegissem, jamque justum quasi eorum commentarium ad meum usum confecissem; tum me rem facturum esse omnibus horum epistolarum studiosis non ingratam putavi, si quæ ipse vel per me, vel ab eo plurima in hoc genere didicissem, ea summo studio atque multorum dierum lucubratione conscripta, ad eorum qui illum non audiverunt, utilitatem, litteris memoriæque mandarem.

Id

Id autem totum in tuo potissimum nomine apparere, Vincenti amplissime, volui, ut ipse intelligeres, quam tuis fidelissimis rectissimisque consiliis diligentissime paruissem: quo præsertim auctore, Sigonio ipsi, postquam ille Venetiis publice profiteri cœpit, assiduum me in hac litterarum ratione auditorem addixi. Accedit, quod quamquam tu gravioribus in studiis perpetuo ita versatus es, ut nullum honestioris disciplinæ genus sit, quod non plane perceperis, nulla insignia ad laudem ornamenta, quæ non abunde retuleris: tamen cum te publicis negotiis, quibus maxime distineris, aliquantulum relaxaris, his nostris etiam studiis summopere delectaris: præsertim vero cum has ipsas epistolas ita ames, ut eas quotidie in manibus habeas: ita, si res ferat, in isto tuo amplissimo apud Decemvirale Consilium munere gerendo imiteris, ut plane exprimas: litteratos autem homines ita omni studio atque officio complectaris, ut cuncti propterea magnum suorum studiorum præsidium in tua potissimum opera collocarint. Neque mehercule injuria; nam cum tu virtute, integritate, ac quotidiana officii assiduitate, præterea prudentia ac fide, (quibus rebus excellis,) effeceris, ut apud principes in hac rep. viros auctoritate plurimum possis: idem etiam humanitate atque officio adsequutus es, ut te non minus posse, quam velle sibi prodesse homines intelligerent. Epistolas igitur familiares, in suum quamque annum, ut a me fieri potuit, relatas, ac brevi, cur ita faciendum sit, commentario illustratas, in tuo, ut dixi, nomine edo: ut eas, si probaveris, adversus obtrectatores tua auctoritate defendas: sin minus, eas tamen perpetuum meæ erga te singularis observantiæ testimonium habeas. Vale. Venetiis, prid. Idus Quintil.

HIE-

HIERONYMI RAGAZONII IN EPISTOLAS CICERONIS FAMILIARES COMMENTARIUS:

In quo brevissime, quo quæque earum ordine scripta sit, ex ipsa potissimum historia demonstratur.

Numerorum marginalium prior ad volumen Epistolarum, posterior ad paginas remittit.

M. TULLIO CICERONE.
C. ANTONIO COSS.
Anno ab urbe condita DCXC.

Nullæ neque hoc anno, neque ante hunc annum, a Cicerone scriptæ extant epistolæ, de quibus affirmari pro certo possit.

D. IUNIO SILANO,
M. LICINIO MURENA COSS.
Anno ab Urbe cond. DCXCI.

M. Tullius M. F. Cicero S. D. CN. Pompeio CN. F. Magno Imp.

II.20. *Si tu exercitusque valetis, bene est. Ex litteris tuis)* Hæc epistola scripta est Silano & Murena coss. anno postquam Cicero consul fuit; erat autem in Asia Pompeius, Mithridatico bello confecto. Itaque voluptatem se accepisse ait Cicero ex illa victoria: graviter autem tulisse, quod Pompeius de rebus a se in consulatu, pulso ex urbe Catilina, gestis, sibi non fuerit gratulatus. Res hæ a Cicerone consule extremo consulatus sui mense gestæ erant; Pompeius autem, Pisone & Messalla coss. id est sequenti anno, ex Asia Romam rediit, & triumphavit, Plinio, ceterisque auctoribus. Cicero quidem etiam libro primo ad Att. in epistola, quam Kal. Ian. scripsit, Pisone & Messalla coss. prodromos Pompeianos de adventu Pompeii nunciare scribit; qua de re nihil in hac epistola ait: ut omnino ante K. Ian. quibus consulatum Piso & Messalla inierunt, scripta esse videatur.

Q. Metellus Q. F. Celer Procos. S. D. M. T. Ciceroni.

II. 1. *Si vales, bene est. Existimaram)* Hic Metellus prætor priore anno, consule Cicerone, fuit; hoc autem anno Galliam proconsule administravit, quam Cicero consul in concione deposuerat. Auctores, Sallustius, Dio, & alii. Queritur Q. Metellum Nepotem fratrem a Cicerone in Senatu, se absente, fuisse oppugnatum. Hanc epistolam hoc anno scriptam esse, sequens Ciceronis responsio demonstrabit. Eamdem autem ex provincia missam esse hæc verba indicant, *qui provinciæ exercituique præsum*.

M. T. Cicero Q. Metello Q. F. Celeri Procos. S. D.

II. 2. *Si tu exercitusque valetis, bene est. Scribis ad me)* Respondet Cicero superiori Q. Metelli Celeris proconsulis epistolæ. Hanc hoc anno scriptam esse, hinc intelligi potest, quod in

in hac agitur de rebus recens actis a Q. Metello Celeris fratre, tribuno plebis, qui fuit (Plutarcho, Appiano, Dione, & ipso etiam Cicerone auctoribus,) Silano & Murena coss. id est, de iis rebus, quas ille tribunus contra se egit, prid. K. Ian. K. Ian. III. Non. Ian. quo tempore Celer ipse Roma abfuisse videtur. Quibus de rebus agit etiam Dio in consulatu Silani & Murenæ.

M. T. Cicero S. D. C. Antonio M. F. Imp.

II.14. *Etsi statueram*) Hic est C. Antonius, qui priore anno collega Ciceronis consulis fuit, & hoc anno provinciam Macedoniam, quam in consulatu obtinuerat, proconsule regebat: Dione, & aliis auctoribus. Hanc epistolam hoc anno scriptam esse, apparet ex eo quod in hac commendat ei T. Pomponium Atticum in Græciam proficiscentem, qui ante K. Ian. Pisone & Messalla coss. profectus Roma fuisse videtur: cum ad eumdem lib. primo ad Attic. scribat epistolam K. Ian. his consulibus. Itaque in utraque epistola eadem fere continentur; nam quod in hac ait, *ne id dicam quod ajunt falso in me solere conferri abs te*; ad Att. est, *Antonium in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quæri, & a me custodem communis quæstus libertum esse missum*. Item quod in hac ait: *Sed reliqua multo majus meum studium desiderant*, id est quod ad Att. scribit: *prodromi Pompeiani nunciant aperte Pompeium acturum Antonio succedi oportere*. Idem confirmant verba epistolæ ad Att. cujus initium est, *Accepi tuas*; datæ VI. K. Feb. Messalla & Pisone coss. quæ sunt hæc: *Neque id ipsum certum habeo, quando ad Antonium proficiscare*.

M. VALERIO MESSALLA,
M. PVPIO PISONE COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCII.

M. Cicero S. D. P. Sextio L. F. Procos.

II.16. *Cum ad me Decius*) Hic P. Sextius quæstor C. Antonio consuli ac deinde proconsuli in Macedonia fuit: hoc autem tempore cum eodem in provincia erat. Itaque cum C. Antonio proconsuli succedendum esset, P. etiam Sextio quæstori ejus succedendum erat. De successore autem ipsi Antonio mittendo egit in epistola superiore; agit etiam in hac, cum ait: *Antonium in senatu gravissime defendi*; intelligit enim, ne ei succederetur; post autem Cæsare & Bibulo coss. in judicio eum defendit de repetundis jam ex Macedonia reversum: Dione auctore libro XXXVIII: & Cicerone in oratione pro Cælio: quo judicio damnatus est, quod suspicio erat ne cum Catilina olim conjurasset. Hæc autem epistola scripta est Messalla & Pisone coss. quia Q. Fufius, de quo hic mentio fit, tribunus pleb. his consulibus fuit, Dione auctore libro XXXVIII. Item quod de domo a se emta scribit, de qua scribit etiam ad Att. in epistola VI. K. Feb. data, Messalla & Pisone coss. Quæ cum ita sint, puto in titulo epistolæ P. Sextium P. F. quæstorem, aut proquæstorem esse scribendum; quod oratio ipsa Ciceronis pro P. Sextio ostendit, in qua eum Romæ & in Macedonia C. Antonio consuli & proconsuli quæstorem ait fuisse; de proconsulatu autem nihil.

L. AFRANIO,
Q. METELLO CELERE COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCIII.

His consulibus nullæ extant scriptæ epistolæ.

C. IVLIO CÆSARE,
M. CALPVRNIO BIBVLO COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCIIII.

His consulibus ne ullæ quidem scriptæ extant epistolæ.

L. CALPVRNIO PISONE,
A. GABINIO COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCV.

M. Ci-

M. Cicero Terentiæ, & Tulliolæ, & Ciceroni, Suis, S. P. D.

IV. 108. *Ego minus sæpe*) Hoc anno Cicero pulsus est a P. Clodio Trib. pleb. mense Martio (ut puto) extremo ; nam ipse, quemadmodum scriptum est lib. III. ad Att. cum hoc tempore in Macedoniam tenderet, Naryce Locridis scripsit Id. Aprilis : post Vibonem venit : inde III. Id. Aprilis, scripsit Thurii, & XIIII. K. Maji, Tarenti ; inde Brundusium venit XIII. K. Maji. Brundusii vero fuit XIII. dies, ut in hac epistola scriptum est. Prid. autem K. Maji hanc epistolam Terentiæ scripsit Brundusii, quemadmodum in extrema epistola adscriptum est. Quæ cum ita sint, sane apparet, cum ait in hac eadem epistola, *Brundusio profecti sumus a. d. v. K. Majas*, legendum esse, a. d. II. K. Majas ; alioquin nec XIII. dies Brundusii fuerit, & dies epistolæ datæ repugnabit. Est autem intelligendum hanc ab eo epistolam scriptam esse tum cum Brundusio proficiscebatur : quod significat cum subjungit, *per Macedoniam Cyzicum petebamus*.

M. Cicero Terentiæ, & Tulliolæ, & Ciceroni, Suis, S. P. D.

IV. 103. *Noli putare*) Hanc epistolam scripsit iisdem consulibus, cum adhuc exsularet, III. Non. Oct. Thessalonicæ. Thessalonicam autem venerat a. d. X. K. Iun. ut scribit ad Att. lib. III. 42.

M. Cicero Terentiæ, & Tulliolæ, & Ciceroni, Suis, S. P. D.

IV. 101. *Et literis multorum*) Scripta est iisdem consulibus a. d. VI. K. Decemb. Dyrrachii. Dyrrachium autem se a Thessalonica paullo ante recepisse videtur, tum ex hac epistola, tum ex epistola ad Att. lib. III. 50. hoc eodem die Dyrrachii data.

M. Cicero Terentiæ, & Tulliolæ, & Ciceroni, Suis, S. P. D.

IV. 106. *Accepi ab Aristocrito*) Iisdem consulibus, pridie K. Decemb. Dyrrachii data : eodemque die scripsit epistolam ad Att. lib. III. 51.

P. LENTULO SPINTHERE.
Q. METELLO NEPOTE COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCVI.

M. Tullius Cicero S. D. Q. Metello Nepoti Cos.

II. 12. *Litteræ Q. fratris*) Hic est Q. Metellus Nepos, de quo trib. pleb. ante diximus, qui hoc anno consul cum P. Lentulo Spinthere fuit ; petit ab eo Cicero, ut se in patriam restituat : quod impetravit ; nam lib. IV. epist. ad Att. se prid. Non. Sept. hoc anno in urbem rediisse scribit. Itaque ante illud tempus hæc epistola scripta est.

CN. LENTULO MARCELLINO.
P. MARCIO PHILIPPO COSS.
Anno ab urbe cond. DCXCVII.

M. Cicero P. Lentulo Procos.

I. 3. *Ego omni officio*) P. Lentulus, qui priore anno consul Ciceronem de exsilio restituerat, hoc anno, id est, Marcellino & Philippo consulibus, proconsul in Cilicia erat, cupiebatque Ptolemæum regem a suis pulsum in regnum reducere. Hac de re quid actum sit Cicero scribit Id. Ian quemadmodum ex epistola elicitur ; ex quo intelligi potest, Lentulum extremo suo consulatu esse Roma profectum ; quod ex Fenestella etiam colligitur, auctore Nonio, qui sic scribit : *Vt magistratum tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adolescens, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis*

duis invidiam & Ptolemeo simul, qui jam profectus ex urbe erat, & P. Lentulo consuli, paranti jam iter, concitare secundo quidem populi rumore cœpit. C. autem Catonem hoc anno tribunatum plebis gessisse, apparebit ex sequentibus etiam ad Lentulum epistolis. Tribunos vero plebis IIII. Id. Decemb. inire solitos esse, satis ex Livio, Dionysioque perspicuum est.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 10. *Id. Ian. in senatu*) Eidem Lentulo proconsuli narrat, quid de Ptolemæo reducendo sit actum ab Id. Ian. usque ad XVI. K. Feb. quo die hæc epistola data est, in qua meminit Lentuli Marcellini consulis, & Lucilii tribuni pleb. qui fuerunt hoc anno.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 16. *A. Trebonio*) Eidem Lentulo proconsuli commendat negotia Trebonii, quæ multa in provincia Cilicia habebat. Hanc epistolam subsequi superiorem ex eo intelligi potest, quod in quibusdam libris manuscriptis conjunctæ reperiuntur.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 17. *A. d. XVI. K. Feb.*) Eidem Lentulo narrat quæ acta sint post diem XVI. K. Feb. de re Ptolemæi; scripta tamen est ante K. Feb. quod inde intelligi potest, cum ait *Senatus haberi ante K. Feb. per legem Pupiam non potest*. Et quoniam iisdem de rebus scripsit ad Q. Fratrem lib. II. XIIII. K. Feb. suspicari quis posset, eodem die hanc etiam scriptam esse, aut non ita multo post.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 20. *Tametsi nihil*) Eumdem Lentulum de eadem re quid actum sit certiorem facit. Haud ita multo post VIII. Id. Feb. scripta est, cujus diei in hac epistola meminit, & rerum quæ illo die actæ sunt; cum, si post eum diem multis diebus scripta fuisset, pluribus aliis de rebus actis eum certiorem facere potuerit, de quibus agit in epistola ad Q. Fratrem XV. K. scripta.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 25. *Quæ gerantur*) Cum eodem agit de eadem re Alexandrina; procul dubio hoc anno scripta est, præsertim cum eadem impedimenta, de quibus paullo ante scripsit, commemoret.

Q. Metellus Nepos S. D. M. Ciceroni.

II. 11. *Hominis importunissimi*) Q. Metellus, qui priore anno consul Ciceronem restituit, hoc anno proconsul cum imperio in Hispania erat, Plutarcho in Cæsare, & Dione, auctoribus. Itaque idem in hac epistola ait: *Ad Lollium perscripsi de rationibus provinciæ quid vellem fieri, ut is me doceret, & commonefaceret*. Agit cum Cicerone de rebus a Clodio fratre hoc anno contra semetipsum & Ciceronem actis. Has res fuisse puto, de quibus agitur in oratione de Aruspicum responsis, quæ hoc anno dicta est, teste ipso Cicerone, qui in oratione ipsa Philippi & Lentuli consulum meminit.

M. Cicero S. D. L. Luceio Q. F.

II. 33. *Coram me tecum*) Luceius Romanam historiam scribebat: petit igitur ab eo Cicero, ut de consulatu deque

deque restitutione sua in patriam separatim scribat. Hanc epistolam Marcellino & Philippo consulibus esse scriptam, epistola quaedam ad Att. indicat, his consulibus data: in qua haec verba sunt: *Epistolam Lucceio quam misi, qua, res meas ut scribat, rogo, fac ut ab eo sumas: valde bella est; eumque ut approperet adhorteris; & quod mihi se ita facturum rescripsit, gratias agas.*

CN. POMPEIO MAGNO. II.
M. LICINIO CRASSO II. COSS.
Anno ab urbe condita DCXCVIII.

M. Cicero P. Lentulo Procos. S. D.

I. 26. *Legi tuas litteras*) Initio secundi consulatus Pompeii & Crassi, qui hoc anno ex interregno consules facti sunt, (App. & Dione auctoribus) scripta est haec epistola, quod inde intelligi potest, cum inquit, *stipendium Caesari datum, & ne succederetur*: hoc enim initio consulatus sui secundi Pompeium egisse scribit App. & Dio. Scripta autem videtur ante mensem Aprilis, quia lib. IV. ad Att. scribit Aprili mense rumorem fuisse Puteolis, Ptolemaeum esse in regno; in hac autem epistola reductionem ejus Lentulum habere posse ait. Reductum autem esse Pompeio & Crasso coss. tradit Dio lib. XXXIX. Praeterea quod ait in hac epistola, *quod mihi de filia, & de Crassipede gratularis*, ad Q. Fratrem lib. II. scribit, prid. Non. Aprilis, Marcellino & Philippo coss. Tulliam Crassipedi desponsatam.

M. Cicero P. Lentulo Procos. S. D.

I. 36. *De omnibus rebus*) Haec etiam scripta est Crasso, & Pompeio coss. hos enim notat, cum ait: *Res omnes sunt in amicorum nostrorum potestate*. Item: *Otium nobis exoptandum est, quod ii qui potiuntur rebus, praestaturi videntur*: item, *Pompeium tibi amicum esse cognovi, & eo tu consule, quantum ego perspicio, quae voles obtinebis*. Adhuc non reductum regem significat: quem tamen hoc eodem anno reductum esse a Gabinio Procos. Syriae scribit (ut dixi) Dio.

M. Cicero M. Mario S. D.

II. 48. *Si te dolor*) Marius in agris erat, Cicero Romae: minuit ei voluptatem ludorum, quos Pompeius Consul II. id est hoc anno, edidit, quibus Marius non adfuit: de quibus ludis latius scribit Dio lib. XXXVIII. in secundo consulatu Pompeii.

M. Cicero C. Sextilio Rufo Proquaestori S. D.

IV. 66. *Omnes tibi commendo Cyprios*) Hic C. Sextilius primus Cyprum pro quaestore rexit, ut hac epistola scribit Cicero. Cum autem M. Cato, Dione auctore, superiore anno, Philippo & Marcellino coss. ex Cypro redierit, in quam Gabinio & Pisone coss. profectus erat, eamque interim in provinciae formam redegerat: profecto apparet, hunc Sextilium hoc anno in Cypro fuisse: praesertim vero, cum mentionem faciat legis P. Lentuli, qui biennio ante consul fuit; huic ergo commendat Cicero omnes Cyprios, sed maxime Paphios. Neque vero pro certo rem affirmamus.

L. DOMITIO AHENOBARBO,
AP. CLAUDIO PULCRO COSS.
Anno ab urbe condita DCXCIX.

M. Tullius Cicero M. Licinio P. F. Crasso S. D.

II. 22. *Quantum meum studium*) M. Crassus priore anno consul Syriam provinciam adeptus, in eam eodem anno invitis & obnunciantibus tribunis plebis profectus erat, auctore Dione, & Plutarcho. Cicero autem hujus anni initio pro eo egit in Senatu, cum consulibus Ap. Claudio & L. Domitio; quid autem egerit, ad Crassum hac epistola in provinciam scribit. De eadem etiam contentione & defensione Crassi loquitur in epistola longa ad Lentulum, (quae extremo hoc anno, ut

at ostendam, scripta est) ita: *Crassi causam, magna illius commendatione susceptum, defendi in Senatu*.

M. Tullius Cicero C. Cæsari Imp. S. D.

II. 164. *Vide, quam mihi persuaserim*) C. Cæsar jam quintum annum proconsule bellum gerebat in Gallia, cum ad eum cum his litteris C. Trebatium misit Cicero. Missum autem esse Domitio & Claudio coss. hinc intelligi potest, quod cum hanc epistolam scripsit, Balbus erat Romæ, quod significat, cum ait, *sustulimus manus & ego & Balbus*. Idem autem Balbus erat Romæ his consulibus, Id. Januariis: quemadmodum ex epistola ad Q. fratrem lib. II. intelligi potest, cujus initium est, *Gaudeo tibi jucundas esse*. At Trebatius iisdem consulibus est in Gallia, mense Majo: ut elicitur ex epist. ad Q. fratrem, quæ incipit, *A. d. III. Non. Jun.* ubi hæc verba sunt: *Cæsar, Trebatium quod ad se miserim, persalse, & humaniter etiam mihi gratias egit*. Profectus est autem iisdem consulibus Q. frater ad Cæsarem post Trebatium, ante mensem Junium; quod indicat epistola ad eum proficiscentem scripta, cujus initium est, *Duas adhuc*. In qua extrema hæc verba sunt: *Trebatium ut valde ames, te valde rogo*.

M. Cicero Trebatio S. D.

II. 168. *In omnibus meis epistolis*) Cum hæc epistola scripta est, Trebatius erat in Gallia cum Cæsare, itemque Balbus, quia ait, *in omnibus meis epistolis, quas ad Cæsarem aut ad Balbum mitto*. Hortatur eum ut desiderium urbis deponat, monetque ne in Britannia se decipi patiatur. Bis autem in Britanniam trajecit Cæsar: primum priore anno, Pompeio & Crasso coss. Dione auctore lib. XXXIX. iterum hoc anno, Domitio & Claudio coss. Dione auctore lib. XL. Itaque cum suspicaretur Trebatium cum Cæsare in Britanniam trajecturum, hæc scribit; siquidem in epistola quadam ad Att. lib. IV. his coss. data, ait: *Ex Q. fratris litteris jam suspicor Cæsarem esse in Britannia*.

M. Cicero Trebatio S. D.

II. 171. *Ego te commendare non desisto*) Trebatium item de Britannia monet, ut si utile sit in eam trajicere, trajiciat: sin minus, in Gallia maneat. Meminit item litterarum, quas a Q. fratre multas accipit: de quibus ante diximus.

Cicero Trebatio S. D.

II. 172. *Scripsit ad me Cæsar*) Scribit se accepisse litteras a Cæsare, quibus eum sibi familiarem futurum affirmat: has autem epistolas se accepisse ait a. d. III. Non. Jan. ad Q fratrem scribens, his verbis: *Cæsar, Trebatium quod ad se miserim, persalse, & humaniter etiam mihi gratias egit*. Videtur suspicari, eum aut profectum jam, aut profecturum in Britanniam; quia ait, *ego vestras Britannicas litteras exspecto*.

Cicero Trebatio S. D.

II. 191. *Ex tuis litteris*) Hæc epistola superiorem sequitur: quia in illa suspicari videbatur eum profecturum esse in Britanniam: in hac vero profectum eum non esse, videtur scire, cum ait: *In Britanniam te non esse profectum gaudeo; ubi sis hiematurus, scribas ad me velim*. Cæsarem porro a. d. VI. K. Oct. exercitum Britannia reportasse, scribit Cicero ad Att. lib. IV.

Cicero Trebatio S. D.

II. 173. *Iamdiu ignoro quid agas*) Quærit item ab eo, ubi sit hiematurus.

Cicero Trebatio S. D.

II. 176. *Legi tuas litteras*) Extremo hoc eodem anno videtur scripta hæc epistola, quia ait: *Metuo ne frigeas in hibernis: quamobrem camino luculento utendum censeo*. In Britanniam item eum non esse profectum, se scire significat, cum ait: *Quod si in Britanniam quoque profectus esses, nemo te in illa tanta insula peritior fuisset*.

Cice-

Cicero Trebatio S. D.

II. 188. *In equo Trojano*) Hæc item prope anni finem scripta videtur: quia ait: *Nunc vero in hibernis injectus mihi videris*: item: *Ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme, fac plane sciam*. Item non transisse eum in Britanniam, se scire significat, cum inquit: *In Britannia non nimis φιλοθεωρον te præbuisti.*

M. T. Cicero P. Lentulo Procos. S. P. D.

I. 42. *Perjucunda*) P. Lentulus proconsule adhuc Ciliciam regebat. Ap. Claudio consule scripta est: ex his verbis: *Appius dixit, sese, si licitum esset, legem Curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam: si curiata lex non esset; comparaturum cum collega, tibique successurum: legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse.* Hæc eadem de se scribit etiam ad Q. fratrem V. Id. Oct. his coss. ut omnino extremo hoc anno hæc epistola scripta esse videatur. Exponit quærenti Lentulo, cur Vatinium, Crassumque inimicos ante suos, defenderit.

M. T. Cicero S. D. L. Valerio Jurisconsulto.

I. 78. *Cur enim tibi hoc non gratificer nescio*) Commendat Lentulo proconsuli Ciliciæ Valerium, qui in Cilicia erat. Credo autem commendasse eum in extremo consulatu ejus: nam eumdem commendat etiam Ap. Claudio proconsuli, successori Lentuli, in prima ad eum epistola.

INTERREGNUM SEX MENSIUM
ANTE CN. DOMITIUM CALVINUM,
M. VALERIUM MESSALLAM COSS.
Anno ab urbe condita DCC.

Cicero Trebatio S. D.

II. 178. *Nisi ante Romà*) Trebatius item in Gallia erat, hoc autem anno per sex menses interregnum fuit sine consulibus, ut ait Dio lib. XL. Inde in reliquum anni creati sunt consules, CN. DOMITIUS CALVINUS, & M. VALERIUS MESSALLA. Hanc autem epistolam per interregnum illud scriptam esse, ex his verbis intelligi potest: *Quis enim tot interregnis jurisconsultum desiderat?*

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

I. 80. *Quamquam me nomine*) C. Curio in Asia erat, ut ex ea epistola apparet, cujus initium est, *Nondum erat auditum*; cum ait, *& te jam ex Asia Romam versus profectum esse constaret*. Fuisse autem in Asia cum potestate, declarant verba illius epistolæ quæ incipit, *Hæc negotia*: quæ sunt: *Vel quod excelso & illustri loco sit laus tua, in plurimorum & sociorum, & civium conspectu*. Verisimile autem est quæstorem fuisse, quia paucis post annis fuit Tribunus plebis: ante tribunatum autem capiebatur quæstura. Quantopere autem & socios, & cives Romanos publicanos, qui in Asia negotiabantur, juvare & vexare possent quæstores, apparet ex P. Rutilio, quæstore Q. Mucii Scævolæ: quem idcirco equites Romani damnarunt, quod Asianos a publicanorum injuriis defenderat. Priores hæ epistolæ, quo anno scriptæ sint, ex earum verbis non liquet: illud tantum constat, epistolam illam, *Nondum erat auditum*, scriptam esse hoc anno, Calvino & Messalla coss. quia in ea commendat Curioni ex Asia Romam decedenti Milonem, consulatus candidatum hoc anno: Dione, Appiano, & Pediano, auctoribus. Cum autem in omnibus epistolis ante illam agat de reditu ejus, eodem forte anno omnes scriptæ esse videri poterunt, antequam Curio ex Asia decederet: siquidem in hac ait, *ego te abfuisse tamdiu a nobis gaudeo*: Hæc certe præcedit reliquas, quod in ea Curionem a se requisivisse litteras scribit.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

I. 83. *Gravi teste*) Agit cum Curione absente de obitu patris ejus.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

I. 84. *Rupe studium*) Hujus epistolæ cum superioris conjunctum fere argumentum est; agit enim de ludis funebribus in honorem patris Curionis edendis, eoque in adventum ejus differendos suadet. Ludorum spectandorum satietate omnes defessos ait, propter magnificentissimos (ut puto) ludos, quos Pompeius in secundo suo consulatu paullo ante dedit.

M. Cicero Trebatio S. D.

II. 181. *Mirabar quid esset*) Epicureum factum esse Trebatium se audisse ait a Pansa. Rogat item ut ad se scribat quid agat: ut in superiore ad eumdem Trebatium.

M. Cicero Trebatio S. D.

II. 183. *Adeo ne me injustum*) Hæc epistola his certe consulibus scripta est, nam monet Trebatium ut vitet Treviros, quibuscum bellavit Cæsar hoc anno, Dione auctore. Scripta est autem a. d. III. Non. Mart. ergo per interregnum.

Cicero Trebatio S. D.

II. 187. *Quam sint morosi*) Ante, se moleste tulisse ait, quod Trebatius in Gallia invitus esset: nunc, dolere quod illic sit libenter. Invitum autem fuisse ibi Trebatium, intelligitur fere ex omnibus superioribus epistolis.

Cicero Trebatio S. D.

II. 194. *Accepi a te aliquot epistolas*) In hac item significat, se cognovisse, quam forti animo militiam ferat, contra quam ille antea fecerat. Data est VI. Id. Ap. de Pontino.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

I. 86. *Epistolarum genera*) Hortatur Curionem ad laudem; & maximam esse ejus exspectationem ait. Remp. afflictam esse innuit: forte quod sine consulibus esset, nec comitia consularia haberi civili contentione possent. Scripta est certe post superiores, quia inquit: *Utar ea clausula qua soleo, teque ad studium summæ laudis cohortabor*; hac autem clausula usus est prima & tertia ante epistola.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

I. 88. *Hæc negotia*) Admirabilem exspectationem ejus reditus esse ait, de Rep. afflicta eadem repetit.

M. Cicero S. P. D. P. Sextio P. F.

II. 56. *Non oblivione*) Hæc epistola sine dubio scripta est post reditum Ciceronis ab exsilio: quia ait: *Et proxime, recenti adventu meo, cum rem aliter institutam offendissem, ac mihi placuisset, si adfuissem; tamen nulla re saluti tuæ defui: cumque eo tempore invidia annonæ inimici non solum mei, verum etiam amicorum tuorum, plus valuisset, &c.* Nam invidiam annonæ, quæ gravior facta erat post reditum Ciceronis, fecit Claudius & Ciceroni & amicis ejus. Est autem intelligendum, tria judicia commemorari in hac epistola a Cicerone: unum, quo, cum esset Sextius Quæstor C. Antonii proconsulis Macedoniæ, accusabatur una cum proconsule suo de repetundis, ut supra dictum est: alterum,

rum, de ambitu: tertium, de vi, ut scribit ad Q. fratrem, Marcellino & Philippo coss. In primo judicio ait se defendisse eum, cum inquit: *Et primis illis temporibus, quibus in invidiam absens & in crimen vocabare, defendi*. Iudicio de vi est absolutus, defendente Cicerone: quia scribit ad Q. fratrem, epistola scripta Lentulo & Philippo coss. ita: *Sextius noster absolutus est* III. *Id. Martias*. Tertio judicio de ambitu est condemnatus, de quo eum consolatur in hac epistola, cum ait: *Iniquitas totius judicii, multaque alia reip. vitia, plus quam causa ipsa veritasque, valuissent*. Cum ergo damnatus illo judicio exsularet Sextius, ad eum scripsit hanc epistolam Cicero consolandi causa. Quia vero ait: *Non oblivione amicitiæ nostræ, neque intermissione consuetudinis meæ, superioribus temporibus ad te nullas literas misi*; & paulo post, *cum vero & intervallum jam satis longum fuisset*; significat aliquot tempora intercessisse post ejus exsilium, quibus non scripserat. Item quia ait: *Illud utinam ne vere scriberem, ea te rep. carere, in qua neminem prudentem res ulla delectet*: propterea in eam opinionem adducor ut credam, scriptam esse hanc epistolam biennio post quam Sextius damnatus fuerat: cum propter seditiones civiles consules creari non possent, sed interregna alia ex aliis inirentur, quod hoc tempore factum est. Quamobrem hic ponendam esse hanc epistolam, nihil tamen affirmantes, duximus.

CN. DOMITIO CALVINO,
M. VALERIO MESSALLA, COSS.
in reliquum anni.

Cicero Trebatio S. D.

II. 186. *Chrysippus Vettius*) Adventante æstate scripta est, Calvino & Messalla coss. quia ait: *Sin æstivus timor te debilitat, aliquid excogita, ut fecisti de Britannia*; in quam scilicet trajicere cum Cæsare anno superiore noluit.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

I. 90. *Nondum erat auditum*) Superioribus proximis ad Curionem litteris magnam esse reditus ejus exspectationem significavit: in hac autem eum ipsum Romam adventare ait. Itaque huc adventanti Milonem commendat, qui in annum sequentem consulatum petebat, Dione, Appiano, Pediano, auctoribus.

CN. POMPEIO MAGNO III. COS.
SINE COLLEGA.
Anno ab urbe condita DCCI.

M. Cicero M. Mario S. D.

II. 156. *Mandatum tuum*) Hoc anno cum civili contentione consularia comitia haberi non potuissent, quibus Milo, Hypsæus, & Scipio petebant, interregnum fuit usque ad v. K. Martias: quo die Cn. Pompeius Magnus consul creatus statim iniit, auctore Pediano in Milonianam. Hæc igitur epistola Pompeio III. cos. scripta est, quia de nece Clodii agit, hoc anno per interregnum commissa, & de novis legibus, quas tulit Pompeius III. consul: ut ait Pedianus his verbis: *Pompeius statim consulatum iniit, deinde ante diem tertium de legibus novis ferendis retulit*. Eadem & de legibus, & de judiciis App. lib. II. & Dio lib. XL. quæ nunc Cicero. Præterea de T. Munatio Planco Bursa damnato agit: de quo etiam Dio in tertio consulatu Pompeii. Damnatus est autem quod curiam incenderat in funere Claudii, teste Dione.

M. Cicero S. D. T. Fabio.

II. 60. *Etsi egomet*) Quamquam non admodum certa est hujus epistolæ sedes, tamen ante bellum civile Cæsaris scripta esse videtur; quod ex his verbis intelligi potest: *Ea denique videtur conditio impendere legum, judiciorum,*

rum,

rum, temporum, ut optime actum cum eo videatur esse, qui quam levissima poena ab hac rep. discesserit. Consolatur autem Fabium de repulsa lata: quam repulsam ipse videtur tulisse Pompeio III. Consule, remp. extraordinaria cum potestate administrante; quod videtur his verbis significari: *Et cum unum sit judicium ex tam multis quod reprehendatur, ut quod una sententia eaque dubia potentiae alicujus condonatum existimetur, omnibus his de caussis debes istam molestiam quam lenissime ferre.*

M. T. Cicero T. Titio, T. F. Legato S.

IV. 95. *Etsi non dubito quin*) T. Titius legatus erat rei frumentariae curandae; commendat ei C. Avianum, ut commodet ei de loco quo deportet frumentum, ut puto in Sicilia; nam &, *C. Avianus in Sicilia est*, & Sicilia horreum populi R. solet esse. Sedes haec videtur esse hujus epistolae, quod ait se hoc idem obtinuisse per triennium, dum Pompeius ei negotio praefuit. Pompeius autem, Lentulo & Metello coss. rem frumentariam in quinquennium est adeptus, Dione auctore: quo expleto, facile hoc anno alius successit cum hoc Titio legato; conjectura tamen est.

SER. SVLPICIO RVFO,
M. CLAVDIO MARCELLO COSS.
Anno ab urbe condita DCCII.

M. T. Cicero Ap. Pulcro Imp. S. P. D.

I. 139. *Si ipsa resp.*) Ap. Claudius proconsul erat in Cilicia, successeratque ante biennium Lentulo: Cicero Romae erat. Hujus autem epistolae quamquam incerta sedes est, tamen illud affirmari posse videtur, non initio proconsulatus Appii missam esse, cum imperator, non proconsul, in titulo epistolae nominetur. Scripta est certe antequam Ciceroni obtigisset ut Appio in provincia succederet. Successit enim his iisdem consulibus, ut infra apparebit. De reconciliata gratia agit, quae P. Clodii fratris ejus caussa fuerat interrupta. Redierat autem in gratiam cum eo tum cum consul esset; ut eodem anno in epistola longa scripsit ad Lentulum.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulcro Imp. S. P. D.

I. 143. *Cum & contra*) Nunciat Ap. Claudio proconsuli Ciliciae, sibi obtigisse ut ei in provincia succederet. Rogat eum, ut sibi provinciam quam expeditissimam tradere velit. Romae adhuc erat Cicero, ut in sequenti ait. Non videtur autem proconsul esse nominandus, nisi postea quam aut in provinciam pervenit, aut certe imperium ad urbem accepit.

M. T. Cicero Procos. Ap. Claudio Pulcro Imp. S. D. P.

I. 144. *A. d.* XI. *K. Jun.*) Scripta est tum cum in Ciliciam proficiscebatur successurus Appio, mense Majo: quemadmodum ex epistolarum ad Att. l. V. intelligi potest. Fuit autem in Tusculano cum Attico Non. Maji. Inde Arpino, Arcano, Aquino, Cumano, Pompeiano, Trebulano peragratis, Beneventum venit a. d. V. Id. Maji: Tarentum autem, a. d. XV. K. Iun. At vero Brundusium, a. d. XI. K. Iun. quemadmodum in hac epistola scribit; ergo post XI. K. Iun. Scripta est tamen ante K. Iun. siquidem ait, se C. Pontinium legatum exspectare Brundusii, eumque ante K. Iun. venturum arbitrari; de quo sic scribit etiam ad Att. lib. V. *De Pontinio recte scribis; est enim ita, ut si ante K. Iun. Brundusii futurus sit, minus urgendi fuerint M. Annius, & Tullius.*

M. Co-

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 240. *Quod tibi decedenti*) Cœlius Ciceronem proconsulem in provinciam proficiscentem certiorem facit de rebus urbanis, quemadmodum ei decedenti pollicitus erat se facturum. Scripta est post 12. K. Iun. sed tamen ante K. Iun. quia ait: *Te a. d. IX. K. Iun. subrostrani dissipârant periisse*. Item: *Marcellus consul provinciarum relationem in K. Iun. distulit*.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulcro Imp. S. P. D.

I. 148. *Prid. Non. Iun.*) Scripta est post diem prid. Non. Iun. quo die se fuisse etiam Brundusii significat in epistola ipsa.

M. Cicero C. Memmio S. D.

IV. 4. *Etsi non satis*) C. Memmius Pompeio III. cos. de ambitu condemnatus, Athenis nunc exsulabat: quo Cicero venerat a. d. VI. K. Quint. ut est in epistolis ad Att. Ibi cum videre Memmium exsulantem non potuisset, (quod se prid. quam Athenas venerat Cicero, Mitylenas contulisset) scribit ad eum, doletque se non potuisse eum Athenis videre. Petit autem ab eo ut Patroni cuidam commodet; qua de re sic ad Att. l. V. *Commodius visum est & Zenoni, & post ipsi Patroni, me ad Memmium scribere, (qui prid. quam ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat) ut is ad suos scriberet, posse id sua voluntate fieri*.

M. Cicero C. Memmio.

IV. 7. *C. Aviano Evandro*) Ad eumdem Memmium scribit, atque ei commendat Avianum statuarium, ut ei de habitatione accommodet. Scripta est ante K. Quint. quia inquit Aviano subitum esse remigrare K. Quint.

M. T. Cicero procos. M. Cœlio S. P. D.

I. 98. *Quid? ut me hoc tibi*) Cicero Athenis profectus est prid. Non. Quint. cum ibi decem dies ipsos fuisset: ad Att. eo die Athenis proficiscens hanc epistolam scripsit, ut ex ipsa epistola apparet. Respondet epistolæ Cœlii superiori, cujus initium est, *Quod tibi*.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 247. *Certe inquam*) Certiorem facit Ciceronem absentem de rebus urbanis; id est, Messallam absolutum, Marcelli impetus resedisse, Hirrum secum ædilitatem petere. Mandat ut, si ædilis creatus fuerit, sibi curet pantheras; & syngrapham Sittianam ei commendat.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 250. *Est ne? vici*) Nunciat item se in ædilitate competitorem habere Hirrum.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulcro Imp. S. P. D.

I. 150. *Tralles veni*) Cicero proficiscens in Ciliciam, Ephesum venit, XI. K. Sext. Att. Tralles, VI. K. Sext. ex hac epistola. Laodiceam in provinciam prid. K. Sext. Att. Fam. Hanc scripsit post VI. K. Sext. ante prid K. Sext. quia ait se putare illo die futurum Laodiceæ. De conveniendo in provincia Appio agit.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 253. *Invideo tibi*) Scripta est K. Sext.

K. Sext, ut adscriptum est in extrema epistola. Nunciat de rebus urbanis: ut C. Marcellum consulem designatum esse, Curionem petere tribunatum plebis: comitia ædilitia, quibus ipse petebat, nondum esse habita. Pantheras, & syngrapham Sittianam ei commendat.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 259. *Quæ tu cura sit*) Timere se ait de copiis Ciceronis, si Parthi moveant. Optat ei tantum belli, quo triumphum consequi possit. Curionem designatum Trib. pleb. nunciat. Nihil de suis comitiis ædilitiis ait: nondum autem habita fuisse videntur.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 283. *Sic tu inquis*) Nunciat se vicisse competitorem Hirrum, & ædilem se factum. Rogat item eum de pantheris: seque a. d. IV. Non. Sep. hanc dedisse ait.

M. Cicero Procos. S. D. M. Marcello Cos.

IV. 159. *Te & pietatis*) Cum accepisset a Cœlio comitiis consularibus C. Marcellum consulem factum, gratulatur M. Marcello consuli de C. Marcello fratre ejus patruele in insequentem annum consule designato. Quia vero de Parthis nunciari aliquid ait, neque se publice adhuc ea de re scribere velle, propterea hæc epistola videtur præcedere eam quam publice misit, in qua de Parthis nunciat.

M. Cicero Procos. C. Marcello Cos. Des. S. D.

IV. 157. *Maxima sum lætitia*) Gratulatur ei, quod consul designatus sit.

M. Cicero Procos. C. Marcello Collegæ S. D.

IV. 158. *Marcellum tuum*) Gratulatur C. Marcello collegæ in augurattu de C. Marcello filio consule designato.

M. Cicero Imp. L. Paullo Cos. Des. S. D.

IV. 162. *Etsi mihi numquam*) Gratulatur L. Paullo cos. des. de consulatu. Hæ quatuor epistolæ gratulationis eodem (ut puto) die scriptæ sunt; non videtur autem in titulo epistolæ Imperator appellandus, quod nondum in Amano rem gesserit.

M. T. M. F. Cicero Procos. S. D. Coss. Præt. Trib. Pl. S. P. Q. R.

IV. 134. *Si vos bene valetis, bene est: ego quidem valeo. Cum prid. K. Sext*) Quod negarat paullo ante, cum scriberet ad M. Marcellum consulem, se adhuc de Parthico metu publice scribere velle, id nunc facit: nunciat enim Senatui, ut venerit in provinciam prid. K. Sext. ut accepto nuncio de bello a Parthis in Syriam illato, iter in Ciliciam per Cappadociam facere cœperit. Cum autem hæc scripsit, in Ciliciam per Cappadociam tendebat.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulcro Imp. S. P. D.

I. 155. *Cum meum factum*) Eodem tempore scripta est atque superior: quia ait, se prid. K. Sext. in provinciam venisse, prid. K. Sept. ab Iconio castra movisse, iter in Ciliciam per Cappadociam facere. Agit cum Appio de ratione conveniendi eum in provincia.

Cice-

Cicero Imp. S. D. M. Catoni.

IV. 140. *Cum ad me legati*) Nunciat quemadmodum legati ab Antiocho Commageno ad se venerint in castra ad Iconium a. d. III. K. Sept. & nunciarint regis Parthorum filium cum magnis Parthorum copiis ad Euphratem venisse: se tamen de hac re nihil publice scribere. Non videtur autem Imperator esse appellandus in titulo epistolæ, sed Proconsul, ob causam, quam ante diximus. Præterea vero mendose est in epistola, se in castris ad Iconium conventum esse a legatis, a. d. III. Non. Sept. Siquidem ad Att. scribit se lustrasse exercitum apud Iconium III. K. Sept. & ad Appium, castra movisse ab Iconio prid. K. Sept.

M. T. M. F. Cicero Procos. S. P. D. Coss. Præt. Trib. Pl. S. P. Q. R.

IV. 139. *Si vos bene valetis, bene est: ego quidem valeo. Etsi non dubie*) Ter ante Romam scripsit de metu Parthico: primo ad M. Marcellum consulem obscurissime: qua in epistola negavit se ad eum de ea re scribere velle, ne publice, cum ad consulem scriberet, scribere videretur: deinde eadem illa ad Senatum, id est, quemadmodum de bello a Parthis in Syriam illato quotidie & nuncii & litteræ afferrentur. Qua in epistola ait, se cum exercitu, per Cappadociæ partem eam, quæ cum Cilicia continens est, iter fecisse, castraque ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locasse. Tertio in epistola ad Catonem, qua ait, se in castris ad Iconium a. d. III. K. Sept. accepisse a legatis, Antiochi Commageni regis Parthorum filium Euphratem transire cœpisse: ea tamen de re nihil publice scripsisse. Quarto nunc ad Senatum scribit, aitque se non solum a legatis Commageni regis, Parthos Euphratem transire cœpisse, audisse; sed etiam a. d. XIII. K. Oct. cum exercitum in Ciliciam duceret, a Tarcondimoto accepisse Parthos item Euphratem transisse. Ergo quæ negarat Catoni se publice scripsisse, nunc quia certiora habet, scribit. Se ad Taurum instituisse ducere ait. Hanc epistolam de Parthico tumultu recitatam in Senatu Non. Oct. scribit ad Att.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 269. *Etsi de rep.*) Narrat S. C. facta prid. K. Oct. ut C. Marcellus, L. Paullus coss. des. ad K. Martias (quæ futuræ essent in suo consulatu) de provinciis Galliis referrent ad Senatum.

M. T. Cicero Procos. M. Cœlio Rufo Ædili Cur. Des. S. P. D.

I. 100. *Primum tibi*) Respondet epistolæ Cœlii, cujus initium est, *Sic tu, inquis, Hirrum tractasti?* Gratulatur ei, quod ædilis factus sit: & serius se hoc facere ait, quia sero audierit; in iis enim & locis esse, quo & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardissime omnia perferantur. Erat autem fortasse ad montem Taurum, de quo superiore epistola.

M. T. Cicero Procos. S. D. Ap. Pulcro.

I. 166. *Etsi quantum*) Cicero Tarsum venit, Ciliciæ urbem, III. Non. Oct. Att. Tarso Amanum versus profectus est Non. Oct. ex hac epistola. Postridie ejus diei hanc epistolam scripsit, ut in hac ait. Querelis quibusdam Appii respondet. De Parthis quod falso nunciatum erat Romæ, ita quærenti Appio respondet: *De Parthis quod quæris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt admixto Parthico ornatu, dicuntur omnes revertisse. Hostem esse in Syria negant ullum.*

M. T.

M. T. Cicero Imp. M. Cœlio Rufo Ædili Cur. Des. S. P. D.

I. 103. *Tu vide*) Cicero a. d. III. Id. Oct. in Amanum montem venit; in eo rem bene gessit, apud Issum Imperator appellatus est. Fam. Att. Cum hanc epistolam scripsit, in eo quintum & vicesimum jam diem Pindenissum oppidum oppugnabat, id est XVI. K. Decemb. nam Pindenissum captum est Saturnalibus, ut scribit ad Att. id est XIV. K. Ian. cum per septem & quinquanginta dies illud oppugnasset, ut ait in epistola ad Catonem. Nullas se a Cœlio accepisse litteras ait, postea quam ædilis factus est. Neque enim dum accepisse videtur eas, quarum initium est, *Etsi de republica*.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 287. *Sane quam*) Hæc epistola scripta est a. d. XIV. K. Decemb. ut ex ipsa apparet, in qua agit de falso metu Parthico a Cassio nunciato, qui Arabas ornatu Parthico in provinciam immisisse credebatur. Qua de re scripsit superiore etiam epistola ad Appium, postr. Non. Oct.

M. T. Cicero Procos. C. Curioni Trib. Pl. S. P. D.

I. 95. *Sera gratulatio*) Gratulatur Curioni de tribunatu plebis, serius, ut ait, quia longius abest. Scripta est hæc epistola post captum Pindenissum, id est, post. XIV. K. Ian. quod intelligi potest ex his verbis: *Paucis diebus eram missurus domesticos tabellarios, ut quoniam jove feliciter & ex mea sententia remp. gessimus, unis litteris totius æstatis res gestas ad Senatum perscriberem*.

M. Cicero Volumnio S. D.

II. 234. *Quod sine prænomine*) Hæc epistola scripta esse videtur Decembri mense: quia meminit Curionis Trib. pleb. cum ait: *Cupio nostrum illum amicum in Tribunatu quamplurimum habere gravitatis*. Dolet, post discessum suum omnia omnium dicta in se conferri.

M. Cicero Q. Thermo Propræt. S.

IV, 71. *L. Genucilio Curvo*) Q. Thermus proprætor erat Asiæ tum cum Cicero proconsul erat Ciliciæ, quemadmodum ex sequentibus epistolis aperte apparebit. Commendat ei hac epistola L. Genucilium. Quo autem mense eam scripserit, ex verbis ejus non liquet.

Cicero Thermo Propræt. S.

IV. 74. *Clovius Puteolanus*) Incertum est, an hæc epistola scripta sit ante rem gestam a Cicerone in Amano, an vero postea quam gessit. Illud non dubium est, scriptam esse postquam Epheso profectus est. Ephesum autem venit XI. K. Sext. Att. siquidem ait: *Dixerat mihi Euthydemus cum Ephesi essem*.

Cicero Thermo Propræt. S.

IV. 73. *Etsi mihi videor*) M. Anneius legatus Ciceronis rei suæ causa profectus erat ad Thermum proprætorem Asiæ, quemadmodum apparet ex epistola ad Thermum, cujus initium est, *Quo magis*. Profectus autem videtur esse post rem a Cicerone in Amano monte gestam; quia ait: *Tam vero posteaquam mecum in bello ac in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem pluris faciam*. Hunc ergo commendat Thermo.

M. Cic. P. Silio Propræt. S. D.

IV. 79. *T. Pinnio*) Illud satis constare videtur, hunc Silium in provincia

cia eodem tempore fuisse, atque Ciceronem: quia ait ipse Cicero ad Silium. *Magnum theatrum habet ista provincia, non ut haec nostra*. Item videtur eodem tempore fuisse in provincia, quo Cicero & Thermus in Cilicia & Asia, & Bibulus in Syria, erant; quia scribit ad Att. *Thermum, Silium vere audis laudari; valde se honeste gerunt: adde M. Nonium, Bibulum, me, si voles*. Quamquam eo in loco mendose legitur *Silvium*, meo quidem judicio. Provincia vero in qua erat Silius, videtur fuisse Bithynia, in qua sunt Nicaenses, quorum in hac epistola meminit. Itaque hae omnes epistolae scriptae ad Silium propraetorem, scriptae sunt a Cicerone ex provincia: quibus vero mensibus, non liquet.

M. Cicero P. Silio Propraet. S. D.

IV. 80. *Et in Atilii negotio*) Gratias agit Silio de Atilio, & commendat Q. fratrem. Ostendit autem se in provincia esse, cum ait, *cum enim sero venissem*.

M. Cicero P. Silio Propraet. S. D.

IV. 80. *Non putavi*) Commendat ei C. Lenium. Ostendit se esse in provincia, cum ait: *Ego eum a me invitissimus dimisi, quod consilio ejus fideli ac bono libenter utebar*. Rogat eum ut ad se confectis ejus negotiis quam primum remittat.

M. Cicero P. Silio Propraet. S. D.

IV. 81. *Nero meus*) Commendat Silio Neronem, & quosdam ejus familiares.

M. Cicero Crassipedi S. P. D.

IV. 18. *Quamquam tibi praesens*) Difficile est de vera hujus epistolae sede aliquid affirmare: sed tamen duplici conjectura ducor, ut credam hoc tempore scriptam esse: altera, quod is Crassipes, quaestor Bithyniae fuisse videtur, cum ait, *cujus rei quantam potestatem Quaestor habeat, non sum ignarus*; ut Quaestor esse C. Silii propraetoris Bithyniae videatur. Altera est, quod utrique commendat socios Bithynicos, familiares suos: in primis autem Crassipedi P. Rupilium, magistrum in ea societate: C. vero Silio P. Terentium Hysponem, qui operas in scriptura pro magistro daret, ut in sequenti epistola. Ex quibus intelligi potest id quod initio diximus, cum hoc tempore quo Silius propraetor erat in Bithynia, scriptam esse hanc epistolam; tum vero Crassipedem Silii in Bithynia fuisse quaestorem.

M. Cicero P. Silio Propraet. S. D.

IV. 83. *Cum P. Terentio Hyspone*) Commendat P. Terentium Hysponem; qui in Bithynica societate operas in scriptura pro magistro daret. De cujus negotio se egisse ait cum Ephesiis tum cum fuit Ephesi in Ciliciam veniens.

Cicero Silio S. P. D.

IV. 66. *Quid ego tibi commendem eum*) Commendat ei Egnatium. Quamquam non est adscriptum *Propraetori*; tamen idem Silius videtur esse. Videturque haec epistola subsequi superiores, quia ait, *sed haec coram*.

L. AEMILIO PAVLLO,
C. CLAVDIO MARCELLO, COSS.
Anno ab Vrbe condita DCCIII.

M. Cicero Imp. C. Catoni S. D.

IV. 142. *Summa tua auctoritas*) Iam Cicero aestivis confectis Q. fratrem legatum hibernis & Ciliciae praefecerat. Inde in Asiam Tarso Non. Ian. reversus

sus erat, Att. Tum igitur hanc epistolam scripsit, in qua omnes res a se gestas in Amano monte exponit. Se Pindenissum cepisse nunciat, exercitum in hiberna dimisisse, Q. fratrem provinciæ præfecisse. Supplicationem propterea, ut sibi Cato decernat, petit.

M. Cicero Imp. C. Marcello C. F. Cos. S. P. D.

IV. 160. *Cum id accidit*) Petit item a consule, ut de supplicatione sibi de rebus a se in provincia gestis decernenda referat.

M. Cicero Imp. L. Paullo Cos. S. D.

IV, 163. *Maxime mihi fuit*) Petit idem a Paullo consule, quod petiit supra a collega Marcello. Misit etiam hoc eodem tempore de eadem re litteras ad Senatum, quæ interciderunt: de quibus loquitur in superiore epistola ad Marcellum, cum ait: *Peto a te, ut quam honorificentissimum S. C. literis meis recitatis, faciendum cures*. Non scripsisse autem se statim post res gestas, indicat in epistola ad Appium, cum ait: *Idque a me recte factum puto, quod non statim ut imperator appellatus sim, sed aliis rebus additis, æstivisque confectis, litteras miserim*. Atque hæ tres epistolæ eodem fere die scriptæ esse videntur.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 262. *Non dubito*) Hæc epistola scripta videtur principio hujus anni, quia ait: *Consules adhuc S. C. nullum nisi de feriis Latinis facere potuerunt*. Nam ejusmodi S. C. primis anni mensibus fiebant. Item: *Curioni nostro tribunatus conglaciat*. Et post: *Pro Cæsare loqui cœpit*. Inierat autem IV. Id. Decemb. qui dies solemnis erat.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 267. *Quam cito*) Hæc epistola scripta videtur postridie quam superior: nam ait: *Tuo liberto pluribus verbis scriptas pridie dederam*. Item audisse videtur rem a Cicerone bene gestam; quia ait, *quo adhuc felicius rem gessisti*.

M. Cicero Procos. S. D. Ap. Pulcro.

I. 159. *Pluribus verbis*) Hæc epistola scripta est dum Cicero esset Laodiceæ; ubi moratus est a III. Id. Feb. usque ad Non. Maji, Att. & Fam. inquit enim in hac epistola; *Hæc scripsi subito cum Bruti pueri Laodiceæ me convenissent, & se Romam properare dixissent*. Item scripta est post brumam, quia ait: *Tametsi id quidem fecerunt ridicule; quas enim litteras afferebant, ut opus æstate facere possent, eas mihi post brumam reddiderunt*. Ex quo intelligi potest, imperatorem, non proconsulem, in titulo epistolæ esse appellandum; cum priore anno imperator fuit appellatus. Querelis item quibusdam Appii respondet.

M. Cic. C. Cassio Proquæst. S. D.

IV. 164. *M. Fabium*) C. Cassius proquæstor erat Syriæ: eum hortatur ut Romam properans, curet, ne quid sibi temporis in provincia prorogetur. Se de M. Fabio studiose facturum, quæ rogavit, ait.

M. T. C. Imp. M. Cœlio Ædili Cur. S. P. D.

I. 116. *M. Fabio*) Commendat Cœlio rem M. Fabii. Scripta videtur per hiemem, quia ait: *Tamdiu propter hiemis magnitudinem nihil novi ad nos afferebatur*. Hoc fecisse C. Cassii rogatu videtur, ex superiore ad eum epistola.

M. Ci-

M. Cicero C. Curtio Peduceano Præt. S. P. D.

IV. 77. *M. Fabium*) Commendat item huic rem M. Fabii. Ostendit etiam se in provincia esse, cum ait; *etiam cum procul absim*.

M. Cicero C. Titio L. F. Rufo Præt. Vrb. S.

IV. 77. *L. Custidius*) Commendat huic L. Custidium. Ostendit etiam se in provincia esse, cum ait, *etiam cum longissime absim*.

M. T. C. Imp. Ap. Pulcro S. D.

I. 177. *Vix tandem*) Litteras ab Appio jam placato, postquam ad urbem accesserit, se accepisse ait: rogat eum ut se adjuvet in supplicatione decernenda. Hæc aliquanto post superiores de supplicatione videtur scripta; quia ait: *Omnino serius misi litteras quam vellem: in quo cum difficultas navigandi fuit odiosa, tum in ipsum discessum senatus incidisse credo meas litteras*.

M. T. C. Imp. Cœlio Æd. Cur. S. P. D.

I. 107. *Putaresne umquam*) Respondet de pantheris. Se sollicitum esse quid de provinciis decernatur, & Romam redire cupere ait. Scripta est Megalensibus, id est, Non. Apr. ex epistola.

Cicero Thermo Propræt. S.

IV. 72. *Cum multa mihi*) Commendat Thermo M. Marcilium. Scripta est hoc tempore, quia ait Marcilium ad se venisse Laodiceam, ubi hoc tempore erat Cicero, ut ostendimus.

Cicero Thermo Propræt. S.

IV. 76. *Quo magis*) Ante K. Majas scripta est; quia ait: *Ego in Ciliciam proficisci cogito circiter K. Majas: ante eum diem redeat Anneius legatus oportet*. Erat autem Anneius ad Thermum profectus rei suæ causa, ut diximus; quæ cum ita sint, & superiori & huic epistolæ in titulo addendum est Imp.

M. T. C. Imp. M. Cœlio Ædili Cur. S. P. D.

I. 112. *Raras tuas quidem*) Scripta est ante Non. Maji, quia ait: *Proficisci in Ciliciam cogitabam Non. Maji; &, cum primum æstiva attigissem, militaremque rem collocassem, decedere*. Respondet epistolæ Cœlii, cujus initium est, *Non dubito*.

M. T. Cicero Imp. Q. Thermo Propræt. S. P. D.

I. 134. *Officium meum*) Scripta est tum cum in Ciliciam revertebat ex Asia: quia ait, *quod in Ciliciam proficiscebar*. Monet ut provinciæ quæstorem nobilem potius, quam legatos præficiat.

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulcro S. P. D.

I. 179. *Cum est ad nos allatum*) Appius accusatus a Dolabella, opem Ciceronis per litteras implorarat. Pollicetur ei opem Cicero, cum ait: *Promitto me pro tua dignitate in hac provincia, cui tu præfuisti, rogando, deprecatoris; laborando, propinqui; auctoritate, cari hominis (ut spero) apud civitates; gravitate, imperatoris suscepturum officia atque partes*. Intelligit autem, ut legatos ex Cilicia mittendos suadeat periculi Appii deprecatores. Scripta videtur, vel cum Laodiceæ erat, vel postquam in Ciliciam reversus est; quia ait: *Pontinus conscendens jam navim Epheso Laodiceam revertit*. Sperat eum propediem Censorem auditurum. Petit, ne quid sibi temporis addatur in provincia.

M. T. Cicero Imp. Papirio Pæto S. D.

III. 74. *Summum me ducem*) Hæc epistola scripta videtur postquam Laodicea discessit ; quia ait : *Is eum ad me Laodiceam venisset* . Commendat Papirio item rem M. Fabii : quam supra commendavit etiam Cælio .

M. T. Cicero Imp. C. Cælio L. F. Quæst. Des. S. P. D.

I. 138. *Cum optatissimum*) Scripta est post K. Quint. quia ait : *Accepi a te missas litteras in Cilicia , cum essem in castris a. d. x. Kal. Quint.* Item quod ait : *Gratissimum mihi feceris , si ad me in Ciliciam quamprimum veneris* .

M. T. Cicero Imp. Cælio Rufo Ædili Cur. Des. S. P. D.

I. 109. *Sollicitus equidem*) De decessione cogitat , quod ait : *Quare etsi cum hæc leges , ego jam annuum munus confecero : tamen obviam mihi velim sint litteræ tuæ , quæ me erudiant de omni rep. ne hospes plane veniam* . Eum videre ædilem se cupere ait .

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulcro , ut spero , Censori S. P. D.

I. 191. *Cum essem in castris*) Adhuc in Cilicia est Cicero : quod inde intelligitur , cum ait : *Cum essem in castris ad fluvium Pyramum , redditæ mihi sunt uno tempore a te epistolæ duæ* . Fuit autem in castris a. d. x. Kal. Quint. ut supra diximus . Item cum ait : *fiet a me cum per Asiam decedam* . Gratulatur eum absolutum esse de majestate , censorem jam illum esse sperat .

M. Cato M. Ciceroni Imp. S.

IV. 153. *Quod & resp.*) Respondet Cato epistolæ Ciceronis , cujus initium est , *Summa tua auctoritas* : in qua supplicationem petierat .

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

II. 200. *Non diu*) De supplicatione ejus quid egerit Curio Trib. pleb. Paullus , & Marcellus , coss. Cato , Favonius , Furnius , Lentulus , Balbus , nunciat . Item , ut Pompeius cum senatu incubuerit , ut Cæsar ante Id. Novemb. decedat e provincia .

M. T. Cicero Imp. Caninio Salust. Proquæst. S. P. D.

I. 129. *Litteras a te mihi stator*) Salustius erat proquæstor Bibuli proconsulis Syriæ . Scripta est post XVI. K. Sext. quia ait: *Litteras a te mihi stator tuus reddidit Tharsi , a. d. XVI. Kal. Sext.* Se prid. K. Sext. decessurum putat , quia ait : *Quin ad diem decedam nulla causa est , præsertim sublato metu Parthico* .

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

II. 299. *Gratulor tibi affinitate*) Gratulatur Ciceroni filiam Dolabellæ nupsisse. Nunciat ei mortem Q. Hortensii , cum ait : *Q. Hortensius , cum has litteras scripsi , animam agebat* . Videtur scripta hæc epistola quo tempore Cicero e Cilicia decessit : quia scribit in Bruto : *Cum e Cilicia decedens Rhodum venissem , & eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum* .

M. T.

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulcro S. P. D.

I. 195. *Gratulabor tibi prior*) Gratulatur Appio, quod absolutus sit de ambitu: excusat se quod Tulliam Dolabellæ accusatori ejus collocaverit. Scripta est paullo post quam discessit, quia ait: *Decedenti mihi, & jam imperio annuo terminato a. d. III. Non. Sext. cum ad Sidam navi accederem, litteræ a tuis sunt redditæ*.

M. T. Cicero M. Catoni S. D.

IV. 155. *Lætus sum*) Agit gratias Catoni de supplicatione: jam autem propius accessisse videtur, quia ait: *Ego, ut spero, propediem te videbo*.

M. Cicero Imp. C. Marcello C. F. Cos. S. P. D.

IV. 161. *Quanta curæ tibi*) Agit gratias de supplicatione. Eodem tempore, quo superior, scripta videtur, quia ait: *Ego, si me navigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsos Etesias, propediem te, ut spero, videbo*.

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulcro S. D.

I. 198. *Quasi divinarem*) Agit gratias de supplicatione: eum jam sperat Censorem.

M. T. Cicero Imp. M. Cœlio Ædili Cur. S. P. D.

I. 117. *Non potuit accuratius agi*) Agit gratias de supplicatione, & quod sibi gratulatus sit de matrimonio Tulliæ. Respondet epistolis superioribus Cælii: *Quam cito*, &, *Gratulor tibi affinitate*.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 295. *Pudet me*) Queritur de injuriis Appii, jam Censoris: & se Ciceronem exspectare ait, atque eum quamprimum videre cupere.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 301. *Tanti non fuit*) In hac etiam de Appio Censore agit, rogatque Ciceronem ut quamprimum veniat. Ad arma rem spectare ait, propter contentionem Cæsaris & Pompeii de exercitibus dimittendis. Item ait: *Scis Appium Censorem hic ostenta facere? de signis, de tabulis, &c.* At ad Att. scribit Id. Oct. ita: *Scribe de censoribus, maximeque de signis, tabulis, quid fiat*. Ergo hæc ante Id. Oct. scripta.

M. Cicero Terentiæ, & Tul. Suis, S. D.

IV. 111. *Si tu, & Tullia lux nostra*) Cicero Epheso discessit K. Oct. Att. Athenas venit prid. Id. Oct. ex hac epistola, quæ scripta est XV. K. Novemb. Se ad arma rem spectare audisse ait.

Tullius, & Cicero meus, & Frater, & Fr. F. Tironi Suo S. D.

IV. 188. *Paulo facilius*) Cicero discedens Patris ægrotum ibi Tironem reliquerat: ad eum igitur de valetudine scribit III. Non. Novemb.

Tullius Tironi Suo S.

IV. 189. *Non queo ad te*) Scripta est Non. Novemb. Alyzia. De valetudine item Tironis agit.

Tullius, & Cicero Tironi Suo S. D. & Q. Frater & Filius.

IV. 190. *Nos apud Alyziam*) Scripta est VIII. Id. Novemb. quia ait : *Nos apud Alyziam diem unum commorati sumus : is dies fuit Non. Novemb. Inde ante lucem proficiscentes a. d.* VIII. *Id. Novemb. has litteras dedimus*. De valetudine Tironis item agit.

Tullius Tironi suo S. P. D. & Cicero, & Q. Frater, & Q. F.

IV. 190. *Varie sum affectus*) Data est VII. Id. Novemb. Leucade. De valetudine Tironis item agit.

Tullius, & Cicero F. & Q. Q. Tironi Humaniss. & Optimo S. P. D.

IV. 193. *Vide quanta in te sit*) Scripsit hanc epistolam Leucade proficiscens, VII. Id. Novemb. De valetudine Tironis agit.

Tullius, & Cicero, & Q. Q. Tironi S. P. D.

IV. 194. *Tertium ad te*) Scripta Actio vesperi, VII. Id. Novemb.

Tullius, & Cicero S. D. Tironi suo.

IV. 195. *Septimum jam diem*) Data XV. K. Decemb. Corcyrae. Mendose autem legitur XV. K. Novemb. quia ait in epistola sequenti : *Corcyrae fuimus usque ad* XVI. *K. Decemb. tempestatibus retenti: a. d.* XV. *K. a portu Corcyraeorum ad Cassiopen stadia* CXX. *processimus*. De aegritudine agit.

Tullius. & Cicero Tironi suo S. P. D.

IV. 197. *Nos a te*) Corcyra ad Cassiopen se processisse ait a. d. XV. K. Decemb. ibi fuisse usque ad IX. K. Postridie in Italiam ad Hydruntem pervenisse : VII. autem K. Decemb. Brundusium venisse, & secum in oppidum Terentiam introisse, a. d. V. K. Decemb. Brundusii Tironis litteras accepisse, quibus cognovit Tironem convaluisse. Rogat igitur eum ne temere naviget : videturque Brundusio discessisse, quia ait : *Equum & mulum Brundusii tibi reliqui*.

C. CLAVDIO MARCELLO,
L. CORNELIO LENTVLO, COSS.
Anno ab urbe condita DCCCV.

Tullius & Cicero, Terentia, Tullia, Q. Q. Tironi S. P. D.

IV. 201. *Etsi opportunitatem*) Cicero a. d. VIII. Id. Decemb. in Trebulanum venit : Att. De Formiano vero Tarracinam venit prid. K. Ian. Inde in Albanum Pompeii. Ita a. d. III. Non. Ian. ad urbem cogitabat, Att. Hanc autem epistolam Tironi scripsit prid. Id. Ian. qua certiorem Tironem facit (qui adhuc aegrotus erat Patris) quemadmodum ad urbem accesserit prid. Non. Ian. Item quemadmodum Caesar ad senatum minaciter scripserit, & ut senatus consulibus, praetoribus, tribunis plebis, & sibi proconsuli remp. commendarit. Italiae regiones, quas quisque tueretur, descriptas esse: se Capuam sumsisse. Hoc autem S. C. factum esse VII. Id. Ian. scribit Caesar lib. primo De Bello Civili.

Cicero Rufo S.

II. 65. *Quoquo modo potuissem*) Videtur haec epistola scripta tum cum Cicero ad urbem erat : primum quia ait, se tribunos militum, contubernales & praefectos, detulisse : (quae delatio non nisi ad urbem fiebat) dein-

deinde quia addit: *Cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te.* Agit cum quæstore suo Rufo de relatis provinciæ rationibus.

Tullius Terentiæ, & Pater Tulliolæ, duabus animis suis: & Cicero Matri optimæ, suavissimæ Sorori S. P. D.

IV. 120. *Si vos valetis, nos valemus*) Data est VIII. K. Feb. Minturnis: nam mendose legitur VIII. K. Quint. fuit enim Minturnis hoc die, ut scribit ad Att. Accedit quod agit cum uxore, & filia, an debeant Roma cedere adventu Cæsaris: an ibi tuto esse per Dolabellam possint: qua de re agit etiam in sequenti epistola, VII. K. Feb. data Formiis.

Tullius Terentiæ, & Pater suavissimæ Filiæ: Cicero Matri & Sorori S. P. D.

IV. 124. *Considerandum*) Data est VII. K. Feb. Formiis. Agit de eadem re atque in superiore egit.

M. Tullius S. D. Tironi suo.

IV. 204. *Quo in discrimine*) Cicero VI. Kal. Feb. venit Capuam, Att. Hanc scripsit IV. Kal. Feb. Capua. Tiro adhuc erat Patris: se adhuc præesse oræ maritimæ a Formiis ait. Cæsarem Ariminum, Pisaurum, Anconam, Aretium occupasse ait, urbem a se relictam esse. Hortatur Tironem, ne aut æger, aut hieme naviget.

Q. Cicero Tironi S. D.

IV. 196. *Magnæ nobis*) Q. Cicero rogat Tironem, ne se tam longæ navigationi committat, & viæ per hiemem, nisi bene firmus sit: quod ab eo petiit etiam superiore epistola M. Cicero.

M. Cœlius Ciceroni S. D.

II. 301. *Ecquando*) Cicero Capua profectus est Formias III. K. Feb. Inde a consulibus jussus rediit. prid. Non. Att. Capua vero discessit VII. Id. Att. Pompeius X. K. Mart. Canusii erat, Att. Canusio profectus est VIII. K. Att. V. K. Mart. Brundusium venisse poterat: expeditus enim antecesserat legiones Luceria. Att. Cæsar. K Arpis fuit. VII. Id. Brundusium venit, persequens Pompeium. Att. Pompeius Brundusio conscendit Id. Mart. Att. vel a. d. XVI. Kal. Apr. Att. Hoc autem tempore hæc epistola scripta videtur, quia ait: *Cæsar me, cum expulisset ex Italia Pompeium, constituit ad urbem vocare: id quod jam existimo confectum: nisi maluit Pompeium Brundusii circumsedere.*

Tullius Tironi S.

IV. 207. *Omnia a te data*) Data est IV. Id. Apr. Monet ut convalescat.

Tullius Tironi S. D.

IV. 208. *Andricus*) Data III. Id. Apr. De ægritudine agit.

Tullius Tironi S.

IV. 210. *Ægypta*) Data est postrid. Id. Apr. quia ait: *Ægypta ad me venit prid. Id. Apr.* Se accepisse ab eo epistolam vacillantibus litterulis ait: ex quo apparet jam Tironem convalescere, præsertim cum addat sibi nunciatum, eum febri carere, & belle habere.

M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

I. 201. *C. Trebatius*) Cæsar, pulso ex Italia Pompeio, post Id. Mart. Romam redierat, ad senatum de rep. retulerat, ærarium diripuerat. Itaque hac epistola rationem affert Cicero, cur rogante Cæsare non venerit in senatum.

natum. Post fugam Pompeii scriptam esse, hæc verba indicant: *Vides orbem terrarum imperiis distributis ardere bello, urbem sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine lege, sine fide, relictam direptioni & incendiis*. Scripta tamen est ante diem illum qui dicitur III. K. Majas, ex sequenti ad eumdem epistola. Agit cum eo de conveniendo illo, seque cogitare ait ab urbe longius discedere.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 309. *Exanimatus*) Rogat Ciceronem Cœlius, ne se ad Pompeium Italia pulsum conferat, ne Cæsarem offendat. Itaque ait, *Cæsar iratus Senatui exiit*. Intelligit autem extra urbem, ut in Hispaniam contra Afranium & Petreium, legatos Pompeii, eat. Et post addit: *Quod si totum tibi persuadere non possum, saltem, dum quid de Hispaniis agemus, scitur, exspecta, quas tibi nuncio adventu Cæsaris fore nostras: quam isti spem habeant amissis Hispaniis, nescio*. Non videtur autem adhuc discessisse Italia Cæsar, quod ait: *Me secum in Hispaniam ducit; nam nisi ita faceret, priusquam ad urbem accessissem, ubicumque esses, ad te percurrissem.* Meminit harum litterarum Cœlii, in epist. ad Att. in qua ait se in Cumano Sulpicium exspectare.

M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

I. 205. *A. d. III. K. Majas*) Agit cum eodem de conveniendo, & de consilio profectionis ad Pompeium, qui in Epiro erat cum consulibus. Scripta est post III. K. Majas, ut ex epistolæ primis verbis apparet. Ad Att. etiam ait se Servium exspectare ad Non. quod in Cumano se facturum esse; in hac epistola scribit:

M. T. Cicero Imp. M. Cœlio Ædili Cur. S. P. D.

I. 122. *Magno dolore*) Respondet epistolæ Cœlii, qua se deterruerat, ne Pompeium Italia pulsum sequeretur.

M. Cicero Rufo S.

II. 62. *Etsi mihi*) Scripta est paullo ante quam iret ad Pompeium, quia ait: *Mihi consilium captum est jamdiu*. Item: *Quare si simul placebit, statim ad me venias*. Intelligit autem profectionem ad Pompeium, ut aperte apparet ex epistola.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

IV. 114. *Omnes molestias*) Cæsare in Hispaniam profecto Cicero se ad Pompeium in Græciam contulit, auctore Plutarcho in Cicerone. Ex itinere autem hanc epistolam scripsit, quod intelligitur, cum ait: *Navim spero nos valde bonam habere, in eam simul atque conscendi, hæc scripsi: deinde conscribam ad nostros familiares multas epistolas, quibus te & Tulliam nostram diligentissime commendabo. Tu velim iis villis utare, quæ longissime absint a militibus.* Data est VII. Id. Iun.

Cæsar hoc eodem anno, Hispaniis victis, Placentina militum seditione compressa, Romam iterum reversus est: & Dictator creatus comitia habuit, quibus se & Isauricum consules in insequentem annum creavit, atque intra undecim dies Dictatura abdicavit. Auctor App. & Cæsar lib. III. de Bello Civili.

C. IULIO CÆSARE II.
P. SERVILIO ISAURICO, COSS.
Anno ab urbe condita DCCV.

Cæsar hoc anno prid. K. Ian. trajecit in Epirum, adversus Pompeium, eumque per quatuor fere menses obsedit. Auctores, Suetonius in Cæsare, & Cæsar lib. III. de Bello Civili.

M. Cœlius M. Ciceroni S. D.

II. 313. *Ergo me potius*) Quo tempore Pompeius ad Dyrrachium in Epiro, & Cæsar ad flumen Tapsum ca-

stra

stra habebant, Cœlius Romæ Prætor hanc epistolam scripsit. Cæsar de Bello civili lib. III. Hoc indicare etiam Cœlius in epistola videtur, cum ait: *Quid istic facitis? prælium exspectatis, quod firmissimum est*.

Dolabella Ciceroni S. D.

III. 23. *Si vales, gaudeo*) Scripta est cum Pompeius ad Dyrrachium obsessus est a Cæsare, quia ait: *Pulso Italia Pompeio, amissis Hispaniis, capto exercitu veterano, circumvallato nunc demique*. Hortatur eum, ut Pompeium tamquam victum relinquat. Terentiam minus belle habuisse nunciat, sed eam jam convaluisse.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

IV. 116. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Valetudinem tuam*) Cicero cum Pompeio erat; in castris sibi nunciatum ait, Terentiam in febrim subito incidisse. Data IV. Non. Iun.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

IV. 127. *Si vales, bene est: ego valeo. Da operam*) Monet eam, ut det operam ut convalescat.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

IV. 113. *Nec sæpe est*) De prædio vendendo agit. Data Id. Quint.

Pompeius hoc anno in Pharsalia, media æstate (ut ait Plut. in Bruto) summo prælio cum Cæsare decertavit: ex qua victus in Ægyptum se recepit, atque ibi interfectus est, eodem die, quo de Mithridate triumphaverat, Dione auctore: id est, prid. K. Oct. Plinio, & Capitolinis lapidibus testibus. Itaque Cicero IV. K. Decemb. scribit ad Att. de exitu Pompeii.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

IV. 118. *Quod nos in Italiam*) Data est prid. Non. Novemb. Brundusio. Nunciat se rediisse in Italiam, & a bello recessisse significat, cum ait: *Perturbati dolore animi magnisque injuriis, metuo ne id consilii ceperimus quod non facile explicare possimus*. Qua de re etiam ad Att. Hoc est autem tempus illud, quo Cicero Brundusii per multos menses moratus est. Cæsarem autem post prælium Pharsalicum in Ægyptum se contulisse, atque ibi per novem menses fuisse, tradit Appianus. De quo tempore sic Cicero in Oratione pro Q. Ligario: *Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, reip. reddidit; qui ad me ex Ægypto litteras misit, ut essem idem qui fuissem: qui, cum ipse imperator in toto imperio populi R. unus esset, esse me alterum passus est: a quo, hoc ipso C. Pansa nuncium perferente, concessos mihi fasces laureatos tenui, quoad tenendos putavi: qui mihi tum denique se salutem putavit reddere, si eam nullis spoliatam ornamentis redderet*.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

IV. 125. *In maximis*) Agit de valetudine Tulliæ, de qua agit etiam in epist. ad Att. quæ data est IV. Kal. Decemb. De convenienda illa loquitur his verbis: *Quod me propius vultis accedere, video ita esse faciendum: etiam ante fecissem, sed me multa impedierunt, quæ ne nunc quidem expedita sunt*. Qua de re agit etiam in epistola ad Atticum, de qua dixi.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

IV. 116. *Ad ceteras*) Agit de valetudine Dolabellæ, & item Tulliæ, ut ante.

Tullius Terentiæ suæ
S. D.

IV. 123. *Si quid haberem*) Agit item de valetudine Tulliæ.

C. IULIO CÆSARE DICTATORE II.
Anno ab urbe condita DCCVI.

Hoc anno Cæsar in Ægypto alteram dictaturam iniit, sine consulibus. magistro equitum M. Antonio, Auctore Dione.

Tullius Terentiæ suæ
S. D.

IV. 122. *Si vales, bene est: ego valeo. Etsi ejusmodi tempora*) Data est prid. Non. Ian. Videtur scripta posteaquam reliquit Pompeium: ex his verbis: *Quamquam alia sunt quæ magis curemus magisque doleamus: quæ me ita conficiunt, ut ii voluerunt, qui me de mea sententia detruserunt.* Quod videtur de iis dictum, qui illum invitum coegerunt partes Pompeianas relinquere.

M. Cicero Terentiæ suæ
S. P. D.

IV. 117. *Si vales, bene est: ego valeo. Tullia nostra*) Data est XVII. K. Quint. Cogitabat Ciceronem filium obviam Cæsari mittere: quem decessisse ex Ægypto fama erat, ut ait ad Att. Tulliam ad se venisse prid. Id. Iun. ait: itemque ad Att.

Tullius Terentiæ suæ
S. D.

IV. 122. *Si vales, bene est: ego valeo. Constitueramus*) Data est XII. K. Quint. Ait se mutasse consilium de mittendo Cicerone Cæsari obviam: secum adhuc habere Tulliam.

Tullius Terentiæ suæ
S. P. D.

IV. 117. *Quod fieri placeret*) Data VII. Id. Quint.

M. Cicero Terentiæ suæ
S. P. D.

IV. 119. *Quod scripsi ad te*) Data VI. Id. Quint.

Tullius Terentiæ suæ
S. D.

IV. 129. *Si vales, bene est: ego valeo. Nos neque*) Data IV. Id. Sext. Se nihil habere certi de Cæsaris adventu ait.

Tullius Terentiæ suæ
S. D.

IV. 128. *Si vales, bene est: ego valeo. Redditæ mihi*) Data prid. Id. Sext. Redditas sibi jam tandem a Cæsare litteras satis liberales ait. Intelligit autem illas, de quibus ait in oratione pro Q. Ligario, hoc modo: *Qui ad me ex Ægypto litteras misit, ut essem idem qui fuissem.* Incertum se esse ait, an Cæsari venienti obviam procedat, an ibi, ubi est, eum exspectet; id est, Brundusii.

Tullius Terentiæ suæ
S. D.

IV. 127. *Si vales, bene est: ego valeo. Nos quotidie*) Data K. Sept. Se ex litteris Terentiæ capturum consilium ait quid sit agendum: id est, an Cæsari obviam eundum, an eum Brundusii exspectandum, an propius Romam accedendum.

Tullius Terentiæ suæ
S. D.

IV. 126. *In Tusculanum*) Iam Cicero ac-

ro acceptis a Cæsare litteris, de quibus supra dictum est, Romam propius accesserat: siquidem scripsit hanc epistolam v. K. Oct. de Venusino: in qua, se venturum in Tusculanum ait Non. aut postridie.

M. Cicero Trebonio S. P. D.

IV. 184. *Et epistolam tuam*) C. Trebonius in Hispaniam missus fuerat a Cæsare post prælium Pharsalicum, ut Longino succederet, auctore Dione, & Cicerone in hac epistola: quæ scripta ad eum videtur in Hispaniam hoc tempore, id est ante bellum Africanum, quod initio sequentis anni geri cœptum est: quia legiones Trebonii cum ab eo ad Scipionem, qui in Africa erat, defecissent, eumque mortuum bello Africano audissent, Scapula & Aponio ducibus lectis, Trebonium ex Hispania exegerunt: Dione auctore: ex quo apparet hanc epistolam scriptam esse ante defectionem legionum paullo post factam. Hic autem C. Trebonius priore anno prætor urbanus fuerat, Servilio consule. Cæsar lib. III. De Bello Civili.

Q. FVFIO CALENO,
P. VATINIO, COSS.

Cæsar, qui sine consulibus alteram Dictaturam hoc anno gessit, Romam tertium s. ex Ægypto & Ponto reversus, sibi in ternos novissimos menses Q. Fufium Calenum, P. Vatinium, consules subrogavit. Dio, Suetonius.

C. IVLIO CÆSARE III.
M. ÆMILIO LEPIDO, COSS.
Anno ab urbe condita DCCVII.

Cæsar cum extremo superiore anno XIV. K. Ian. Lilybæum ab urbe pervenisset, atque a Lilybæo in Africam VI. K. Ian. conscendisset, hujus demum anni initio bellum Africanum aggressus est cum Scipione, Catone, & Iuba rege.

M. Cicero S. D. Cn. Plancio.

I. 255. *Binas a te accepi*) Iam Cicero in urbem reverterat, in gratiam cum Cæsare redierat: quamquam illum in Italiam venientem non viderat, ut ipse scribit ad Cassium, Terentiam uxorem repudiarat, Publiliam alteram duxerat. Respondet hac epistola Plancio Corcyræ exsulanti, qui gratulatus erat Ciceroni, & quod Cæsar ei veniam dedisset, & quod alteram uxorem duxisset. Scripta videtur dum Africanum bellum gerebatur, quia ait: *Vt ea quæ partim jam adsunt, partim impendent, moderate feramus: quod est difficile in hujusmodi bello, cujus exitus ex altera parte cædem ostentat, ex altera servitutem.*

M. Cicero M. Terentio Varroni S. D.

III. 1. *Ex iis litteris*) Varro videtur Roma abfuisse aliquamdiu: cum autem adventus ejus appropinquare diceretur, Cicero scripsit ad eum hanc epistolam, postquam venit in urbem; quia ait, *me scito, posteaquam in urbem venerim*. Item per bellum Africanum: quod intelligitur, cum ait: *Videor sperare debere, si te viderim, & ea quæ premant, & ea quæ impendeant, me facile transiturum*. Cupit cum eo congredi, sive in Tusculano, sive in Cumano, sive Romæ.

M. Cicero S. D. C. Cassio.

IV. 167. *Etsi uterque nostrum*) C. Cassius Brundusii morabatur, ut scribit paullo post. Se reliquisse arma ait, & in gemitu Italiæ, & in urbis miserrimis querelis versari. Properasse, ut Cæsarem in Italia videret, nec potuisse. Scripta est per bellum Africanum; quia ait: *Vtrumque autem positum esse arbitrabar in celeritate victoris: quæ si fuisset, eamdem clementiam experta esset Africa, quam cognovit Asia, quam etiam Achaia*: id est, priore anno,

no, Cæsare e Ponto per Asiam & Græciam decedente, & veniam omnibus dante.

Cicero Domitio S. D.

II. 144. *Non ea res me deterruit*) Consolatur. Domitium Cicero de eversa repub. pollicetúrque ei operam suam, quacumque in re ei prodesse possit. De bello, quod gerebatur, nescio quid intelligere videtur, cum ait: *Hæc quamquam nihilo meliora sunt, nunc etiam atque etiam multo desperatiora*. Videtur item Romæ esse, ex epistola.

M. Cicero S. D. Cn. Plancio.

I. 257. *Accepi perbreves*) Consolatur iterum Plancium de exsilio. Scripta est multo post alteram ad eumdem Plancium, quia ait: *Sed tamen etsi antea scripsi quæ existimavi scribi oportere*.

M. Cicero L. Planco S. P. D.

IV. 48. *Non dubito*) Satis constat hanc epistolam scriptam esse post bellum Alexandrinum a Cæsare superiore anno confectum. Videtur autem Plancus esse cum Cæsare in bello, Africano ne, an Hispaniensi? Africano certe, in quo, auctore Oppio, fuit; cum Romæ per bellum Hispaniense fuerit, ex Philippica 2. ubi ait M. Antonium ex itinere Romam revertisse, ne L. Plancus prædes suos venderet. Commendat ei hereditatem Capitonis apud Cæsarem.

M. Cicero S. D. A. Torquato.

II. 83. *Etsi ea perturbatio*) A. Manlius Torquatus cum pro Pompeio contra Cæsarem stetisset, hoc tempore exsulabat Athenis: eum igitur Cicero consolatur. Scripta est hæc epistola quo tempore bellum Africanum gerebatur, quia ait: *Cumque omnium bellorum incerti exitus sint, ab altera victoria tibi periculum nullum esse perspicio, quod quidem sejunctum sit ab omnium interitu: ab altera te ipsum numquam timuisse certo scio*. Item: *Hoc vero tempus quo exanimati omnes & suspensi sumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quod & in ea urbe es, ubi nata & alta est ratio ac moderatio vitæ*. Item: *Et habes Ser. Sulpicium, quem semper unice dilexisti*: qui Sulpicius tunc Achaiæ præerat, cum bellum in Africa gerebatur. De Cæsare ita ait: *Nec enim is, qui adhuc in te injustior, quam tua dignitas postulabat, fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati*.

Cicero Allieno Procos. S. D.

IV. 98. *Democritus*) Allienus prætor erat in Sicilia, ut apparet ex epistola sequenti, atque dum bellum Africanum gerebatur, ut scribit Oppius de bello Africano, his verbis: *Deinde Allieno prætori, qui Siciliam obtinebat, de omnibus rebus præcipit, & de reliquo exercitu celeriter imponendo*.

Cicero Allieno Procos. S. D.

IV. 99. *Et te scire arbitror*) Eodem tempore scripta videtur, quo superior, quia ait: *C. Avianus in Sicilia est*.

M. Cicero S. D. A. Torquato.

II. 90. *Superioribus litteris*) Ex hæc etiam Africani belli tempore scripta, quia ait: *Quotidie aliquid audimus rerum earum*: item: *Quem exitum acies habitura sit divinare nemo potest*: item: *Nihilo te nunc majore in discrimine esse, quam quemvis aut eorum, qui discesserint, aut eorum qui remanserint; alteri dimicant, alteri victorem timent*. Superiores litteras intelligit eas, quarum initium est, *Etsi ea perturbatio*: quibus se eum consolatum esse ait. Cicero

cero adhuc Romæ est, Torquatus Athenis.

M. Cicero S. D. L. Mescinio.

II. 77. *Grata mihi*) Romæ scripta est belli Africani tempore, quia ait: *Me nulla res alia Romæ tenet, nisi exspectatio rerum Africanarum: videtur enim mihi res in propinquum adducta discrimen.*

Cicero Thoranio S. D.

II. 143. *Etsi cum hæc ad te*) Extremo hoc bello scripta videtur, quia ait: *Appropinquare exitus hujus calamitosissimi belli, aut aliquid actum & confectum, cum hæc scriberem, videbatur:* quamquam de Hispaniensi bello potest etiam intelligi. Consolatur eum de exsilio.

Cicero Thoranio S. D.

II. 140. *Dederam*) Scripta est triduo post superiorem, in qua illum se tum consolatum esse ait: adventum Cæsaris innuit, cum ait: *Non est quod te advenientibus offerre gestias.* Item: *Quod si receperit ille se, ad tempus aderis.*

M. Cicero S. D. A. Torquato.

II. 93. *Novi quod ad te*) Hoc eodem tempore scripta est, quia ait: *Cum hæc scribebam, aliquid jam actum putabam, non quod ego certo scirem, sed quod non difficilis erat conjectura.* Item: *Equidem quod nos Romæ sumus, miserrimum duco.* De Cæsare autem scribit hoc modo: *Ejus enim qui tardior in te levando fuit, non est mihi dubia de tua salute sententia.* Torquatus autem adhuc erat Athenis: quia ait: *Reliquum est quod te angat, quod absis tamdiu a tuis:* item: *Servium discessisse Athenis moleste tuli.*

Cicero Varroni S. D.

III. 3. *Caninius, idem tuus*) Agit cum Varrone, quemadmodum convenire possint. Rationem affert, cur Romæ sit, non autem absit, ut ille. Extremo Africano bello scripta est: quia ait: *Censeo latendum tantisper ibidem, dum deferveseat ista gratulatio, & simul dum audiamus quemadmodum negotium confectum sit: confectum enim esse existimo.* Cæsar a. d. xi. K. Apr. in acie contra Scipionem constitit: Oppius lib. V.

Cicero Varroni S. D.

III. 98. *Etsi quid scriberem*) Agit de conveniendo illo: videtur autem esse adhuc in urbe, quia ait: *Scribam, quod te velle puto, me ad te cito esse venturum: etsi vide, quæso, satis ne rectum sit, non hoc tanto incendio civitatis in istis locis esse.*

Cicero Varroni S. D.

III. 10. *Περὶ δυνατῶν*) De conveniendo illo item agit, quia ait: *Tu si minus ad nos; nos accurremus ad te.*

Cicero Varroni S. D.

III. 11. *Mihi vero ad Non.*) De conveniendo etiam agit, quia ait: *Mihi si spatium fuerit in Tusculano ante Non. veniendi, istic te videbo: sin minus, persequar in Cumanum.*

Cicero Varroni.

III. 13. *Caninius noster*) Scripta est quo tempore Cæsar, confecto bello Africano, Romam redibat; quia ait, *nec qua venturus sit scivi.* Hirtium familiarem Cæsaris secum Romæ esse significat.

Cicero Varroni S. D.

III. 18. *Cenabam apud Seium*) Agit item de adventu Cæsaris: quia ait: *Quando, qua, quo, nihil adhuc scimus:* item: *Adventat Dolabella: eum puto magistrum fore.* Fuit autem in Africa Dola-

Dolabella cum Cæsare, auctore Plutarcho; Cicerone in secunda Philippica. Præcessit autem Cæsarem. Itaque ad Att. ait: *Ego misi Tironem Dolabellæ obviam*. Quod autem ait, *nonnulli dubitant an per Sardiniam veniat*, idem est apud Hirtium, qui ait Cæsarem Romam per Sardiniam venisse. Item: *Non desino apud istos qui nunc dominantur cœnitare*. Agit de conveniendo eo.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

III. 41. *Delectaverunt*) Nondum Cæsar rediisse Romam videtur: quod intelligitur ex his verbis: *Hæc ad illum cum reliquis actis perferuntur; ita enim ipse mandavit*. Item in urbe ipsum esse apparet, quod ait: *Hirtium & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros; puto enim te audisse, illos apud me declamitare, me apud illos cœnitare*.

M. Cicero Volumnio S. D.

II. 297. *Quod declamationibus*) Eodem tempore scripta est, cum adhuc esset in urbe; meminit enim declamationum, meminit item Hirtii, Dolabellæ, Cassii, discipulorum. Inquit præterea: *Quamquam venies, ut ipse intelligo, in maximum quasi concursum occupationum, quas, si ut volumus, exceperimus, ego vero multam salutem & foro dicam & curiæ*.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

III. 52. *Cum essem otiosus*) Cicero jam Roma exierat; quod se facturum indicaverat superioribus epistolis; erat autem in Tusculano apud Hirtium, quia ait: *Cum essem in Tusculano*; item: *ego me hic Hirtiano iure delecto*, cœnas significans Hirtianas. Scripta est quo tempore Cæsar redibat ex Africa: quia ait se misisse discipulos obviam Cæsari venienti. Diu autem in exspectatione fuit adventus Cæsaris: nam qui Id. Iun. Vticæ conscendit, nonnisi VII. Kal. Sext. Romam pervenit. Oppius lib. V.

M. Cicero S. D. A. Torquato.

II. 88. *Peto a te*) Eodem tempore scripta est, quo superior, quod & ab urbe absit, & de recreata valetudine, ut in superiore, agat; sic enim supra: *Ipse melior fio, primum valetudine, quam intermissis exercitationibus amiseram*. Hic autem: *Peto a te ne me putes, oblivione tui rarius ad te scribere quam solebam, sed aut gravitate valetudinis (qua tamen jam paullulum videor levari) aut quod absim ab urbe, ut qui ad te proficiscantur, scire non possim*. Videtur propius accessisse Torquatus: quia ait: *Fac sciam quid agas, & ubi futurus sis: ut quo veniam scire possim*. Et videtur ei Cæsar ignovisse: quia ait: *Nec eos a quibus receperis, vereri debes, nec eos quos adjuvisti*.

M Cicero Papirio Pæto S. D.

III. 55. *Tamen a malitia*) Iam Cæsar quartum Romam reverterat, id est ex Africa. Narrat quemadmodum Balbus, qui cum Cæsare inde venerat, recta a porta domum suam venerit; videturque Cicero in urbem rediisse, credo propter Cæsaris adventum, cum ex verbis his, tum ex iis quæ sequuntur: *Sed si me expediero, ut in ista loca venire possim, non committam, ut te sero a me certiorem factum putes*.

M. Cicero M. Mario S. D.

II. 159. *Persæpe*) Reddit rationem cur ante ad Pompeium venerit, postea eum reliquerit. Scripta videtur confecto bello Africano: quia ait: *Discessi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deveniendum in victoris manus*;

manus, *aut ad Iubam confugiendum*, *aut capiendus tamquam exfilio locus*, *aut consciscenda mors voluntaria*. Innuit autem Catonem, qui hoc bello sibi mortem consciverat. Videtur eodem tempore in urbe scripta, quo superior, quia ait: *Ego si quae volo expediero*, *brevi tempore te*, *ut spero*, *videbo*.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

III. 50. *Non tu homo*) Respondet quid de agris futurum speret, quos divisurum militibus suis Cæsarem fama erat. Itaque ait: *Vejentem quidem agrum & Capenatem metiuntur*, *hic non longe abest a Tusculano*: *nihil tamen timeo*. In urbe autem esse videtur cum Cæsare, quia ait: *Hoc tamen scito*, *non modo me*, *qui consiliis non intersum*, *sed ne ipsum quidem principem scire quid futurum sit*. Apparet praeterea hoc anno scriptam esse; quia ait: *De lucro prope quadriennium vivimus*; siquidem hic erat quartus belli civilis annus.

M. Cicero S. D. Papirio Pæto.

III. 56. *Dupliciter*) Romæ se esse significat, cum ait: *Mane salutamus domi & bonos viros multos*, *sed tristes*, *& hos latos victores*. Hirtio cœnam dedisse sine pavone ait, item se non potuisse venire ad Papirium, ut constituerat: venturum tamen, & cum eo cœnaturum.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

III. 71. *Heri veni in Cumanum*) Agit de conveniendo Papirio, & cœnando cum eo, ut supra. Se vero venisse in Cumanum nunciat.

M. Cicero M. Mario S. D.

II. 163. *A d. VIIII. K.*) In Cumanum se venisse ait, quod etiam scripsit in superiore epistolâ ad Papirium. Monet Marium ut se biduo aut triduo exspectet, quia in epistola ad eumdem, cujus initium est: *Persæpe*, dixerat, *ego*, *si quae volo expediero*, *brevi tempore te*, *ut spero*, *videbo*. Hoc eodem tempore fingit se cum Varrone in Cumano sermonem illum habuisse, quem scripsit lib. IV. Academicorum ad Varronem.

M. T. C. Ser. Sulpicio S. D.

I. 208. *Vehementer*) Ser. Sulpicius Achaiam proconsule regebat præfectus a Cæsare, antequam in Africam iret: quemadmodum scribit ad Cæcinam: *Brutum Galliæ præfecit*, *Sulpicium Græciæ*; & ad Torquatum exulantem Athenis, *& habes Ser. Sulpicium*, *quem semper unice dilexisti*. Item, *Servium discessisse Athenis moleste tuli*. Consolatur eum de communibus miseriis. Scripta videtur hoc tempore cum Cicero Romæ cum Cæsare esset: quia ait: *Cæsar ipse ita de te judicat*, *& omnes cives sic existimant*, *quasi lumen aliquod*, *extinctis ceteris*, *elucere sanctitatem*, *& prudentiam*, *& dignitatem tuam*. Illa autem indicant Servium abesse, quæ sequuntur: *Quod autem a tuis abes*, *id eo levius ferendum est*, *quod eodem tempore a multis ac magnis molestiis abes*.

M. Cicero P. Servilio Isaurico Procos. Collegæ S. D.

IV. 87. *Grata mihi vehementer*) P. Servilius Isauricus, qui biennio ante consul fuit, Asiam proconsule regebat. Hoc tempore hæc epistola scripta videtur: quia Ciceronem cum Cæsare Romæ fuisse apparet, qui numquam cum eodem per bellum civile antea fuerat: ex his verbis: *Ego ad te de reip. summa quid sentiam non sæpe scribam*, *propter periculum ejusmodi litterarum*, *quid agatur autem scribam sæpius*. *Sperare tamen videor*, *Cæsari collegæ nostro fore curæ*, *& esse*, *ut habeamus aliquam remp. cujus consilii* magni

magni referrebat te interesse : sed si tibi utilis est, id est gloriosius, Asiae praeesse, & istam partem reip. male affectam tueri, &c.

M. Cicero P. Nigidio Figulo S. D.

I. 249. *Quaerenti*) Idem dico de hac epistola ac de superioribus proximis: quod ex his verbis intelligitur : *Nec mihi quidquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Caesar detulerit*. Item : *Obtinens ipsius Caesaris summam erga nos humanitatem*. Item, *ego, quod intelligere, & sentire, quia sum Romae, & quia curo attendoque, possum, id tibi affirmo, te in istis molestiis, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum*. Item scripta videtur antequam Marcellus restitueretur : quia ait : *Ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo*. Neque enim nisi post Marcelli restitutionem Cicero in rep. loqui coepit, ex oratione pro Marcello. Consolatur Nigidium de exsilio.

T. Cicero Trebiano S. D.

II. 119. *Antea misissem*) Exsulabat pariter Trebatius, atque Torquatus, & Nigidius. Hunc igitur consolatur, eique operam suam pollicetur, ut illis. Quoniam autem easdem sententias ponit in his duabus epistolis ad Trebatium, quas usurpavit in iis fere, quae scriptae sunt ad Torquatum & Nigidium, propterea eo adducti sumus, ut putaverimus eas eodem tempore scriptas esse. Sententiae autem potissimum sunt hae : *Et ipse qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad aequitatem & ad rerum naturam videtur, &c.* Item : *Neque ipse Caesar (ut multis rebus intelligere potui) est alienus a nobis : & omnes fere familiarissimi ejus casu devincti magnis meis veteribus officiis, me diligenter observant & colunt. Itaque si quis mihi erit aditus, de tuis fortunis, id est de tua incolumitate, agam per me ipse, & moliar* ; itemque alia ejusmodi. Praecedit autem haec inferiorem : quia in hac significat, se numquam antea ad illum scripsisse : cum ait, *antea misissem ad te literas*. Hic autem non est Trebatius ille, ad quem Cicero scripsit lib. VII. quoniam ille Caesari amicus fuit, hic inimicus.

M. T. Cicero S. D. M. Marcello.

I. 229. *Etsi eo te adhuc consilio*) M. Marcellus, quia in consulatu suo Caesari inimicissimus fuerat, & partes Pompeianas secutus erat, nec Caesari victori supplex ire voluerat, Mitylenis morabatur : hortatur eum Cicero ut Romam veniat, & se Caesari submittat ; neque enim adhuc ei Caesar ignoverat : ex his verbis : *Sic enim intellexi, nihil aliud esse quod dubitationem afferret ei, penes quem est potestas, nisi quod vereretur ne tu illud beneficium omnino non putares*.

M. Cicero Q. Ligario S. D.

II. 127. *Etsi tali tuo tempore*) Docet Ligarium quid de salute ejus a Caesare petenda speret ; nam & ipse, quod contra Caesarem stetisset in Africa, exsulabat ; se cum Caesare Romae esse satis aperte in epistola ostendit.

M. Cicero Trebatio S. D.

II. 119. *Ego quanti te faciam*) De hac epistola supra dictum est.

M. Cicero S. D. M. Marcello.

I. 233. *Neque monere*) Iterum hortatur Marcellum ut se Caesari submittat, sui ipsius exemplo : cum ait: *Ut quod ego facio, tu quoque in animum inducas*. Item : *Is etiam qui omnia tenet, favet ingeniis, nobilitatem vero, & dignitatem hominum, quantum ei res & ipsius causa concedit, amplectitur* ; quae verba ostendunt nondum Caesarem ignovisse Marcello.

M. Ci-

M. Cicero Gallo S. D.

II. 222. *Miror*) Scripta videtur dominante Cæsare : quia ait : *Et ais fore ut te Cæsar restituat* ; quia vero subjungit , *negas me audere quod sentiam dicere* , hoc anno scripta videtur , antequam loqui in rep. cœpisset. Cujus rei initium fecit cum pro Marcello in senatu dixit : ex oratione ipsa .

M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

I. 212. *Accipio excusationem*) Adhuc Ser. Sulpicius Achaiæ præerat ; nunciat ei Cicero ut Cæsar in Senatu dixerit , se M. Marcello redeundi potestatem facere : atque ut ipse Cæsari propterea pluribus verbis gratias egerit , cum silere in perpetuum statuisset .

M. Cicero S. D. M. Marcello.

I. 236. *Etsi perpaucis*) Hortatur Marcellum ut domum redeat . Scripta est postquam Cæsar Marcello ignovit: quia ait ; *Denique si fuit magni animi non esse supplicem victori , vide ne sit superbi , aspernari ejusdem liberalitatem* . Ostendit præterea , se paucis ante diebus ad eum litteras dedisse , quibus doceret quid ei faciendum esset . Fuerunt autem illæ , quibus nunciavit Cæsarem in senatu pepercisse : quæ non exstant .

M. Cicero Ampio Balbo S. D.

II. 122. *Gratulor tibi mi Balbe*) Gratulatur Balbo quod a Cæsare restitutus sit . Erat in urbe Cicero cum Cæsare : quia ait: *Omnia promissa , confirmata , certa & rata sunt , quæ ad reditum & salutem tuam pertinent : vidi , cognovi , interfui* .

M. Cicero Trebatio S. D.

II. 121. *Dolabellam*) Gratulatur Trebatio quod a Cæsare per Dolabellam restitutus sit .

M Cicero A. Cæcinæ S. D.

II. 100. *Vereor*) Cæcina scripserat librum contra Cæsarem , & ea de re exsulabat ; nunciat se brevi gratulaturum esse quod ei Cæsar ignoverit , polliceturque ea in re operam suam . Scripta est posteaquam Cæsar Marcello pepercit : quia ait : *Marcellum , cui maxime succensebat , cum maxima illius dignitate restituit* . Ostendit præterea se Romæ cum Cæsare esse, cum ait : *Me amicissime quotidie magis Cæsar amplectitur* .

M. Marcellus M. Ciceroni S.

I. 242. *Plurimum*) Respondet Marcellus litteris Ciceronis , quæ interciderunt : quibus Cicero gratulatus erat quod ei Cæsar ignovisset , & suaserat ei ut Romam rediret ; quod ex his verbis colligitur : *Res quemadmodum acta sit , vestræ litteræ declarant* . Item, *gratulatio tua* , &c.

M. Cicero Curio S. D.

II. 224. *Memini*) Curius hoc tempore morabatur Patris , urbe Achaiæ : quemadmodum ex epistola , cujus initium est , *M. Curius* , intelligi potest : in qua M. Curium Ser. Sulpicio Achaiæ hoc tempore procos. commendat Laudat eum quod absit ab urbe, eversa rep. De Cæsare autem , & de se , qui Romæ una esse videntur , ita ait : *Nec vero nunc culpa in eo est , in cujus potestate omnia sunt* . Item : *Cum salutationi nos dedimus amicorum (quæ fit hoc etiam frequentius quam solebat , quod quasi avem albam videntur bene sentientem civem videre) abdo me in bibliothecam* .

Cice-

Cicero Papirio Pæto S. D.

III. 37. *Duabus*) Scripta eſt antequam Cæſar in Hiſpaniam proficiſceretur (profectus eſt autem extremo hoc anno) item, cum idem præfectus eſſet moribus (præfectus eſt autem poſtquam ex Africa rediit, auctore Dione .) Hæc autem ex his verbis intelliguntur: *Quamdiu hic erit noſter hic præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ : cum vero aberit, ad fungos me tuos conferam* .

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

III. 76. *Accubueram*) Eodem tempore ſcripta videtur, quo ſuperior : quia ait ſe ad eum venturum, & cum eo cœnaturum, ut in ſuperiore : cum inquit: *Nihil eſt quod adventum noſtrum extimeſcas ; non multi cibi hoſpitem accipies, ſed multi joci* . Item in utraque legis ſumtuariæ meminit ; ſupra enim: *Domum ſi habebo, in denos dies ſingulos legis ſumtuariæ conferam* ; hic vero : *Epulamur una non modo contra legem, ſi ulla nunc lex eſt, ſed etiam intra legem, & quidem aliquanto* .

M. Cicero Q. Ligario S. D.

II. 129. *Me ſcito*) Nunciat ſe pro eo ſupplicaſſe domi Cæſari. Extremo autem anno ſcripta eſt, quia ait : *Ego idem tamen cum ad* II. K. *intercalares priores rogatu fratrum tuorum veniſſem mane ad Cæſarem* . Intelligit autem II. K. intercalares priores, ultimum diem prioris menſis, ex duobus illis, quos interpoſuit Cæſar, ſe & Lepido coſs. inter Novembrem & Decembrem menſes, ut annum confuſum ordinaret : auctore Macrobio libro primo Saturnalium.

M. Cicero A. Cæcinæ S. D.

II. 114. *Cum eſſet*) Quia K. Ian. præfinitæ erant a Cæſare Cæcinæ, quibus ille eſſe in Sicilia poſſet, idque ex Largo Cæcinæ amico Cicero audierat, propterea, profecto in Hiſpaniam Cæſare, a Balbo & Oppio, qui Romæ remanſerant, impetrarat, ut ultra K. Ian. eſſe poſſet ; qua de re Cæcinam hac epiſtola certiorem facit. Monet præterea, ne ad reliquias Aſiaticæ negotiationis proficiſcatur : datque ei litteras commendatitias, quas Furfano proconſuli in Siciliam profecturo reddat : quæ ſequuntur.

M. Cicero T. Furfano S. D.

II. 116. *Cum A. Cæcina*) Hæ litteræ cum ſuperioribus conjunguntur.

A. Cæcina M. Ciceroni S. D.

II. 108. *Quod tibi non tam cito*) Excuſat filium quod librum non tam cito Ciceroni reddiderit. De Aſiatica negotiatione ita reſpondet : *De Aſiatico itinere, quamquam ſumma neceſſitas premebat, ut imperaſti, feci* . Oratoris Ciceronis meminit, quem ſcripſit ad M. Brutum hoc anno in Galliam, abſoluto Catone : ex Oratore.

M. Cicero A. Cæcinæ S. D.

II. 98. *Quotieſcumque*) Reſpondet ſe legiſſe librum, eumque, ut ille ſuperiore epiſtola præceperat, diligentiſſime cuſtodire. Conſolatus de exſilio.

Huic loco ſubjungere placuit epiſtolas quaſdam commendatitias ad Ser. Sulpicium, M. Brutum, P. Servilium, L. Acilium, qui in provinciis erant hoc anno. Quod fecimus hoc conſilio, ut, cum difficilis earum diſpoſitio eſſet (quia nihil præter commendationem continerent) reliquarum ſuperiorum hiſtoriam impedirent.

Quæ ad Ser. Sulpicium in Achaiam ſcriptæ ſunt.

M. Ci-

M. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

IV. 32. *M. Curius*) Ser. Sulpicium hoc anno Achaiæ præfuisse, satis ante demonstravimus: huic commendat M. Curium, qui Patris negotiabatur.

M. Cicero Ser. Sulpicio S.

IV. 34. *Non concedam*) Commendat res Attici Epiroticas.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

IV. 35. *Cum Lysone Patrensi*) Commendat Lysonem Patrensem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

IV. 36. *Asclapone Patrensi*) Commendat Asclaponem Patrensem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

IV. 37. *M. Æmilius*) Commendat domum Aviani, & rem familiarem, quæ est Sicyone.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

IV. 38. *T. Manlium*) Commendat Manlium, qui negotiatur Thespiis.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

IV. 39. *L. Cossinio*) Commendat libertum L. Cossinii.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

IV. 40. *Cum antea*) Rursus commendat Lysonem Patrensem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

IV. 41. *Hagesaretus*) Commendat Hagesaretum Larissæum.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

IV. 42. *L. Mescinius*) Commendat negotia L. Mescinii, quæ erant in Achaia. Scriptam autem esse hoc anno hanc epistolam, quo consul fuit M. Lepidus, apparet ex eo quod ait: *Quod quo minore dubitatione facere possis, litteras ad te a M. Lepido consule, &c.*

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

IV. 44. *Licet eodem exemplo*) Commendat rursus rem Aviani, & meminit Ser. Sulpicii filii.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

IV. 45. *Etsi libenter*) Commendat rursus rem Mescinii.

Quæ ad M. Brutum in Galliam scripta sunt.

M. Cicero Bruto S. P. D.

IV. 21. *Cum ad te tuus Quæstor*) M. Brutus præfectus fuerat a Cæsare Galliæ citeriori, eo tempore quo in Africam profectus est, teste App. & Plutarcho in Bruto. Itaque scribit Cic. ad Cæcinam lib. VI. *Brutum Galliæ præfecit, Sulpicium Græciæ*. Apparet etiam ex Oratore Ciceronis M. Brutum præfuisse Galliæ, post bel-

lum Africanum; quia in eo ait, se Catone absoluto aggressum esse scribere Oratorem ad M. Brutum, qui tum erat in Gallia. Addit præterea: *Ergo ex omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio, in qua frueris ipse te, cum in Italiæ luce cognosceris*. Successit autem Bruto hoc anno III. K. Ian. Pansa. Fam. Huic Cicero commendat Varronem quæstorem, tum eum Galliæ præerat.

M. Cicero Bruto S. P. D.

IV. 23. *Quia semper*) Commendat Arpinates.

M. Cicero Bruto S. D.

IV. 25. *Alia epistola*) Commendat Q. Suffidium Arpinatum legatum.

M. Cicero Bruto S. D.

IV. 26. *L. Castronius*) Commendat L. Castronium.

M. Cicero Bruto S. D.

IV. 26. *L. Titio*). Commendat Strabonem.

Quæ ad P. Servilium Isauricum scripta sunt.

M. Cicero P. Servilio S. D.

IV. 84. *A. Cæcinam*) P. Servilium Isauricum in Asia proconsule fuisse ante demonstratum est; ei commendat A. Cæcinam.

M. Cicero P. Servilio S. D.

IV. 86. *Ex provincia*) Commendat Andronem Laodicensem.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S.

IV. 88. *C. Curtius*) Commendat rem C. Curtii, quam habet cum quodam Colophonio.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S.

IV. 90. *Quia non est obscura*) Commendat T. Ampium Menandrum.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S. D.

IV. 90. *Multos tibi commendem*) Commendat T. Agusium.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S. D.

IV. 91. *Cerelliæ*) Commendat possessiones Asiaticas Cerelliæ.

Quæ ad Acilium proconsulem Siciliæ scripta sunt.

M. Cicero Acilio Procos. S.

IV. 53. *L. Manlius*) Acilius hic proconsul erat in Sicilia, quemadmodum ex epistolis sequentibus omnibus apparet: erat autem quo tempore Cæsar dominabatur: quia in una harum epistola, cujus initium est, *cum Demetrio Mega*, ait: *Ei Dolabella rogatu meo civitatem a Cæsare impetravit, qua in re ego interfui*. Ex his verbis intelligi potest, & Cæsarem obtinere hoc tempore remp. & Ciceronem cum illo fuisse in gratia; quod fieri non potuit, nisi postquam bellum Africanum confectum est, & Cæsar Romam rediit; nam nisi post bellum Africanum Cæsarem Cicero non vidit. Huic Acilio forte successit Furfanus, de quo in epistola ad Cæcinam. Acilius autem forte is est, qui sequenti anno Ser. Sulpicio in Græciam successit. Commendat ei L. Manlium.

Cice-

Cicero Acilio Procos. S. D.

IV. 55. *C. Flavio*) Commendat Flavium.

Cicero Acilio Procos. S.

IV. 56. *In Halesina*) Commendat M. & C. Clodios ex Halesina civitate, quæ est in Sicilia.

Cicero Acilio Procos. S.

IV. 56. *Cn. Otacilio*) Commendat negotia Nasonis, quæ habet in Sicilia.

Cicero Acilio Procos. S.

IV. 57. *Avitum*) Commendat Lysonem Lilybætanum. Lilybæum autem in Sicilia est.

Cicero Acilio Procos. S.

IV. 57. *C. Avianus*) Commendat negotia Aviani.

Cicero Acilio Procos. S.

IV. 58. *Cum Demetrio Mega*) Commendat Demetrii Siculi negotia.

Cicero Acilio Procos. S.

IV. 59. *Hippiam*) Commendat Hippiam Calatinum. Calate autem in Sicilia est.

Cicero Acilio Procos. D.

IV. 59. *L. Brutius*) Commendat L. Brutium, amicum suum jam inde a quæstura sua Siciliensi.

Cicero Acilio Procos. S.

IV. 60. *Cum familia Titurnia*) Commendat M. Titurnium.

CÆSARE DICTATORE III. DES. IIII. ET COS. IIII. SINE COLLEGA.
Anno ab urbe condita DCCVIII.

M. Cicero Leptæ S. D.

II. 134. *Simul accepi*) Cæsar hoc anno cum Pompeii liberis pugnavit in Hispania, cum eo extremo superiore anno Romæ xxvii. diebus pervenisset (Appiano auctore) & in castris tertiam Dictaturam iniisset, auctore Dione: Hoc igitur tempore scripsisse videtur hanc epistolam Cicero, quia ait: *De Hispaniis novi nihil: magnum tamen exercitum Pompeium habere constat; nam Cæsar ipse ad nos misit exemplum Paciæci litterarum, in quo erat, illi XI. esse legiones.* Præterea meminit Oratoris sui, ita: *Oratorem meum tantopere a te probari vehementer gaudeo.* Se Romæ esse significat, cum ait: *Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus: sed cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum a Dolabellæ procuratoribus exigam primam pensionem.*

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

IV. 177. *Longior epistola*) Scripta est initio belli Hispaniensis, quia ait: *De Hispania nihil adhuc certi, nihil omnino novi.*

M. Cicero S. D. C. Cassio.

IV. 174. *Præposteros*) Scripta est eodem tempore quo superior, quia ait: *De Hispania novi nihil: sed exspectatio valde magna, rumores tristiores. Pansa noster paludatus a. d. III. K. Jan. profectus est:* id est, in Galliam Cisalpinam, ut M. Bruto succederet: ex epistola ad Att. Nunciat P. Sullam mortuum. Hanc secundam esse ad Cassium epistolam indicat, cum ait, *alteras habebis has breves.*

Cicero P. Dolabellæ S. D.

III. 25. *Non sum ausus*) Dolabella erat in Hispania cum Cæsare, ex Philip. secunda. Scripta hæc est eodem tempore quo superior, quia ait: *Te scire volo, vehementer populum sollicitum fuisse de P. Sullæ morte:* cujus meminit in superiore.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

IV. 170. *Puto te jam suppudere*) Hanc tertiam epistolam vocat: seque eam scripsisse ait antequam ab illo ne schedulam quidem acceperit: ex quo intelligi potest, non multo post secundam esse scriptam. De spectris Catianis agit.

C. Cassius S. D. M. Ciceroni.

IV. 179. *Non mehercule*) Respondet superioribus epistolis, quibus Cicero nunciarat de Pansa, & de spectris Catianis egerat. Eodem tempore scripta est, quia ait: *In Hispaniis quid geratur rescribe: si Caesar vincit, celeriter me exspecta.*

Cicero Dolabellæ S. D.

III. 31. *C. Suberinus*) Commendat Dolabellæ (qui in Hispania erat cum Cæsare) C. Suberinum, quem repentino bello oppressum esse ait in Hispania: in qua post Afranium superatum, nemo bellum fore putarat.

Cicero C. Cæsari Imp. S.

IV. 27. *Precilium*) Cæsar in bello erat, ut puto, Hispaniensi, cum Præcilium hac epistola ei Cicero commendavit. Quoniam autem in titulo est *Imp.* videtur scripta post XI. K. Mart. nam eo die Cæsar Imp. appellatus est, Ategua in Hispania capta, auctore Oppio.

M. Cicero C. Cæsari Imp. S.

IV. 30. *P. Crassum*) Commendat Cæsari P. Crassum: eumdem esse in Hispania, hinc intelligitur, quod ait: *In Hispaniam ad te maxime ille quidem suo consilio, sed etiam me auctore, est profectus.*

Cicero Dolabellæ suo S. D.

III. 28. *Vel meo*) Cicero hoc anno, mense (ut puto) Ianuario, filiam amisit, quæ ex partu periit, ut ait Pedianus in Pisonianam. Itaque Cæsar scripsit litteras consolatorias ex Hispania ad Ciceronem, prid. K. Maji datas, ut ait ad Att. Cum autem ejus rei ignarus Dolabella desideraret litteras Ciceronis, ipse ei hac epistola ita respondet: *Vel meo ipsius interitu, mallem litteras meas desiderares, quam eo casu quo sum gravissime afflictus: quem ferrem certe moderatius, si te haberem.* Non scribit autem aperte de obitu Tulliæ, quia famam jam accepisse eam putat, quemadmodum Cæsar acceperat. Quod autem addit: *sed quoniam brevi tempore, ut opinio nostra fert, te sum visurus*: item, *celeriter una futuros nos arbitror*, id ait, quia finem belli Hispaniensis adesse intelligebat. Sic enim scribit ad Att. *Hirtius litteras dedit Narbone XIII. K. Maji; in quibus scriptum erat Sex. Pompeium Corduba exisse, & fugisse in Hispaniam citeriorem, Cneum fugisse nescio quo: nihil praeterea novi.* Hirtius autem lib. V. tradit Cn. Pompeium interfectum esse a Cæsare prid. Id. Apr. at Dio scribit victoriam Cæsaris Hispaniensem Romæ nunciatam esse pridie Parilia, id est X. K. Maji.

Ser. Sulpicius M. Ciceroni S.

I. 217. *Postesquam*) Ser. Sulpicius ex Græcia consolatur Ciceronem de obitu filiæ. Certiorem se esse facturum eum de provincia ait, ubi tranquilliore eum esse animo cognoverit.

M. Cicero S. D. L. Luceio Q. F.

II. 42. *Quamquam*) Luceius (ut ceteri) consolatus erat litteris Ciceronem de obitu filiæ; quæ litteræ interciderunt: his respondet Cicero, cum ait: *Ergo & domesticos feremus, ut censes, & publica paulla etiam fortius fortasse*

tasse, quam tu ipse, qui præcipis. Item: *ut maneres, quantum potero, me ab omnibus molestiis & angoribus abducam*. Sic ad Att. de morte filiæ: *Vellem tam domestica ferre possem, quam ista contemnere*.

Tullius Tironi S.

IV. 223. *Spero ex tuis litteris*.) Tiro hoc tempore iterum ægrotaverat; quantum autem intelligi potest ex XII. epistolarum ad Att. mense Majo convaluerat; inquit enim: *Ego hic vel sine Sica, (Tironi enim melius est) facillime possem esse, ut in malis*. In hac autem inquit *Spero ex tuis litteris tibi melius esse*. Item: *Ego hic cesso; quia ipse nihil scribo*. In agris Cicero erat, Tiro Romæ.

Tullius Tironi S.

IV. 211. *Video*) Nondum firmus erat Tiro, quia ait: *Valetudo tua me valde sollicitat, sed inservi, & fac omnia: tum te meeum esse, tum mihi cumulatissime satisfacere putato*. Idem autem scripsit in superiore, cum inquit: *meeum es, si te curas*. Docet eum, non recte dici, *Fideliter inservire valetudini*.

Tullius Tironi S.

IV. 217. *Sollicitat*) Sperat Tironem cito firmum fore, si diligentiam adhibuerit. Item ait: *Tu potes K. spectare gladiatores, postridie redire: & ita censeo*.

Tullius Tironi S.

IV. 217. *Exspecto*) Se ait exspectare litteras Tironis, Tironem magis. In hac, ut in superiore, meminit Demetrii.

Tullius Tironi S.

IV. 200. *Ego vero cupio*) Iam firmior esse videtur Tiro, quia ait: *Ego vero cupio te ad me venire: sed viam timeo: gravissime ægrotasti*. Item: *Iam ad id biduum quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formiano a. d. III. K. esse volo: ibi ut te ut firmum offendam, mi Tiro, effice*. Scripta est post epistolam, cujus initium est, *Video*; quia ait, *docui te, fides ετυμον quod haberet*. Quod autem ait, *Pompeius erat apud me cum hæc scribebam*, videtur legendum *Pomponius*. Data est XIIII. K. ut puto, Iunias.

Tullius Tironi S.

IV., 213. *Quid igitur*) Iam Tiro videtur in Tusculanum venisse, quia ait: *Si vero etiam Tusculanum tibi profuerit, dii boni, quanto illud mihi erit amabilius*. Item: *Fac bellus revertare: non modo te, sed etiam Tusculanum nostrum plus amem*. Item: *Te quando exspectemus, fac ut sciam*.

M. T. Cicero S. D. Ser. Sulpicio.

I. 225. *Ego vero*) Respondet epistolæ, qua Sulpicius se consolatus est de morte filiæ. Iam Sulpicius decedere cogitabat e Græcia, quia ait: *Sperabam tuum adventum (sic enim audiebam) appropinquare*. Quod idem significat etiam Sulpicius in epistola, cujus initium est, *Etsi scio*, prid. K. Iun. Athenis data. In agris esse se ostendit, cum ait: *Itaque & domo absum & foro*.

M. Cicero M. Marcello S.

I. 240. *Etsi nihil novi*) Iam Cicero exspectabat Marcellum, qui se illius consilio usurum esse rescripserat: quod intelligitur ex his verbis, *magisque tuas litteras exspectare incipiebam, vel te potius ipsum*. Veretur autem ne, quanquam Marcellus redire decreverat, tamen tardius decedat; siquidem ait: *Venit mihi in mentem subvereri interdum ne te delectet tarda decessio*. Scripta est autem multo post superiorem illam, *Etsi perpaucis*: quia ambas has litteras ait se dedisse Theophilo liberto ejus ad eum proficiscenti. Oportet enim Theophilum post superiores illas litteras in Græciam allatas Romam rediisse,

se, nunc autem ad Marcellum iterum in Græciam proficisci.

Ser. Sulpicius Ciceroni S.

I. 243. *Etsi scio*) Has litteras dedit Sulpicius prid. K. Iun. Athenis, quibus certiorem facit Ciceronem, M. Marcellum Italiam versus navigaturum, antequam conscenderet, a P. Chilone esse interfectum.

L. Luceius Q. F. S. D. M. T. Ciceroni M. F.

II. 45. *Si vales, bene est: ego valeo, sicut soleo*) Cicero in solitudine erat, mense Iunio, ut est ad Att. Ut autem Brutus consolatus est Ciceronem de morte filiæ, tum cum in solitudine erat, (ut est ad Att.) sic Luceius eodem tempore eumdem iterum consolatus est, ut apparet ex epistola.

M. Cicero L. Luceio Q. F. S. D.

II. 48. *Omnis amor tuus*) Respondet superiori epistolæ, qua se consolatus est Luceius.

P. Vatinius Imp. M. Ciceroni suo S. D.

II. 26. *Si vales, bene est, ego valeo. Si tuam consuetudinem*) P. Vatinius hoc anno cum imperio a Cæsare missus est in Illyricum, hac occasione, (auctore Appiano in Illyrico) cum Q. Cornificius quæstor Cæsaris pro prætore in Illyrico a M. Octavio Pompeii duce, qui se ex fuga Pharsalici prælii magna classe in illum sinum contulerat, premeretur, Gabiniusque mandato Cæsaris in Illyricum cum legionibus novis profectus, ibi mortuus animum Octavio addidisset, tum Vatinius Brundusio cum aliquot navibus adversum Octavium missus est: qui victo demum fugatoque Octavio, & provincia recepta, ac Cornificio reddita, victor cum toto exercitu & classe Brundusium se recepit, ut tradit Oppius lib. IV. Has deinde Illyriorum, qui cum Octavio steterant, injurias cum Cæsarem ulturum esse, confectis omnibus bellis, Illyrii timerent, ad Cæsarem legatos miserunt, qui, se ut in amicitiam fidemque reciperet, peterent. Quibus Cæsar respondit, se, si tributa penderent, obsidesque darent, veniam illis esse daturum. Utrumque autem pollicentibus ipsis, Vatinium cum legionibus & magno equitatu ad eum misit. Hoc autem factum est, quantum ex Appiano & ex his epistolis intelligi potest, hoc anno, victis quidem Hispaniis, verum nondum Cæsare Romam reverso. Qua in provincia, oblata belli gerendi occasione, cum Vatinius bene rem gessisset, atque imperator appellatus fuisset, de rebus gestis ad Senatum misit litteras, petiitque per has etiam litteras a Cicerone ut supplicationem ea de causa sibi decerneret. Epistola data est III. Id. Quint. Naronæ. Ergo ante reditum Cæsaris. Nunciat præterea se audisse, servum ejus fugitivum esse cum Vardæis, de quo nihil Cicero sibi mandarit: se illum inventurum, nisi in Dalmatiam aufugerit: ex quo apparet eum nunc in Illyrico esse.

Cicero Varroni S. D.

III. 21. *Etsi munus*) Mittit ad Varronem quatuor libros Academicos. Apparet hanc epistolam scriptam esse hoc anno circa Id. Quint. ex epist. ad Att.

M. Cicero Sulpicio Imp. S.

IV. 96. *Cum his temporibus*) Plerique existimant in titulo hujus epistolæ scribendum esse VATINIO pro SULPICIO, atque his litteris Ciceronem Vatinii superiori epistolæ respondere, quod se ei lubenter supplicationem decrevisse dicat. Quibus & ipse assentirem, nisi hæc verba subsequerentur: *Præterea a te peto majorem in modum pro nostra amicitia, & pro tuo perpetuo in me studio, ut hac etiam in re elabores. Dionysius servus meus, qui meam biblio-*

bibliothecam multorum nummorum tractavit, cum multos libros sumsisset, nec se impune laturum putaret, aufugit: is est in provincia tua; eum & M. Bollanus, & multi alii Narone viderunt; ego si hominem per te recuperavero, summo me a te beneficio affectum arbitrabor. Neque enim intelligi potest, cur Cicero ad Vatinium ita scripsisset, cum ille in suis litteris ita nunciasset: *Dicitur mihi servus tuus anagnostes fugitivus cum Vardeis esse, &c.* Accedit, quod si ad Vatinium scripsisset, non videtur verisimile ita loquuturum fuisse: *Non existimavi me salvo jure nostrae veteris amicitiae, multorumque inter nos officiorum, facere posse ut honori tuo deessem*, cum quo inimicitiae fuerunt. Itaque vereor ne hic P. Sulpicius alter, proconsul Illyrici sit, pari cum Vatinio imperio a Caesare missus: quandoquidem Vatinius in re gesta contra Octavium collegam habuit etiam Sulpicium. Quod intelligitur ex his verbis Oppii l. V. *Caesar cum cohortibus septem, quae ex veteranis legionibus in classe cum Sulpicio & Vatinio rem gesserant, ex oppido Ruspina egressus, proficiscitur ad portum*. Quod si ita est, ergo ut Vatinius, sic Sulpicius ob rem bene gestam de supplicatione a Cicerone petierat. Vt autem Vatinii litterae exstant, sic Sulpicii exciderunt: ut ad Vatinium responsio desideratur, sic ad Sulpicium habetur: ut Vatinius se sine litteris Ciceronis de servo ejus curaturum scripserat, sic Sulpicius de eodem servo investigando rogatur.

Cicero Leptae S.

II. 137. *Maculam*) Scripta est dum exspectabatur Caesar ex Hispania, quia ait: *Ego me Asturae diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat.* meminit etiam Oppii & Balbi, qui Romae remanserant, Caesare in Hispaniam profecto. Balbum autem aegrum fuisse, & in hac epistola ait, & ad Att. in epistola hoc tempore scripta.

M. Cicero M. Fabio Gallo S. D.

II. 211 *Amoris quidem tui*) Judicium P. Sextii, de quo fit in hac epistola mentio, ostendit eam hoc tempore scriptam esse, quia eadem de re scribit ad Att. mense Sextili, antequam Caesar Romam venerit.

Cicero M. Fabio Gallo S. D.

II. 215. *Quod epistolam*) Apparet scriptam esse adventante Caesare ex Hispania, quia ait: *Magister adest citius quam putaramus.* Magistrum autem dictatorem Caesarem intelligit. Sic in epist. ad Att. scripta mense Sextili ait, *Caesar adest*.

Q. FABIO MAXIMO,
C. TREBONIO COSS.

Hoc anno Caesar postquam ex Hispania rediit, Consules sibi suffecit in reliquum anni Q. Fabium Maximum, & C. Trebonium, auctore Dione.

M. Cicero Q. Cornificio Collegae S.

III. 265. *Grata mihi vehementer*) Jam Caesar quintum & ultimum a bello Romam reverterat, id est, ex Hispaniis: revertit autem Octobri mense, auctore Velleio, lib. II. Q. Cornificium in provincia Syriae finitima esse apparet, quod ait: *Ex Syria tumultuosiora quaedam nobis nunciata sunt; quae quia tibi sunt propiora quam nobis, tua me causa magis movent, quam mea*. Scripta videtur epistola, cum, reverso ex Hispania Caesare, populus R. variis spectaculis operam dabat; quia ait: *Romae summum otium est, sed ita ut malis salubre aliquod & honestum negotium: quod spero fore, quia vides id curae esse Caesari*. Significat autem bellum Parthicum, quod parabat Caesar antequam interficeretur. Meminit etiam Oratoris sui, cum ait: *Me scito, dum tu absis, quasi occasionem quamdam*

& licentiam nactum, scribere audacius, & cetera quidem fortasse, quæ etiam tu concederes: sed proxime scripsi de optimo genere dicendi. Hanc autem epistolam primam esse ex iis, quas ad Cornificium scripsit in provinciam, ex his verbis colligitur: *Grata mihi vehementer est memoria nostri tua, quam significasti litteris, &c.*

M. Cic. Q. Valerio Q. F. Orcæ Legato Propræt. S. D.

IV. 9. *Cum municipibus*) Q. Valerius præpositus erat a Cæsare agris dividendis, credo postquam ex Hispania rediit, quia Cicero in epistola, qua commendat ei C. Curtium, ait ita: *Hoc autem tempore cum Cæsar in senatum legit*. Senatum autem supplevisse Cæsarem, postquam rediit ex Hispania, scribit Dio. Hac epistola commendat municipes Volaterranos, quorum agris dividendis Valerius præfectus erat.

M. Cic. Q. Valerio Q. F. Orcæ Legato Propræt. S. P. D.

IV. 11. *Non moleste fero*) Commendat Valerio C. Curtium, qui possessionem habebat in agro Volaterrano.

M. Cicero C. Cluvio S. P. D.

IV. 15. *Cum in Galliam*) Cluvius item videtur, ut Valerius, præpositus fuisse a Cæsare dividendis agris, quia ait: *Etsi non sum nescius, & quæ temporum ratio, & quæ tua potestas sit, tibique negotium datum esse a C. Cæsare, non judicium*. Commendat ei agrum vectigalem municipii Atellani.

M. Cicero M. Rutilio S. P. D.

IV. 17. *Cum & mihi*) Item M. Rutilius præpositus erat agris dividendis a Cæsare, ut ex ipsa epistola apertissime apparet. Commendat ei prædia Laberii.

Cicero Cornificio Collegæ S. D.

III. 266. *Quod extremum*) Loquitur de tumultu in Syria excitato (ut in superiore ad eumdem) cum ait: *Quod mihi videor ex tuis litteris intelligere, te nihil commissurum esse temere, nec antequam scisses quo ille nescio quis Cæcilius Bassus erumperet, &c.* Hic enim Bassus tumultuatus est in Syria. Dione auctore. Loquitur etiam de ludis Cæsaris, cum ait: *Equidem sic jam obdurui, ut ludis Cæsaris nostri æquissimo animo viderem T. Plancum, &c.* de quibus ludis supra diximus.

M. Cicero P. Vatinio Imp. S. D.

II. 31. *Grata tibi*) Cicero ut Sulpicio supplicationem decreverat, sic etiam Vatinio. Ut autem desiderantur litteræ, quibus Cicero decretam ei a se supplicationem esse nunciaverat, sic etiam Vatinianæ, quibus Ciceroni gratias agebat. Hæc enim epistola rescripta est ad litteras Vatinii, quibus ille gratias egerat, & Pompeiam uxorem ei commendaverat. Quod autem ait, *Dalmatis dii malefaciant, qui tibi molesti sunt: sed tamen, ut scribis, brevi capientur, & illustrabunt res tuas gestas*, ostendit, Vatinium ex Illyrico jam tum, cum eas litteras scripsit, in Dalmatiam profectum esse, quod a Dalmatis lacesseretur: sperarque res Dalmaticas accessionem futuras Illyricæ victoriæ, ob quam ei supplicatio decreta fuerat. Monet de Dionysio.

M. Curius M. Ciceroni suo S. D.

II. 126. *Si vales, bene est; sum enim*) Data est a. d. IIII. K. Novemb. a M. Curio, qui Patris erat. Rogat Ciceronem ut Sulpicii successori se commendet, qui mense Iunio ex Achaia

chaia decessit. Huic epistolæ respondet Cicero initio sequentis anni.

P. Vatinius Imp. M. Cic. suo S. D.

II. 28. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. De Dionysio*) Data est Non. Dec. Naronæ. P. Vatinius, cum in Dalmatiam profectus bellum gerere cœpisset, inde recedere propter frigora coactus fuerat. Petierat tamen a Cæsare ob res Dalmaticas gestas supplicationem; de ea vero adhuc non retulisse Cæsarem moleste fert. Petit a Cicerone ut apud Cæsarem causam suam agat; sic enim ait: *Cæsar adhuc mihi injuriam facit: de meis supplicationibus, & rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert: quasi vero non justissimi triumphi in Dalmatia res gesserim &c.* Quod autem addit: *Ego post supplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus sum*; intelligitur post supplicationes de rebus Illyricis. De Dionysio se nihil adhuc extricare respondet. In Illyricum vero recessisse ostendit, cum ait: *Quod me frigus Dalmaticum, quod illinc ejecit, etiam hic refrigeravit.* Item: *Indigneque oppidum captum, & bellum jam confectum relinquere sum coactus.*

Cicero Dolabellæ S. D.

III. 29. *Gratulor Baiis nostris*) Dolabella ad Baias erat, ac orationem pro Deiotaro a Cicerone requisierat, quam dixit Cicero domi apud Cæsarem ex Hispania reversum: quod ex his verbis orationis intelligitur: *Non dubito quin Deiotarus tuis litteris, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone dedisti, se magis etiam erexerit.* Est enim Tarraco urbs Hispaniæ. Ad eum orationem hanc se mittere ait. Et ipse Cicero rusticari videtur, cum ait: *Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum: quod non putaram.* Cæsarem porro cum Dolabella ad Baias fuisse hoc anno, post tertia Saturnalia, id est, XII. Kal. Ian. intelligitur ex epistola ultima, lib. XIII. ad Att.

C. IVLIO CAESARE V.
M. ANTONIO COSS.
Anno ab urbe condita DCCIX.

Cicero Curio S. D.

II. 229. *Ego vero jam te nec hortor*) Scripta est hæc epistola initio anni hujus, ex his verbis: *In campo certe non fuisti, cum hora secunda comitiis quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita esset, quo mortuo nunciato, sella sublata est. Ille autem, qui comitiis tributis esset auspicatus, centuriata habuit, consulem hora VII. renunciavit, qui usque ad Kal. Ian. esset, quæ erant futuræ mane postridie.* Hic autem fuit C. Caninius Rebilus, qui in locum Q. Maximi suffectus est. Dio, Macrob. Respondet epistolæ Curii superiori.

M. Cicero Aristo Procos. S. D.

IV. 68. *Sumsi hoc mihi*) Petierat Curius a Cicerone, ut se commendaret successori Sulpicii: qui videtur fuisse Acilius. Itaque in superiore ad Curium epistola ita respondet: *Acilio, qui in Græciam profectus est cum legionibus, de te scripsi, eamque epistolam cum hac conjunxi.* Hæc autem epistola videtur esse, quæ ad Aristum scripta est, cui commendat M. Curium; fortasse enim appellatus est Acilius Aristus.

M. Cicero Cornificio S.

III. 268. *Libentissime*) Ex superioribus ad Cornificium epistolis apparet eum fuisse cum imperio non longe a Syria provincia, & bellum Parthicum suspectum fuisse. Ex hac autem constat eum Syriam & bellum Parthicum a Cæsare obtinuisse, quod Cæsar parabat hoc anno antequam interficeretur. Hanc rem ei hac epistola gratulatur.

Cice-

Cicero Curio S. D.

II. 232. *Facile perspexi*) Hæc epistola multo post superiorem ad Curium scripta est, quia ait: *Acilio non fuisse necesse meas dari litteras, facile patior*. Hunc Acilium successorem fuisse Sulpicii intelligi potest, cum addit: *Sulpicii tibi operam intelligo ex tuis litteris non multum opus fuisse*.

M. ANTONIO.
P. DOLABELLA COSS.

Cæsar Cos. V. Id. Mart. interfectus est, cum quinque menses Romæ post reditum ex Hispania fuisset, (auctore Velleio) in cujus locum suffectus est P. Dolabella.

D. Brutus M. Bruto, & C. Cassio S. D.

III. 170. *Quo in statu simus, cognoscite*) M.Brutus & C.Cassius, prætores urbani, post necem Cæsaris armis Antonii Cos. diffidentes Roma aberant. D.Brutus socius ejusdem conjurationis Romæ erat, quod ex his verbis intelligitur: *Heri vesperi apud me Hirtius fuit: qua mente esset Antonius demonstravit, pessima scilicet; nam neque provinciam mihi dare posse ajebat, neque tuto quemquam nostrum in urbe esse*. Quæ verba indicant non multo post necem Cæsaris hanc epistolam esse scriptam. Ad Att. certe scribit, M.Brutum visum esse sub Lanuvio, post prid. Id. Apr.

Tullius Tironi S. D.

IV. 227. *Etsi mane*) Cicero rusticabatur eo tempore, quo Octavius ex Apollonia ad cernendam hereditatem Cæsaris Romam venit. Mandat Tironi, (quem a se, ut ait, Romam dimiserat) ut sibi pecuniam curet: & ut omnia certa sibi rescribat, quid Antonius, quid Octavius, quæ hominum opinio, quid futurum putet. Addit præterea, vix teneri quin accurrat. Item Aquini fuisse Hirtium, qui tum Romæ erat cum superior epistola scripta est. Scripta autem hæc videtur post XIV. Kal. Majas, quia Octavius ex Apollonia Romam venit illo die, ad Att.

M. Cicero Bithynico S.

II. 133. *Cum ceterarum*) Non est dubium quin hæc epistola extremis iis bellis civilibus, quibus Cicero interfuit, scripta sit, cum ita scribat: *Cum ceterarum rerum causa cupio esse aliquando remp. constitutam*. Item quod ait: *eos qui temporibus valuerunt, aut valeant, &c.* nam *qui valuerunt*, referre videtur ad Cæsarianos: *qui valeant*, ad Antonianos & Octavianos. Præterea scribit ad Tironem in sequenti epistola, *ad Bithynicum scripsi*; quod tamen an de hac epistola & de hoc Bithynico dictum sit, affirmare non ausim.

Tullius Tironi S.

IV. 225. *Tu vero confice*) Mandat item ut pecuniam curet. Scripta est hoc tempore, quia ait: *Balbus ad me scripsit, tanta se epiphora oppressum, ut loqui non possit, Antonius de lege quid egerit*. Legem autem intelligit, quam tulerat Antonius post mortem Cæsaris, qua Siculi cives Romani facti sunt: ad Att. Adhuc etiam rusticabatur, cum ait, *liceat modo rusticari*. Neque dum amicitiam cum Antonio diremerat, quia ait: *Ego Antonii inveteratam sine ulla offensione amicitiam retinere sane volo, scribamque ad eum*.

Cicero Dolabellæ Cos. S. D.

III. 33. *Etsi contentus eram*) Gratulatur Cicero Dolabellæ Consuli de rebus ab eo præclare gestis. Intelligit autem columnam in foro Cæsari mortuo erectam, quam ipse prostraverat. Scripta videtur VIII. Id. Maias ex epist. ad Attic. ubi ait: *Epistolæ ad Dolabellam exemplum tibi misi*: *Ego ad Dolabellam VIII. Id. dederam litteras*.

C. Tre-

C. Trebonius M. Ciceroni S.

III. 262. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Athenas*) C. Trebonius in Asiam proficiscebatur provinciam, cum has litteras dedit VIII. Kal. Iun. Athenis. Narrat Ciceroni, ut viderit Athenis filium ejus litteris operam dantem: se item audisse turbulenta quædam de rep. quæ cupit esse falsa.

M. Cicero C. Trebonio S. D.

IV. 183. *Oratorem meum*) Eodem tempore quo Trebonius ad Ciceronem scripsit epistolam superiorem, Cicero hanc ad illum. Mittit ad eum Oratorem suum, petit ut ad se crebro scribat, in primisque ut doceat cujusmodi iter suum fuerit, ubi Brutum viderit, quamdiu simul fuerit. M. autem Brutum intelligit, qui per hæc tempora in agro Antiati erat.

M. Cicero C. Matio S. D.

III. 213. *Nondum satis constitui*) Agit cum Matio de ludis Octavii ab eo curatis in honorem Cæsaris mortui. Scripta vero hoc tempore videtur, quia ad Attic. in epistola data post XV. Kal. Iun. ita ait: *De ludorum apparatu Matius mihi displicet*; item, quia in hac epistola ait, *cum in Tusculanum vesperi venissem*: nam ad Att. scribit in Tusculanum se venturum VI. K. Iun.

M. Brutus, & C. Cassius Præt. M. Antonio Cos. S. P. D.

III. 172. *De tua fide*) Brutus, & Cassius prætores (ut dixi) urbani cum Roma abessent, petunt ab Antonio, an Romæ K. Iun. tuto esse possint in magna veteranorum frequentia, qui conventuri erant. Ex quo apparet hanc epistolam ante K. Iun. scriptam esse.

M. T. Cicero C. Cassio S. P. D.

III. 224. *Finem nullum facio*) Hoc tempore scripta est, quia ait: *Rep. a Dolabella meo præclarissime gesta: manabat enim illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi & otio diffiderem urbano*. Intelligit autem columnam eversam a Dolabella, de qua supra. Addit præterea: *Tabulæ figuntur, immunitates dantur, pecuniæ maximæ describuntur, exsules reducuntur, S. C. falsa referuntur*. Item: *Cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus*. Quæ verba indicant hanc epistolam scriptam esse post K. Iun. quia scribit in prima Philippica, post illum diem hæc acta esse ab Antonio. Cassius adhuc non longe ab urbe aberat, quia ait: *Verum hæc propediem, & multa alia coram*.

C. Matius M. Ciceroni S. P. D.

III. 216. *Magnam voluptatem*) Respondet Matius epistolæ superiori, cujus initium est, *Nondum satis constitui*. Rationem affert cur Cæsaris ludos curarit, cum ait: *At ludos quos Cæsaris victoriæ Cæsar adolescens fecit, curavi; at id ad privatum officium, & ad honestatem reip. pertinebat*. Addit præterea sæpe se venisse domum Antonii consulis.

M. Cicero M. Oppio S.

III. 221. *Dubitanti mihi*) Scripta est cum Cicero proficisceretur in Græciam, quia ait: *Dubitanti mihi de hoc toto consilio profectionis, quod in utramque partem in mentem multa veniebant, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem, judicium, & consilium tuum*. Item quia ait: *Gravissimum judicium de mea fide fecisti, cum post mortem Cæsaris te ad meam amicitiam contulisti*. Profectus

fectus est autem in Græciam mense Quintili, ut infra apparebit.

Cicero Trebatio S. D.

II. 211. *Amabilior mihi Velia*) Data XIII. K. Sext. Velia, cum in Græciam proficisceretur, quod & ex hac epistola, & ex procemio Topicorum apparet.

Cicero Trebatio S. D.

II. 199. *Vide quanti*) Data est V. K. Sext. Rhegio. Ait se, ut primum Velia navigare cœperit, instituisse Topica Aristotelica conscribere, eumque librum Rhegio ad eum mittere.

Brutus & Cassius Præt. Antonio Cos. S. D.

III. 174. *Litteras tuas legimus*) Data est prid. Non. Sext. a M. Bruto, & C. Cassio, prætoribus urbanis, qui Roma aberant, sed tamen in Italia. Conqueruntur de minis Antonii, & de edicto quodam, quo Antonius minabatur idem supplicium optimis civibus, quod Cicero sumserat de sceleratissimis. Philipp. III.

M. T. Cicero L. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

III. 81. *Et abfui*) Scripta est postquam rediit e Græcia, quia ait: *Et abfui proficiscens in Græciam, & posteaquam de medio cursu reip. sum voce revocatus, numquam per M. Antonium quietus fui*. Reversus est autem in urbem prid. K. Sept. quod ex prima Philippica intelligitur.

M. T. Cicero S. D. Titio.

II. 52. *Etsi unus*) Consolatur Titium de morte filii. Difficile est autem intellectu, an impendente civili bello Cæsariano, an Antoniano hanc epistolam scripserit, cum scribat ita: *Neque tantum hæ proficere videntur debere, quantum status ipse nostræ civitatis, & hæc perturbatio temporum perditorum; cum beatissimi sint, qui liberos non susceperunt, minus autem miseri qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua rep. perdidissent*. Item: *Hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea miseri, parari, impendere reip. quæ qui reliquerit, nullo modo mihi deceptus esse videatur*. Item: *Non mehercule quemquam audivi hoc gravissimo & pestilentissimo anno adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non a diis immortalibus ereptus ex his miseriis videretur*.

D. Brutus Imp. M. Ciceroni S.

III. 176. *Si de tua in me voluntate*) D. Brutus Galliæ citeriori a Cæsare (auctore Appiano) præfectus, in eam provinciam aliquanto post necem Cæsaris profectus erat: atque in ea nunc bellum gerebat. Cum autem rem præclare gessisset, litteras ad Senatum scripserat, fortasse de supplicatione. Petit a Cicerone, ut suam causam in Senatu defendat; inquit autem: *Progressus sum ad Inalpinos cum exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quam cupiens militibus satisfacere, firmosque eos ad tuendas nostras res efficere*. Item: *Cum omnium bellicosissimis bellum gessi, multa castella cepi, multa vastavi, non sine causa ad senatum litteras misi; adjuva nos tua sententia*. Itaque Philipp. VI. ait: *Annon D. Brutus potuit legiones Antonio & provinciam tradere? domum redire? triumphare?*

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

III. 198. *Permagni interest*) Iam Brutus Imp. appellatus erat, ex superiore epistola. Commendat duabus epistolis Bruto L. Lamiam, præturam petentem: credo, veritus ne altera earum intercepta periret. Hoc autem anno petiit præturam Lamia, quia ædilis fuit sub victoriam Cæsaris Africanam. Inter ædilitatem autem & præturam biennium intercedebat. Petit autem Cicero a Bruto, ut ad Lupum

pum Romam mittat, ut equitum sibi centurias, in quibus ille regnat, conficiat.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

III. 200. *Lamia*) Eodem tempore scripta est quo superior, ut ibi dictum est. Commendat iterum ei præturam Lamiæ.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

III. 227. *Vehementer lætor*) Scripta est post XIII. K. Oct. postquam Philippicam secundam in Antonium dixerat. Se tuto in Senatum venire non posse ait; cædem enim eum quærere, ejusque initium a. d. XIII. K. Oct. a se facturum putasse. Cassius adhuc cum M. Bruto abesse ab urbe in Italia videtur, quia ait: *Quare spes est in vobis, qui si idcirco abestis, ut sitis in tuto, ne in vobis quidem: sin aliquid dignum vestra gloria cogitatis, velim salvis nobis: sin id minus, res tamen publica per vos brevi tempore jus suum recuperabit.*

M. Cicero L. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

III. 83. *Meum studium*) L. Plancus petierat a Cicerone, ut causam suam ageret in Senatu; respondet Cicero, se id facturum fuisse, si aut tuto in Senatum, aut honeste venire potuisset. Ex quo intelligi potest, hanc epistolam eodem tempore scriptam esse, quo superior est.

M. T. Cicero C. Cassio S. P. D.

III. 232. *Auget tuus amicus*) Nondum videtur Cassius in Syriam provinciam profectus, quod se, quid consilii ei det, non habere Cic. dicat. Scripta est post VI. N. Oct. quia ait: *Itaque a. d. VI. Non. Oct. productus in concionem a Canusio, turpissime ille quidem discessit, sed tamen ea dixit de conservatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus.*

M. T. Cicero Cornificio S. D.

III. 272. *Omnem conditionem*) Cornificius Africæ hoc tempore prætor erat, quod sequentes epistolæ indicant. Scripta hæc est post VII. Id. Oct. quia ait: *A. d. VII. Id. Oct. Antonius Brundusium venerat, profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere, & in cervicibus nostris collocare.*

M. Cicero Cornificio S.

III. 270. *C. Anicius*) Exstant epistolæ quædam ad Cornificium scriptæ, tum cum in Africa erat, quarum quia sedes incerta est, earum aliquot huic epistolæ subjiciemus. Hac ei commendat C. Anicium, legatum in Africa legatione libera.

M. T. Cicero Cornificio S.

III. 281. *Q. Turius, qui in Africa negotiatus est*) Commendat Q. Turium, qui in Africa negotiatus erat.

M. Cicero Cornificio.

III. 282. *Sex. Aufidius*) Commendat Aufidii negotia, quæ erant in Africa.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

III. 177. *Lupus, familiaris noster*) Scripta est post V. Id. Decembr. quia ait, *Romam veni a. d. V. Id. Decemb.* Nondum videtur Antonius provinciam Galliam a populo obtinuisse, quia ait: *Si iste provinciam nactus erit, spem reliquam nullam video salutis.* Hortatur præte-

praeterea ut Antonio resistat, & libertatem recuperet.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

III. 180. *Cum adhibuisset*) M. Antonius edixerat ut adesset Senatus frequens a. d. VIII. K. Decemb. eo die ipse non adfuit, in a. d. IIII. K. Decembr. distulit: adesse in Capitolio jussit: quod in templum ipse nescio qua per Gallorum cuniculum ascendit. Cum de rep. relaturus fuisset, allato nuncio de legione quarta, mente concidit: effugere festinans, S. C. de supplicatione per discessionem fecit: inde paludatus urbe fœde ac misere fugit, cum vesperi illo ipso die S.C. de provinciis fecisset. Cum igitur Antonius in Galliam, quam a populo obtinuerat, D. Bruti provinciam, irrupturus cum exercitu videretur, hortatur Brutum Cicero, ne in salute & libertate populi R. conservanda auctoritatem Senatus exspectet, nondum liberi. Meminit Cæsaris adolescentis, qui exercitum privato consilio contra Antonium paraverat, item legionis Martiæ & quartæ, quæ Antonium Cos. reliquerant.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

III. 179. *Lupus noster*) Scripta est post XIII. K. Ian. quia ait: *Cum Tribuni pl. edixissent, senatus adesset a. d. XIII. K. Ian. haberentque in animo de praesidio cos. des. referre, quamquam statueram in senatum ante K. Ian. non venire, tamen cum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi senatum, ut de tuis divinis in remp. meritis sileretur (quod factum esset, nisi ego venissem) aut etiam, si quid honorifice de te diceretur, me non adesse. Itaque in Senatum veni mane, &c.* Eo autem die in Senatu dixit tertiam Philippicam, & ad populum quartam, in quibus D. Brutum laudavit, quod edictum fecit, quo se Galliam in S.P.Q.R. potestate retenturum pollicebatur.

M. Cicero S. P. D. Cornificio.

III. 271. *Nos hic cum homine*) Scripta & haec est post XIII. K. Ian. quia ait: *A. d. XIII. K. Ian. senatus frequens mihi est assensus de provinciis ab iis qui obtinerent retinendis, neque cuiquam tradendis, nisi qui ex S.C. successisset.* Quod idem Cornificii causa suasisse ait, ne scilicet C. Calvisio, cui Antonius Africam tradiderat, provincia cederet. Suasit autem hoc Cicero in tertia Philippica, his verbis: *Censeo senatum ad summam reip. pertinere arbitrari, ab iis, qui provincias obtinent obtineri ex lege Iulia, quoad ex S.C. cuique eorum successum sit.*

Q. Cicero Tironi suo S. D.

IV. 231. *Mirificam mihi verberationem*) Scripta videtur hoc anno, quia reprehendit consules des. Hirtium & Pansam.

Cicero F. Tironi suo dulciss. S. D.

IV. 218. *Cum vehementer*) Cicero F. erat Athenis cum M. Bruto & Cassio, sequenti autem anno cum Bruto proficiscitur in Macedoniam. Erat autem hoc tempore Athenis, ut in epist. Trebonii. Hoc vero tempore epistolam hanc scriptam esse apparet, quia numquam amplius fuerit Brutus Athenis quam nunc; eo enim Macedoniam proficiscens profectus est.

Cicero F. Tironi suo S.

IV. 230. *Etsi justa*) Scripta videtur cum esset Cicero F. Athenis, et superior.

Bithynicus Ciceroni S. D.

II. 132. *Si mihi tecum*) Bithynicus (ut ait Appianus) post mortem Cæsaris in Sicilia prætor erat; petit igitur

igitur a Cicerone tunc in senatu potente, ut se absentem defendat.

A. HIRTIO,
C. VIBIO PANSA, COSS.
Anno ab urbe condita DCCX.

M. Cicero Cornificio.

III. 274. *Ego nullum*) M. Antonius a. d. IV. K. Decemb. cum de legione quarta nuncium in Senatu accepisset, ex urbe fugit paludatus: in provinciam Galliam cum exercitu irrupit, D. Brutum resistentem Mutinæ obsedit: Cicero Philipp. III. & V. Ad Antonium deinde legatos de pace Senatus misit prid. Non. Ian. Cicero Philipp. VI. Antequam legati reverterentur hæc epistola scripta est, quia ait: *Cum hæc scribebam, in exspectatione erant omnia; nondum legati redierant, quos Senatus non ad pacem deprecandam, sed ad bellum denunciandum miserat, nisi legatorum nuncio paruisset*.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

III. 181. *Eo tempore Polla*) Eodem tempore scripta est, quo superior, quia ait: *Omnia erant suspensa propter exspectationem legatorum, qui quid egissent nihil dum nunciabatur*. Iam Hirtius & Cæsar exercitum contra Antonium duxerant, itaque ait: *De reliquis rebus jam a te litteras exspectare debemus, quid ipse agas, quid noster Hirtius, quid Cæsar meus: quos spero brevi tempore societate victoriæ tecum copulatos fore*.

M. Cicero L. Planco. Imp. Cos. Des. S. D.

III. 84. *Cum ipsum Furnium*) Hortatur L. Plancum ad remp. & libertatem populi R. defendendam. Scriptam autem mense Ianuario esse declarat responsio Planci, quæ sequetur.

C. Cicero C. Cassio S. P. D.

III. 233. *Vellem Id. Mart.*) Iam C. Cassius in Syriam procos. venerat. Scripta est postquam legati ab Antonio redierant, quia ait: *Nihil fœdius Philippo & Pisone legatis, nihil flagitiosius: qui cum essent missi, ut Antonio ex Senatus sententia certas res nunciarent, cum ille earum rerum nulli paruisset, ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt*. Dolabellam vituperavit ait, quod Cassio, qui vix triginta dies in Syria fuisset, succederet.

M. T. Cicero C. Trebonio S. D.

III. 143. *Quam vellem*) Trebonius in Asia procos. erat. Scripta est post mortem Ser. Sulpicii, qui in legatione ad Antonium obierat, ex IX. Philippica, quod ex his verbis colligitur: *Magnum damnum factum est in Servio. L. Cæsar optime sentit: consules egregii, præclarus D. Brutus, egregius puer Cæsar*.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

III. 234. *Hiemem credo prohibuisse*) Scripta est post mortem Ser. Sulpicii, dum adhuc Brutus obsideretur; ex his hujus epistolæ verbis: *Res sic se habebat, ut totius belli omne discrimen in D. Bruto positum videretur: qui si, ut sperabamus, erupisset Mutina, nihil belli reliquum fore videbatur; parvis omnino jam copiis obsidebatur, quod magna præsidia Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ noster Hirtius, ad forum Cornelium Cæsar, uterque cum firmo exercitu, magnasque Romæ Pansa copias ex delectu Italiæ compararat; hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi considerate (ut mihi crebris litteris significat) acturus videbatur, præter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus: erat firmissimus senatus, exceptis consularibus, ex quibus unus L. Cæsar firmus est & rectus,*

Ser.

Ser. Sulpicii morte magnum præsidium amisimus.

Plancus Ciceroni S. D.

III. 86. *Gratissimæ mihi tuæ litteræ fuerunt*) Respondet epistolæ Ciceronis, cujus initium est: *Cum ipsum Furnium*. Scripta videtur Februario mense, quia ait: *Sum in exspectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe Ianuario mense geratur, ut sciam*. Optimo se in remp. animo esse ait.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

III. 70. *Rufum istum*) Hæc epistola extrema hieme scripta est, quia ait: *Te ad cœnas itare desisse moleste fero. Spurina magnum periculum summæ reip. demonstrabat, nisi ad superiorem consuetudinem, tum cum Favonius flaret, revertisset: hoc tempore ferri posse, si forte tu frigus ferre non posses*. Addit præterea, quod hanc epistolam Antonianis temporibus scriptam esse probare potest: *Cave existimes me, quod jocosius scribam, abjecisse curam reip. sic tibi persuade, me dies & noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei cives salvi liberique sint: nullum locum prætermitto monendi, &c.*

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

III. 237. *Quanto studio*) Nunciat se dignitatem ejus defendisse in senatu; hoc autem (ut arbitror) fecit in undecima Philippica, cum bellum contra Dolabellam Cassio mandandum censuit: idem se ad populum etiam egisse ait; quæ tamen oratio non extat.

C. Cassius Procos. M. Ciceroni S.

III. 242. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. In Syriam*) Data est Non. Mart. ex castris Tarichæis. Nunciat se accepisse exercitum a L. Murco & Q. Crispo Imperatoribus, & legionem, quam Q. Cæcilius Bassus habuit, quatuorque legiones, quas A. Allienus ex Ægypto duxit, posteaquam illi audiverunt, quæ Romæ gererentur. Intelligit autem S. C factum in sententiam Ciceronis undecima Philippica.

C. Asinius Pollio M. T. Ciceroni S. P. D.

III. 150. *Minime mirum*) C. Asinius Hispaniæ præerat cum exercitu: quid sibi agendum sit Ciceronem consulit. Data est XVII. K. Apr. Cordubæ.

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. P. D.

III. 150. *Binas a te accepi litteras*) Respondet epistolæ Planci, cujus initium est, *Gratissimæ mihi*; & gratulatur, eum optimo esse in remp. animo: hortaturque ut persistat.

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. D.

Liberalibus, I. XVI. K. Apr. nec postero die fuit senatus. Quinquatribus, I. XIV. K. Apr. frequens fuit, decrevitque ut Minerva Ciceronis, custos urbis, quam turbo dejecerat, restitueretur. Pansa litteras Cornificii recitavit: summa adprobatio consecuta est, cum offensione Calvisii, qui Africam petebat, ut ait Cicero in Philipp. III. Factum de Cornificio S. C. honorificum, ex epist.

T. Cicero M. Lepido S. P. D.

III. 90. *Quæ locutus est Furnius*) Data est XIII. K. Apr. Hortatur Plancum, ut D. Brutum collegam suum ab Antonio Mutinæ obsessum exercitu juvet, neque pacis auctor sit, quæ positis armis ab Antonio petenda sit.

L. Plan-

T. Cicero M. Lepido S.P.D.

III. 141. *Quod mihi pro mea summa*) Monet Lepidum, qui decreta sibi Hispania adhuc in Gallia ulteriori morabatur cum exercitu (auctore Velleio) ne se interponat in pacificationem Antonii & senatus, de qua hoc tempore agebatur, auctore Dione: quod idem etiam suasit in superiori epistola Planco.

L. Plancus Imp. Cos. Des. S. D. Cos. Præt. Trib. Pl. S. P. Pl. Q. R.

III. 93. *Si cui forte*) Rationem affert cur non adhuc arma contra Antonium pro rep. ceperit: se paratum esse vel provinciam tueri, vel ire quo resp. vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciamque; C. Furnium, legatum cum mandatis ad Senatum ante misisse ait, cujus rei meminit Cicero in epistola, cui initium est: *Quæ locutus est Furnius*. Cum autem hanc epistolam scripsit, Brutus adhuc obsidebatur, quod inde intelligi potest, cum ait: *quod prematura denunciatio boni civis imparati quam periculosa esset, ex casu college videbam*.

Planc. Imp. Cos. Des. Ciceroni S. D.

III. 92. *Plura tibi*) Hæc epistola cum superiore conjuncta est, quia ait se breviorem esse, quod publicis litteris omnia persecutus sit.

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. D.

III. 99. *Etsi satis ex Furnio*) Respondet superiori epistolæ Planci, cujus initium est, *Plura tibi*. Gratas litteras ejus senatui fuisse ait: hortatur, ut in suscepta sententia persistat. Data est IV. K. Apr. antequam prælium ad Mutinam fieret, quod ex his verbis cognoscitur: *Quamobrem quamquam uno in prælio omnis fortuna reip. disceptat: quod quidem, cum hæc legeres, jam decretum arbitrabar fore, &c.*

M. Cicero Planco Imp. Cos. Des. S.

III. 104. *Etsi reip. causa*) Data est III. Id. Apr. Respondet litteris quibusdam Planci, quæ interierunt: alias item litteras Planci ad Senatum, quæ non exstant, recitatas fuisse ait. Se pro Planco VII. VI. V. Id. Apr. in Senatu cum Servilio & Titio Tribunis pleb. qui S.C. intercesserant, contendisse ait.

M. Cicero Cornificio.

III. 283. *Assentior tibi*) Scripta est hoc tempore, cum ambo consules ad Mutinam erant, quia ait: *Senatus sepius pro dignitate tua appellaretur, si absentibus consulibus umquam nisi ad rem novam cogeretur*. Hoc autem idem scripsit etiam in superiore ad Plancum epistola, cum Senatum absentibus consulibus a prætore urbano Cornuto habitum esse dixit.

M. Cicero Cornificio.

III. 285. *Non modo tibi*) Commendat res L. Lamiæ. Scripta hoc anno videtur, quia ait: *Quamquam erat nobis dictum, te existimare alicui S. C. quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam adfuisse, qui omnino consulibus illis numquam adfuit scribendo: deinde omnia tum falsa S.C. deferebantur.* Intelligit autem consules Antonium, & Dolabellam.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

III. 236. *Qui status rerum fuerit*) Scripta est paullo ante quam ad Mutinam pugnaretur, quia ait: *Res cum hæc scribebam, erat in extremum adducta discrimen; Brutus enim Mutinæ vix jam sustinebat*.

Ser. Galba M. Ciceroni S.

III. 146. *XVII. K. Maji*) Data est a. d. XII. Maji, ex castris. Nunciat rem bene gestam cum Antonio.

Plancus Imp. Cos. Des. Ciceroni S. P. D.

III. 97. *Nihil me tibi temere*) Post VI. K. Majas scripta est, tum cum Plancus properaret in Galliam citeriorem, ut subveniret Decimo Mutinæ obsesso; ait enim: *Exercitum a. d. VI. K. Majas Rhodanum traieci: ipse, si a Lepido non impediar, celeritate satisfaciam: sin autem in itinere meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam; copias adduco & genere & numero & fidelitate firmissimas*. In hanc sententiam in epistola etiam, cujus initium est: *Immortales*, scripsit: *Cum Rhodanum copias traiecissem, ipseque iter Mutinam dirigerem, de prælio facto, Brutoque & Mutina obsidione liberata audivi*.

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

III. 183. *Pansa amisso*) Data est IV. K. Maji ex castris Regii. D. Brutus obsidione liberatus mortuos consules nunciat: pollicetur se daturum operam, ne Antonius in Italia commoretur: rogat ut Lepidum, Asinium, Plancum confirmet, de quorum voluntate erga remp. dubitabat.

M. Cicero Cornificio.

III. 275. *Liberalibus*) Scripta est post consules ad Mutinam interfectos, quia ait: *Hirtium quidem & Pansam, collegas nostros homines in consulatu reip. salutares, alieno sane tempore amisimus, rep. Antoniano quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata*.

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

III 184. *Nam mihi remp.*) Data est III. Non. Maji ex castris, Dertone. Nunciat ut Antonius omne genus hominum arripiendo, satis magnum numerum effecerit, ut cum eo Ventidius ad Vada se conjunxerit. Antonium aut ad Lepidum se collaturum, aut Appennino, Alpibusque retenturum, aut rursus se in Etruriam recepturum.

D. Brutus Imp. Cos. Des. M. Ciceroni. S. D.

III. 190. *Eodem exemplo*) Data est prid. Non. Maji ex castris, finibus Statiellensium. *In itinere est* (inquit) *Antonius, ad Lepidum proficiscitur, ne de Planco quidem adhuc spem abjecit, ut ex libellis ejus animadverti, qui in me inciderunt, in quibus, quod ad Asinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, scribebat*.

C. Cassius Procos. M. Ciceroni S. D.

III. 243. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Legi tuas litteras*) Rogat, ut se & Murcum & Crispum Imperatores, qui sibi exercitum tradiderunt, militesque ipsos sua auctoritate defendat atque ornet. Se audisse ait, Dolabellam, qui nefarie Trebonio occiso Asiam occupavit, in Ciliciam venisse cum suis copiis. Itaque se item in Ciliciam profecturum. Data est Non. Maji, ex castris.

Plancus Ciceroni S. P. D.

III. 101. *Immortales ago tibi gratias*) Respondere videtur epistolæ Ciceronis, cujus initium est, *Etsi reip. causa*: qua Cicero scripserat, quantam contentionem pro ejus dignitate suscepisset. Nunciat se, audito Mutinensi prælio, in Allobrogibus constitisse; audi-

audivisse autem VI. K. Majas, supra diximus. Se paratum esse ait, ut quoquo modo possit resistat Antonio, si in Galliam se contulerit.

Cic. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

III. 109. *O gratam famam*) Data est III. Id. Maji. Respondet epistolæ superiori Planci, cujus initium est, *Nihil me tibi temere*: hortatur eum ut fusum Antonium persequatur.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

III. 208. *Cum App. Claudio*) Commendat Bruto App. Claudium, qui se cum Antonio conjunxerat, rogatque ut eum sua auctoritate servet incolumem.

Plancus Imp. Ciceroni S. D.

III. 110. *His litteris scriptis*) Nunciat se, in Isara flumine, quod est in finibus Allobrogum, ponte uno die facto exercitum a. d. IV. Id. Maji traduxisse, fratrem cum equitum quatuor millibus prid. Id. Maji L. Antonio præmisso cum equitibus ad forum Iulium obviam misisse: ipsum maximis itineribus cum quatuor legionibus expeditis, & reliquo equitatu, subsequuturum.

Plancus Imp. Ciceroni S. D.

III. 114. *Antonius Id. Maji*) Nunciat Id. Maji Antonium ad forum Iulium venisse, Ventidium bidui spatio ab eo abesse, Lepidum ad forum Voconii castra habere: ibi se exspectare constituisse.

Cicero Planco S. D.

III. 112. *Nihil post hominum memoriam*) Litteras quasdam Planci in Senatu recitatas esse, easque gratissimas senatui fuisse, deque his S. C. factum esse in sententiam suam ait. Suadet præterea, ut in rebus agendis consilium senatus non petat, sed ipse sibi sit senatus. Nondum videtur Antonius se conjunxisse cum Lepido.

M. T. Cicero S. P. D. Cornificio.

III. 286. *Ita ne*) Scripta est hoc tempore, quia ait: *Orbus senatus consulibus amissis*; item, *cum Pansæ mortem ignorares, scripsisti quæ per nos ab eo consequi te posse arbitrarere*; item, *sic vehementius nos laboramus, quia profligato bello, ac pene sublato, renovatum bellum gerere conamur*.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

III. 201. *Etsi ex mandatis*) Data est XIII. K. Iun. De bello renovato Antonii agit, his verbis: *Etenim cum te incluso spem maximam omnes habuissent in tua virtute, florente Antonio: quis erat qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec vero Lepidum timebamus; quis enim esset qui illum tum furiosum arbitraretur, ut, qui in maximo bello pacem velle se dixisset, is in optatissima pace bellum reip. indiceret?* Item paullo post: *quare velim equidem (id quod spero) ut plane abjectus & fractus sit Antonius; sin aliquid virium forte collegeris, sentiet, nec senatui consilium, nec populo R. virtutem deesse, nec reipub. te vivo, Imperatorem.*

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

III. 202. *Ad senatum*) Data est XII. K. Iun. Vercellis. Dolet, se cum tironibus egentissimis esse: rogat, ut

quas ad senatum misit litteras, perlegat, & si qua videbuntur, commutet.

M. Lepidus Imp. II. Pont. Max. M. T. Ciceroni S. P. D.

III. 165. *Si vales, bene est: ego quoque valeo. Cum audissem*) Data est XII. K. Iun. ex castris, ex Ponte Argenteo. Nunciat se venisse ad forum Voconium contra L. Antonium: Silanum & Culeonem ab eo discessisse: se neque Senatui, neque reip. in hoc bello defuturum.

M. T. Cicero C. Furnio S. P. D.

III. 137. *Si interest*) Deterret Furnium legatum Planci a petenda prætura: hortatur autem, ut reliquias belli conficiat; id est, ut Antonium persequatur, post fugam Mutinensem bellum renovantem.

Plancus Ciceroni S.

III. 116. *Quid in animo habuerim*) Se arcessitum esse nunciat a Lepido, itaque a. d. XII. K. Iun. ab Isara castra movisse: pontem tamen reliquisse, & præsidia firma ibi posuisse, ut advenienti Bruto exercituique ejus sine mora transitus esset paratus: ipsum se diebus octo cum Lepidi exercitu conjuncturum.

Plancus Ciceroni S.

III. 123. *Puderet me*) Scripta est biduo post superiorem, quia ait: *Scripsi tibi biduo ante, me confidere bono Lepido esse usurum, communique consilio bellum administraturum; credidi chirographis ejus, affirmationi præsentis Laterensis, qui tum apud me erat, reconciliaremque me Lepido, fidemque haberem orabat*. De hac autem re sic in epistola superiori: *Itaque post discessum legatorum, cum binis continuis litteris & Lepidus me ut venirem rogaret, & Laterensis multo etiam magis prope implorans obtestaretur, &c.* Se, cum ad Lepidum iret, jussu ejus constitisse, ac propterea suspectam ejus fidem habere ait.

Cicero Planco S. D.

III. 127. *In te, & in collega*) Scripta est antequam Lepidus Antonium reciperet: quia ait: *Concordia vestra, quæ senatui declarata est*. Intelligit autem consensum Planci & Bruti ad persequendum Antonium. Scribit autem Appianus, cum hoc tempore, antequam Antonius reciperetur a Lepido, D. Bruti exercitus laboraret morbo, Plancum cum exercitu propius accessisse,

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

III. 197. *Etsi mihi tuæ litteræ*) Eadem sententia, qua utitur, ostendit eodem tempore hanc epistolam scriptam esse, quo superior est: quæ est hæc, *conjunctio tua cum collega, concordiaque vestra, quæ litteris communibus declarata est, S. P. Q. R. gratissima accidit*.

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. P. D.

III. 108. *Ut primum*) Nunciat S. C. factum esse in suam sententiam, in laudem Planci; hortatur ut Antonium opprimat: cum ait: *Qui M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit*.

Cicero Planco Imp. S. D.

III. 120. *Quamquam gratiarum actionem*) Idem agit atque in superiore, cum ait: *Incumbe ut belli extrema perficias: qui M. Antonium oppresserit, is hoc teterrimum bellum periculosissimumque confecerit*.

M. Ci-

M. Cicero D. Bruto Imp. Cos. Des. S. D.

III. 191. *Tria uno die*) Respondet litteris Bruti, quarum initium est: *Nonmih remp* & eodem exemplo hortatur ad persequendum Antonium, cum ait; *Is bellum confecerit qui Antonium oppresserit*: addidit praeterea: *Itaque homines alii fracti sunt: nonnulli etiam queruntur quod persecuti non sitis: opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset, existimant*.

C. Asinius Pollio M. T. Ciceroni S. P. D.

III. 160. *Quo tardius*) Hoc tempore scripta videtur: quia ait Antonium habere equitatum, ac legiones sub signis armatas tres: Ventidium cum eo se conjunxisse, si nihil in Lepido spei sit, descensurum ad extrema. Parmam direptam, L. Antonium Alpes occupasse; anni tempus majorem sibi libertatem dare, propterea quod frumenta aut in agris aut in villis sint: se deesse reip. nolle.

M. T. Cicero C. Furnio S. P. D.

III. 139. *Lectis tuis litteris*) Suadet hac etiam epistola Furnio, ut praeturae petitionem in alterum annum differat: nunc autem in bellum incumbat, quod de Planci & Bruti concordia scribat, in eo se vel maximam spem ponere victoriae.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

III. 195. *Mirabiliter mi Brute laetor*) Respondet litteris quibusdam, quas Brutus Id. Maii dederat, his verbis; *Scripsisti autem ad me iis, quas Id. Maji dedisti, modo te accepisse a Planco litteras, non recipi a Lepido Antonium; id si ita est, omnia faciliora: sin aliter, magnum negotium: cujus exitum ne extimescam, tuae partes sunt*.

D. Brutus Imp. M. Ciceroni S. D.

III. 203 *Quod pro me non facio*) Labeonem ait sibi nunciasse, Caesarem de Cicerone questum, quod diceret, eum dixisse, Caesarem ornandum & tollendum esse: non commissurum ut tolli possit. Se, nisi valde necesse fuerit, ex Italia non excessurum ait: legiones armare, parare, sperare se non pessimum exercitum habiturum ad omnes casus, & impetus hominum. Data VIII. K. Iun. Eporaedia. Mendose enim vulgo legitur VII. K. Iun. ex manuscripto libro.

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

III. 209. *Nos hic valemus recte*) Scripta videtur eodem die quo superior. Itaque ait: *Quae tibi superioribus litteris mea manu scripsi terrendi tui causa homines loquuntur*. Lepidum commode de se videri sentire ait, seque, dum a Cicerone litteras accipiat, in Italia moraturum.

Cicero Planco S. D.

III. 121. *Ita erant omnia*) Data est IV. K. Iun. Se accepisse a Bruto litteras ait datas Id. Maji, in quibus erat, Plancum ad se scripsisse, a Lepido non recipi Antonium. Praeterea ait, *qui reliquias hujus belli oppresserit, eum totius belli confectorem fore*.

Lentulus Ciceroni suo S. D.

III. 251. *Cum Brutum*) Quaestor erat Asiae Lentulus. De Cassio & de Dolabella nunciat. Data IV. Iun. Pergae.

P. Lentulus P. F. Proquæst. Propræt. S. D. Cos. Præt. Trib. Pl. Sen. P. Q. R.

III. 256. *Si valetis ; liberique vestri valent, bene est*) Nunciat eadem de Dolabella, & de Cassio, quæ in superiori epistola nunciaverat Ciceroni. Data est IV. Non. Iun. Pergæ, nisi malimus legere IV. K. Iun. ut sit eadem die scripta qua superior.

D. Brutus Imp. Cos. Des. M. Ciceroni S. D.

III. 192. *Iam non ago tibi gratias*) Respondet epistolæ superiori Ciceronis, cujus initium est : *Tres uno die*. Rationem affert cur non statim persequutus sit Antonium. Pollicetur, si quo casu Isaram trajecerit, reip. non defuturum. Addit præterea : *Vos magnum animum, optimamque spem de summa reip. habere volumus, cum & nos & exercitus nostros singulari concordia conjunctos, ad omnia pro vobis videatis paratos.*

M. Lepidus Imp. II. Pont. Max. S. P. Pl. Q. R.

III. 168. *Si vos liberique vestri*) Data est III. K. Iun. Excusat se quod Antonium receperit, recepit autem a. d. IV. K. Iun.

D. Brutus Imp. M. Ciceroni S. D.

III. 212. *In maximo meo dolore*) Data est III. Non. Iun. ex castris. Lepidus Antonium recepit a. d. IV. Iun. ex epistola Planci, cujus initium est, *Nunquam mehercule*, hoc autem significare videtur Brutus in hac epistola, cum ait: *Hoc solatio utor, quod intelligunt homines me timuisse ista quæ acciderunt*; & paullo post, *ad senatum litteras misi*.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

III. 206 *Dii isti Segulio*) Respondet epistolæ Bruti, cujus initium est : *Quod pro me non facio*. Data est prid. Non. Iun.

M. Cicero D. Bruto S. D.

III. 210. *Narro tibi*) Data est VIII. Id. Iun. Respondet epistolæ Bruti, cujus initium est, *Nos hic valemus recte*. Suadet ut in Galliam contra Antonium trajiciat ; neque enim adhuc audierat Antonium esse receptum a Lepido.

Plancus Ciceroni S.

III. 128. *Numquam mehercule*) Data est VIII. Id. Iun. Civarone, ex finibus Allobrogum. Nunciat a. d. IV. K. Iun. Antonium se conjunxisse cum Lepido, vix se e manibus eorum esse elapsum.

C. Asinius Pollio M. Ciceroni S.

III. 154. *Balbus quæstor*) Data est VI. Id. Iun. Cordubæ. Narrat quæ Balbus quæstor gesserit : petitque, ut quid sibi agendum sit, ad se scribat.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

III. 238. *Scelus affinis tui Lepidi*) Scripta est post conjunctionem Lepidi, & Antonii, quod ex his verbis intelligitur : *Scelus affinis tui Lepidi, summamque levitatem & inconstantiam, ex actis quæ ad te mitti certo scio, cognosse te arbitror*. Addit præterea nunciata quædam fuisse de oppresso Dolabella.

M. Ci-

M. Cicero C. Casſio S. P. D.

III. 239. *Brevitas tuarum litterarum*) Scripta eſt eodem tempore quo ſuperior, quia ait: *Tamquam clauſa ſit Aſia, ſic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppreſſo Dolabella.* Et paullo poſt: *Nos confectum cum putaremus, repente a Lepido tuo in ſummam ſollicitudinem adducti ſumus.*

C. Caſsius S. D. M. Ciceroni.

III. 245. *Si vales, bene eſt; ego quidem valeo. Cum reip.*) Data eſt Id. Iun. Cypro, Acromani Iaeride. Nunciat ſe perſequutum eſſe Dolabellam.

M. Cicero D. Bruto S. D.

III. 211. *Exſpectanti mihi*) Data eſt XIV. K. Quint. Se vocare quotidie M. Brutum in Italiam ait.

M. Cicero C. Caſsio S. P. D.

III. 240. *Lepidus affinis tuus*) Scripta eſt poſt prid. K. Quint. quia ait. *Lepidus affinis tuus prid. K. Quint. ſententiis omnibus hoſtis a ſenatu judicatus eſt, ceterique qui una cum illo a rep. defecerunt, quibus tamen ad ſanitatem redeundi ante K. Sept. poteſtas facta eſt.* Et paullo poſt: *Nos de Dolabella quæ volumus: ſed adhuc ſine capite.* Nondum autem ſuperiores Caſſii de Dolabella litteras acceperat.

C. Cicero Ampio S. D.

III. 145. *De meo ſtudio*) Data eſt prid. Non. Quint. Videtur ſcripta hoc tempore, quo plurimum poterat in rep. Cicero: quia ait: *Illi mihi neceſſe eſt concedant, ut tibi plus quam ipſi, hoc tempore prodeſſe poſſim*: item, *fundamenta jeci ſalutis tuæ.*

Plancus Imp. Cos. Deſ. Ciceroni S. D.

III. 132. *Facere non poſſum*) Data eſt v. K. Sext. ex caſtris. Hoc tempore petebat Octavius conſulatum in locum conſulum occiſorum, quod in hac etiam epiſtola ſignificat Plancus, cum ait: *Quod vivit Antonius, quod Lepidus una eſt, quod exercitus habet non contemnendos, id omne Cæſari acceptum refero, quæ mens cum a tanta gloria avocarit, & ad cogitationem conſulatus bimeſtris tranſtulerit, exputare non poſſum.*

Hoc anno C. Cæſar Octavianus prid. quam XX annos impleret X. K. Oct. cum Q. Pedio conſulatum iniit in locum A. Hirtii, & C. Panſæ, qui in in prælio Mutinenſi ceciderant, atque haud ita multo poſt Cicero, inito inter Cæſarem, Antonium, & Lepidum, triumviratu, juſſu Antonii interfectus eſt.

EPISTOLÆ ALIQVOT, QVIBVS HAVD ITA CERTA SEDES INVENITVR.

M. Cicero M. Fabio Gallo S. D.

II. 206. *Tantum ex Arpinati veneram*) Hæc epiſtola eodem tempore ſcripta videtur, quo epiſtolæ quædam in primo lib. ad Att. quia cum utroque de ſignis ſibi curandis agit, nam in epiſtola, cujus initium eſt: *Quanto dolore*, ita ait, *quæ tibi mandavi, & quæ intelliges convenire noſtro Tuſculano, velim, ut ſcribis, cures, nam nos ex omnibus moleſtiis & laboribus uno illo in loco conquieſcimus, quo fratrem quotidie exſpectamus*, & in ea quæ incipit: *Non committam*, ſcribit: *Q. frater cum uxore nunc in Arpinati prædio erat, tu velim, ſi ornamenta γυμνασιώδη reperire poteris, quæ loci ſint ejus, quem non ignoras, ne prætermittas. Nos Tuſculano ita delectamur, ut nobiſmet ipſis tunc denique cum illo venimus, placeamus.* Et in ea, cujus initium eſt: *Apud te eſt, ut volumus*, ſcribit: *Hermæ tui Pentelici, de quibus ad me ſcripſiſti, jam nunc* ad-

admodum delectant, *quare velim & eos*, *& signa*, *& cetera*, *quæ tibi & ejus loci*, *& nostri studii*, *& tuæ elegantiæ esse videbuntur*, *quamplurima quamprimumque mittas*, *& maxime*, *quæ tibi gymnasii xystique videbuntur esse*. Et in ea, cujus initium est: *Cum essem in Tusculano*, legimus: *Signa nostra*, *& Hermeraclas*, *ut scribis*, *cum commodissime poteris*, *velim imponas*, *& quod aliud οικειον ejus loci*, *quem non ignoras*, *reperies*, *& maxime quæ tibi palæstræ gymnasiique videbuntur esse*. Et in ea, cujus initium est: *Crebras exspectationes*, scribit: *Quod mihi de Hermathena scribis*, *per mihi gratum est*, *ornamentum Academiæ proprium meæ*, *quod & Hermes commune omnium*, *Minerva singulare est ejus gymnasii*. In his ergo locis meminit Cicero Tusculani, quod exornare cupiebat, & quo fratrem exspectabat: Arpinatis, ubi frater erat. Signa præterea sibi curari cupit ea quæ gymnasio, palæstræ, & xysto, & cuidam alii loco quem ille scit, congruant, ut Mercurium, & Minervam. Eadem autem fere in hac epistola scribit ad Fabium; meminit enim Arpinatis, unde forte in Tusculanum redierat, cum ibi Q. fratrem reliquisset: meminit Tusculani, ubi tunc erat, signa præterea se cupere ait, quæ gymnasium & palestram exornent: cum inquit: *Ea signa emere soleo quæ ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palestra locum*, meminit etiam xysti, & alterius illius loci: cum ait, *exedria nova mihi quædam sunt instituta in porticula Tusculani*: *ea volebam tabellis ornare.* Xystum enim, porticulam, locum illum exedria intelligit. Bacchorum præterea & Martis signa loco illi convenire negat, Mercurium probat; cum ergo tanta sit argumenti similitudo, jure eodem tempore hæc scripta esse videri poterit, atque illæ ad Att. quæ ante consulatum Ciceronis, auctore Paullo Manutio viro eruditissimo, scriptæ sunt. Hoc tamen opinantes dicimus.

Cicero Gallo S. D.

II. 219. *Cum decimum*) Meminit cœnæ auguralis apud Lentulum. P. autem Lentulus Spinter filium in consulatu suo, Dione auctore, in adoptionem Manlio Torquato dedit, ut Augur fieri posset, salva lege, quæ duos ex eadem gente fieri Augures prohibebat. Erat autem Augur Cornelius Faustus Sullæ F. ex quo apparet hanc epistolam scriptam esse post consulatum Lentuli.

M. Cicero C. Munatio C. F. S. D.

IV. 78. *L. Livineius*) Scripta videtur post exsilium Ciceronis, quia ait: *Summa enim ejus erga me officia exstiterunt iis nostris temporibus*, *quibus facillime bonam benevolentiam hominum & fidem perspicere potui*.

M. Cicero L. Culleolo S. D.

IV. 61. *Quæ fecisti*) Videtur Culleolus procos. in Illyrico esse: quia meminit in sequenti Bylionum populorum Illyrici. Scripta est vivente Pompeio, quia ait: *Tum Pompeius quotiescumque me videt* (*videt autem sæpissime*) *gratias tibi agit singulares*. Id si ita est, profecto ante primum consulatum Cæsaris scripta est, nam Cæsar primum consul Illyricum ac Gallias a populo obtinuit in quinquennium: ac deinde prorogandum sibi imperium curavit in secundo consulatu Pompeii.

M. Cicero L. Culleolo Procos. S.

IV. 62. *L. Luceius*) Meminit in hac etiam Pompeii: cum ait, *sese Lucii Pompeii arbitratu satisfacturos*.

M. Cicero Q. Philippo Procos. S.

IV. 94. *Etsi non dubito pro*) Q. Philippus proconsule Asiam regebat, in hac enim epistola fit mentio L. Oppii, & L. Egnatii, qui negotia habuerunt Philomeli, urbe Asiæ, ut apparet ex epistolis sequentibus ad Gallium. Commendat ergo ei absenti L. Op-

Oppium, & L. Egnatium, quos etiam præsentes ostendit se commendasse rum cum Philippus discederet in provinciam.

M. Cicero Q. Gallio S. D.

IV. 63. *Etsi plurimis rebus*) Puto Gallium fuisse legatum Q. Philippi proconsulis in Asia. Commendat ei L. Oppium, & L. Egnatium, qui negotia habebant Philomeli. Non videtur autem adhuc Gallius in provinciam pervenisse: quia ait, *velim memoriæ tuæ causa des aliquid litterarum, quæ tibi in provincia reddantur.*

M. Cicero Q. Gallio S. D.

IV. 64. *Etsi ex tuis*) Commendat iterum Gallio L. Oppium.

M. Cicero Appuleio Proquæst. S. P. D.

IV. 65. *L. Egnatio*) Appuleius videtur Quæstor fuisse Q. Philippi proconsulis in Asia. Commendat ei negotia ejusdem Egnatii, de quo ante.

M. Cicero Appuleio Proquæst. S. P. D.

IV. 66. *L. Nostius*) Eidem Appuleio proquæstori commendat L. Nostium.

M. Cicero Q. Philippo Procos. S.

IV. 92. *Gratulor tibi*) Q. Philippus procos. ex provincia Asia Romam redierat, gratulatur ei Cicero quod salvum se Romam receperit.

M. Cicero C. Memmio.

IV. 8. *A. Fusium*) Commendat A. Fusium. Hanc epistolam inter eas quæ ad Memmium scriptæ sunt, non collocavimus, quia ait, *ut mihi coram recepisti*, quæ vero ad Memmium scriptæ sunt, ostendunt Ciceronem nusquam cum Memmio loquutum esse, cum Athenis exsulabat.

M. Cicero Cornificio Collegæ S.

III. 269. *Grata mihi tuæ litteræ*) Hæc epistola separata est a reliquis, quas Cicero ad Cornificium scripsit, nam cum reliquas scripsit, in provincia esse videtur Cornificius: cum hanc autem dedit, rusticari videtur, quod quando fecerit, non liquet.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

III. 61. *Ain' tandem*) Hæc epistola nihil ex se suppeditat, ex quo in suspicionem venire possimus, quo præcipue anno scripta sit, multas etiam alias ad Pætum scripsit epistolas, sed non omnes uno anno, ut ostendimus.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

III. 64. *Amo verecundiam*) Quod dixi de priore epistola, idem de hac judicandum est.

Cicero Trebatio S. D.

II. 205. *Illuseras heri inter scyphos*) Incerta omnino sedes est hujus epistolæ.

Cicero Trebatio S. D.

II. 204. *Silii causam*) Item hujus.

M. Ci-

M. Cicero Q. Valerio Q. F. Orcæ S.

IV. 12. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Credo*) Reliquæ epistolæ ad Valerium Orcam scriptæ sunt, cum esset præfectus a Cæsare dividendis agris, hæc autem scripta est cum esset in provincia: in qua quo tempore fuerit, obscurum est.

Cicero Basilio S. D.

II. 132. *Tibi gratulor, mihi gaudeo*) Incertissimum tempus est hujus epistolæ.

Quintus M. Fratri S. D.

IV. 211. *De Tirone*) Laudat fratrem Quintus quod Tironem in libertatem vindicaverit.

Q. Cicero Tironi suo S. D.

IV. 231. *Verberavi*) Incertum epistolæ tempus, ut etiam sequentium.

M. Cicero Q. Anchario Q. F. Procos. S. D.

IV. 60. *L. & C. Aurelios*)

M. Cicero Quatuorviris & Decurionibus S. D.

IV. 95. *Tanta mihi*)

Cicero Regi S.

IV. 70. *A. Licinius Aristoteles*)

M. Cicero P. Cæsio S. D.

IV. 69. *P. Messienum*)

Cicero Curio Procos. S. D.

IV. 68. *Q. Pompeius*)

EPI-

EPISTOLARVM

VETVS ET VVLGATVS ORDO,

Cum numeris, quibus unaquæque earum in RAGAZONII Commentario indicatur: ut si quis aliquam epistolam in ipsius libro velit invenire, hoc indice utatur.

Ex Primo Lib.

Ex Secundo.

Ex Tertio.

Ex Qvarto.

Ex Qvinto.

De

C. Sr.

EX DECIMO.

EX VNDECIMO.

EX DVODECIMO.

Quod

EX DECIMO ET QVINTO.

EX DECIMO ET SEXTO.

VARIÆ LECTIONES
IN
XIII. XIV. XV. ET XVI. LIBROS EPISTOLARVM
CICERONIS.

LIBER TERTIVS DECIMVS

EPISTOLA I.

INjuria, quam accepisti) *Peck. & Stewech.* injuria, quam recepisti.

Sapientia tua) Tua *deest in Stewech.*

Cum id satis commode facere potero) *Peck.* cum etiam id satis commode facere potero. *Hittorp. & Stewech.* cum id satis commode facere potero.

Confici potest, agam nunc. Ac te illud) *Sic Vatic. duo Guilielm. Victor. ed. vulgo*, confici potest agam. Nunc a te illud.

Sed id quod mea intelliges, tua nullam in partem multum interesse) *Vid. Not.*

Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt) *Sic MSS. & Vict. ed. vulg.* cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt communia. *al.* o. comm. s.

Sed & initio Romæ) *Peck.* sed initio Romæ.

Tuos omnes observabat) *Pal. sext.* observabit.

Me coluit) *Vict. ed.* me me coluit.

De suis commodis & præmiis consecutus est) *V. c.* de suis præmiis & commodis consecutus est.

Me habuit suorum defensorum) *Hittorp. Peck. Stewech.* me habuit sociorum defensorum, *al.* m. h. s. defensorem. *Amstelodam.* me habuit otiorum defensorum. *Græv. sec.* me me habuit sociorum defensorum.

Et jam a Phædro) *V. c.* & a Phædro.

Antequam Philonem cognovimus) *Sic MSS. & Vict. ed. Stewech.* cognovimus, *vulgo*, cognovissemus.

Valde, ut Philosophus) Valde *desideratur in Hittorp.*

Traditus mihique commendatus) *Pal. sext.* traditus mihi, commendatusque est.

Vt nescio quid) *In Hittorp. deest* ut.

Nihil scripsi ad te) *Hittorp. & Stewech.* nihil tibi scripsi.

Et si jam plane tua nihil interest,) *V. c.* & plane tua nihil interest. *Palat. sext.* & si jam tua plane nihil interest.

Nec cur ille tantopere contendat) *Hittorp. Stewech.* ne cur ille tantopere contendat.

Ne cur tu repugnes) *Hittorp. Stewech.* ne cur tu repugnes.

Volumus reprehendere) *V. c.* volumus reprehendere.

Cum illi) *Sic Vatic. Pal. sext. Hittorp. al.* quando illi.

Non quo sit ex istis) *Sic MSS. al.* non quod sit ex istis.

Est enim omni liberali doctrina politissimus) *V. c.* est enim omni liberali arte politissimus.

Minime in rogando molestus) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgo*, minime in rogitando molestus.

Nec dubitat) *Hittorp. Pal. sext.* nec dubitabat.

Etiamsi ædificaturus esses) *Sic Hittorp. Peck. Pal. prim. & sext. Amstelod. Vict. ed. vulgo*, ita etiam, si ædificaturus esses.

Ὑπομνηματισμῶν) *Hittorp.* ὑπομνηματισμόν.

Vt hoc mea causa libenter) *Hittorp.* ut mea hoc causa.

Epi-

EPIST. II.

Qui habitat) *Al.* qui habitabat.
In tuo sacrario) *Hittorp.* in tuo saeratario.
M. Æmilio) *V. c.* M. Aimilio.
Peto igitur a te in majorem modum) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* peto igitur a te majorem in modum.
Quod sine tua molestia fiat) *Al.* quod sine molestia tua fiat.
Vt ei de habitatione) *Al.* ut te ei de habitatione.

EPIST. III.

Aulum Fusium) *Sic Vatic. Pal. pr. & sext. Victor. ed. vulg.* Aulum Fusium.
Ex meis intimis) *Hittorp.* ex meis intumis.
Tam gratum mihi id erit) *Sic MSS. & Vict. ed. vulg.* tam mihi gratum id erit.
Summo officio) *V. c.* summo studio.

EPIST. IV.

Q. F. ORCÆ) *Al.* Ortæ.
Cum municipibus Volaterranis) *Palat. prim. & sext.* cum municipibus Volaterraneis.
Magno enim meo beneficio affecti) *Lamb.* magno enim a me beneficio affecti.
Præsertim cum prope) *Peck.* Cum præsertim prope.
Ad jus obtinendum) *Lamb. fort.* ad jus suum obtinendum.
Cum tribuni plebis) *Sic Peck. Palat. prim. sext. Vict. ed. vulg.* cum enim tribuni plebis.
Promulgavissent) *Sic MSS. vulg.* promulgassent.
C. Cæsar primo suo Consulatu) *Hittorp. Stewech. Pal. sext.* C. Cæsar suo consulatu.
In lege Agraria) *V. c.* lege in agraria. *Hittorp.* legem agrariam.
Est tuæ prudentiæ) *Hittorp.* est tuæ providentiæ.
Quæ supra scripta sunt) *Sic MSS. & Vict. ed. al.* quæ scripta sunt supra.
Et suadeam) *Q. V. C.* & tibi persuadeam. *unde Lamb.* & tibi suadeam.
Eorum ego domicilia) *Peck.* eorum ergo domicilia.
Sed quando apud te) *Hittorp. & Gebh. ed.* sed cum apud te.

EPIST. V.

Te impedio) *al.* te impediri velim. *Vid. Not.*
Vt ambitione mea conturbem officium meum) *Peck* ut ambitione mea turbem officium tuum. *Palat. prim.* ut ambitione mea conturbent officia tua. *Sic & Pal. sext. Mentel.* ut ambitione mea corrumpant officium tuum.
Injustissima calamitate dolui) *Peck.* iniustissima calamitate condolui.
Et cum iis, qui similem injuriam) *Hittorp. & Stewech.* & cum his, q. s. i.
Tamquam e naufragio) *Stewech.* tamquam in naufragio.
Cum superior factus sit ordine) *Al.* factus sis.
Ex eo agro) *Hittorp.* ex agro.
De æquitate rei scribere) *Mentel. & Stewech.* de æquitate rei p. perscribere.
In majorem modum rogo) *Sic Peck. Pal. prim. sext. Vict. ed. al.* majorem in modum rogo.
Quidquid mea causa faceres, ut id C. Curtii caussa cum feceris, existimes, quod ille per me habuerit) *Sic Vatic. Pal. prim. & sext. Vict. ed. vulgati cum nonnullis MSS.* quidquid mea causa faceres, ut id C. Curtii causa cum feceris meum existimes; quod ille per me habuerit. *sic & Amstelod. & Grev. secund. sed Mentel.* quid cum mea causa faceres: ut id Curcii causa meum cum feceris existimes.
Habere abs te) *Al.* habere a te putato.

EPIST. VI.

ORCÆ S. P. D.) *MSS. & Victor. ed.* Orcæ Procos. S.P.D. *Stewech.* Orcæ prope. *unde Guilielm.* Orcæ Propræt.
S. V. B. E. V.) *Al.* Si vales bene est, ego quidem valeo.

P. Cuspio) Q. V. C. P. Cispio.

Me & coram P. Cuspio tecum) *Al.* me & coram de P. Cuspio tecum.

Et item postea pluribus verbis) *Sic prim. & sext. Pal. Amstelod. Victor. ed vulgg.* & idem postea plurimis verbis.

In numero meorum necessariorum) *Hittorp. & Stewech.* in numero necessariorum meorum.

Quod adhibui erga illos) *Pall. prim. & sext. Hittorp. Stewech. Amstelod. Mentel. Grev. sec.* quod adhibetur erga illos.

Omnium gravissimam) *Al.* omnium gratissimam.

Id cum assequi non possim) *Sic Hittorp. Pal. sext. & Vict. ed. vulgo*, id quando assequi non possum.

Quiddam perfectum arbitretur) *Al.* quoddam perfectum arbitretur.

Et potestate tua) *Lambin. fort.* & a potestate tua.

Vultu denique expromseris) *Sic MSS. Vid. Not. vulg.* expresseris. & *sic Mentel. Grev. sec.*

Non solum quia) *Sic MSS. & Vict. ed. vulg.* nec id solum, quia.

Quia mihi Cuspius dicit) *Hittorp.* quia mi Cuspius dicit.

In amicis deligendis) *V. c.* in amicis diligendis.

Ad te pertinere arbitrabor) *Hittorp. & Pal. sext.* ad te arbitrabor pertinere.

P. Cornelius) *Hic in libris antiquis est initium novæ epistolæ. Vid. Not.*

Qui tibi litteras dedit) *Sic Vatic. Pal. prim. & sext. Vict. ed. Amstelod.* qui tibi litteras dedi. *al.* qui tibi has litteras reddidit.

Quanto opere cuperem) *Sic Vict. ed. vulgo*, quantopere cuperem.

EPIST. VII.

Clvvio) *Vatic.* Clunio.

Necessitudine, quæ tua summa in me observantia, ad) *Sic Vatic. & Vict. ed. vulg.* n. tuaque summa in me observantia a.

Mihique conjunctissimi) *Desunt in Pal. sext.*

Libenter mea causa) *Pal. prim. Amstelod. & Stewech.* libenter mei causa.

Fortunas omnis) *Sic Hittorp. & Amstelod. al.* omnes.

Etsi commune videtur) *Lamb.* etsi commune ei videtur.

Etiam voluntatis erga se habiturum) *Sic Hittorp. Stewech. Pal. sext. Victor. ed. Amstelod.* & etiam voluntatis. *vulg.* & voluntatis etiam.

Integram conservares) *Forte* reservares. *Lamb.*

Regiensis) *Sic Hittorp. Amstelod.* Regesses. *vulg.* Rhegienses.

Sperare me cogit) *Hittorp.* sperare cogit.

Qui simili causa laborent) *Hittorp.* qua simili causa. *forte*, qui a simili causa laborent. *Guilielm.*

Compluris necessarios) *Sic Hittorp. vulg.* complures.

Quod speramus impetrarimus) *Sic Vict. ed. vulg.* impetraverimus.

Quom a te data sit opera) *Sic Pal. sext. & Vict. ed. vulg.* quando a te data est opera. *Amstelod.* quando a te data sit opera.

Hoc cum mihi gratissimum feceris) *Vict. ed.* hoc tum mihi gratissimum feceris.

Eosdemque gratissimos) *Hittorp.* eosdem gratissimos.

EPIST. VIII.

P. Sestium) *Sic Vatic. Pal. pr. & sext Hittorp. Vict. ed. vulgo*, P. Sextium. *& sic semper*.

Te mei studiosissimum esse) *Sic Vatic. Pal. prim. & Vict. ed. vulgo*, te mihi studiosissimum esse.

Cognoscet) *Sic Vatic. Vict. ed. Hittorp. ed.* cognoscet. *al.* cognosceret.

C. Albini) *Hittorp. & Vict.* C. Albinii. *sic semper.* Albinio, Albinius.

Res autem est hæc) *Hittorp. Stewech. Palat. prim. & sext. Victor. ed. vulgg.* res autem hæc est.

Prædia in æstimationem acceperit) *Hittorp.* prædia in æstimatione acceperit.

Esse velit ratas) *Sic Vict. al.* ratas esse velit.

Laberiana ne attingas) *Hittorp. & Pal. sext.* Lab. ne tangas.

Satisfecerit per me) *Sic Hittorp. & Victor. ed. Stewech.* satisfecerit pro me, ut ego illud. *Amstelod.* satisfecerit

cerit pro me, ut ego. *vulg.* per me satisfecerit, cum ego.

Vt ego illi uni plurimum debeam) *Sic Palat. prim. sext. Vict. ed. Amstelodam.* ut ego uni plurimum debeam. *Stevvech.* ut ego illud uni plurimum debeam. *Mentel.* ut ego plurimum debeam illud. *vulgg.* cum ego illi uni plurimum debeam.

Dare beneficium) *Victor. ed.* beneficium dare.

EPIST. IX.

Cum mea commendatione) *Sic Pal. prim. sext. Hittorp. Victor. ed. vulgg. & Amstelod. & Mentel.* cum ea commendatione. *Grav. sec. & alius Guilielm.* tum ea commendatione.

Quibuscumque rebus posses) *Vatic.* quibuscumque posses rebus.

Qua essem erga ipsos voluntate) *Hittorp.* qua essem erga illos voluntate. *Stevvech.* qua essem erga eos voluntate.

Vniverso ordini) *Hittorp.* Vniverso ordine.

Publicanorum semper libentissime tribuerim) *Sic MSS. & Victor. ed. vulg.* publicanorum multum semper libentissime tribuerim.

Idque magnis ejus ordinis, erga me meritis) *Sic Amstelodam. Mentel. Pal. prim. & sext. Hittorp. Stevvech. Victor. ed. al.* idque pro magnis ejus ordinis erga me meritis.

In primisque is) *Stevvech.* in primis is.

In majorem modum a te peto) *Sic. MSS. & Vict. ed. vulgo*, majorem in modum a te peto.

Cn. Pupium) *Sic Pal. sext. & Victor. ed. vulgo* Cn. Puppium.

Quod tibi facile factu est) *Hittorp.* quod tibi factum facile est.

EPIST. X.

Meam in illum benevolentiam auxerunt) *Vid. Not. vulgo* augerent.

Quo etiam nunc maxime delectamur) *Al. leg.* quo etiam nunc maxime delectatur.

Sed tamen caussa communis ordinis) *Sic Hittorp. & edd. vulgg. sed alii MSS.* sed tamen communis ordinis. *Vid. Not. al.* f. t. ratio c. o.

Reipublicae petitioni sese dedit) *Victor.* se dedit petitioni. *alii*, R. P. se se dedit.

Profectus ad Caesarem est) *Sic Hittorp. Stevvech. Amstelod. vulg.* profectus est ad Caesarem.

Et in conficiendo ac renunciando fidem) *Sic Vatic. quatuor Guilielm. Amstelod. Vict. ed. vulgo*, & fidem in conficiendo ac renunciando.

Summaeque industriae) *Hittorp.* summae industriae.

Neque ego haec polliceri debeo) *Hittorp. & Stevvech.* neque haec ego polliceri debeo.

Cum bene cognoris) *Sic Pal. sext. & Vict. ed.* cum bene cognoveris.

Quasi amicitiae fores aperiantur) *Al.* amicitiae quasi fores aperiantur.

EPIST. XI.

Municipes Arpinatis) *Sic Hittorp.* municipes Arpinates.

Q. Fufidium) *Sic Palat. prim. & sext. Hittorp. Stevvech. Amstel. Vict. ed. vulgo*, Q. Suffidium.

M. Faucium) *Hittorp.* M. Lucium.

Q. Mamercum) *Hittorp.* Q. Mamercium. *Stevvech.* Q. Manercium.

In majorem modum) *Sic MSS. ut supra, vulgo*, majorem in modum.

Vt tibi ea res curae sit) *Sic Palat. sext. & Vict. ed. al.* ut ea res tibi curae sit.

Etiam gratius feceris) *Sic Palat. prim. Amstelod. & Vict. ed. vulg.* etiam eo gratius feceris.

Tuo studio, diligentia) *Sic tres Guilielm. duo Pall. Amstelod. Mentel. Grav. sec. Victor. ed. vulg.* tuo studio & diligentia.

EPIST. XII.

Q. Fufidium) *Sic MSS. ut supra. vulg.* Q. Suffidium.

De illa commendatione comminuam) *Sic Ven. prim. & sext. Pal. Stevvech. Amstelod. vulgo*, diminuam. *Lambin.* deminuam.

Vt ad hanc addam) *Sic Palat. sext. Mentel. & Victor. ed. vulgo*, ut hanc addam,

addam, *& sic Amstelod. al.* ut ad hanc accedam.

Vt in ea legatione) *Hittorp. & Palat. sext.* operamque des, in ea legatione.

Contra suum commodum) *Hittorp. & Pal. sext.* contra commodum suum.

EPIST. XIII.

Meus autem est familiarissimus) *Hittorp.* meus autem quam familiarissimus.

Quare & ut meum amicum & tua dignum amicitia) *Sic MSS. & Victor. ed. vulgg.* quare & ut meum amicum, & ut tua dignum amicitia.

EPIST. XIV.

L. Titio Strabone) *Al.* Titione Strabone. *sic post* L. Titionem, *nonnulli MSS. & Amstelod.*

Quam si mea res esset) *Stevvech.* quam mea res esset.

Quoad tibi æquum) *Sic Stevvech. Palat. sext. Amstel. Vict. ed. vulgo*, quod tibi æquum.

EPIST. XV.

Præcilium) *Mentel.* P. Rutilium *Grev. sec.* P. Retilium.

En hic est ille) *Med.* em hic est ille. *Hittorp. & Palat. sext.* hic est ille, *omisso* en. *al.* hem h. i. e.

Hic est ille de illis maxime, qui irridere atque objurgare me soliti sunt) *Hittorp. & Palat. sext.* hic est ille, qui irridere atque objurgare me solitus est. *Amstelod.* en hic ille est, de illis maxime, qui irridere atque objurgare me solitus est. *Mentel.* sed hic ille est de aliis maxime, qui inde obligare me solitus est. *Grev. sec.* en hic est ille, de illis maxime, qui irridere atque objurgare me solicitus est. *al.* em hic ille est maxime, qu. ir. a. o. m. solitus est.

Cum abs te honorificentissime) *Sic Pall. Amstelod. Vict. ed. Vulg.* cum ab te honorificentissime.

Idem me consolatur) *Lambin.* iidem me consolantur.

Et jam hominem perustum, etiamnum gloria volunt incendere) *Amstelod.* etiam hominem perustum & inanem gloriam volunt incendere. *Vid. Not. Manut.*

	Edit. Paris. & Gebh.
Αλλ' εμεν ---	Αλλ' ε-
audiebam ---	Ως νεφ.
Αλκιμος ---	aud-
Ως νεφελη ---	Αλκ-
Sed tamen ---	Sed-
Μη μαν ασπουδει γε και ακλειως απολοιμην,	Αλλ' αγε, πως μεμονας; ου δει γε και ακλ. απολεσθαι,
Αλλα μεγα --	Αλλα μ --

Sed minus jam movent, ut vides) *Sic Vatic. & Vict. ed. al.* sed minus me jam movent, ut vides.

Addideris cumulum commendationi meæ) *Hittorp. & Stevvech.* addideris cumulum commendationis meæ.

EPIST. XVI.

Et ex eo) *Sic omnes MSS. Lambin. tamen*, & de eo.

Tum per me existimare cœpi) *Sic Hittorp. Stevvech. Amstelod. Grev. sec. Vict. ed. Mentel.* cum per me existimare cœpi. *vulgg.* cum optime existimare cœpi.

Cum speraret te quoque ita existimare) *Hittorp.* cum te speraret quoque.

Non sum pollicitus) *Hittorp.* non solum pollicitus.

Testimonium meum de eo judicii) *Lambin.* testimonium mei de eo judicii.

Quod & ipse magni æstimabat) *Amstelod.* quod & ipse magni æstimat.

EPIST. XVII.

M. Curius) *Manut.* M' Curius. *Lambin.* Marcus Curius, L. M' Curius. *& infra.*

Qui Patris negotiatur) *Hittorp.* qui negotiatur Patris.

In forum veni) *Hittorp. & Pal. sext.* in forum venit. *Vid. Not.*

Mihi vinculum cum eo est) *Hittorp.* vinculum mihi cum eo est.

Forte cognosti) *Sic Pal. prim. & Vict. ed. al.* forte cognovisti.

Ea est enim humanitate) *Sic Palat. sext. & Vict. ed. vulg.* ea enim est humanitate.

Iam

Iam ipsum per se commendatum) *Stevvech. & Victor. ed.* jam per se ipsum commendatum.

Aut nondum eum satis habes cognitum) *Pal. prim. sext. Amstelod. Vict. Vulg.* aut eum nondum satis habes cognitum.

Aut quæ causa est) *Fort.* aut si quæ causa est. *Lambin.*

Debent facere ii) *In Hittorp. & Stevvech. desunt*, facere ii.

Eos esse M' Curii) *Hittorp. & Stevvech.* esse eos M' Curii.

EPIST. XVIII.

Quasi rogatus) *Hittorp.* q. si rogatus. *sext. Palat.* qui si rogatus. *Mentel.* quam rogatus. *al.* quam si r.

Quem unice diligo) *Sic Hittorp. Palat. sext. Gebhard. ed. al.* quem ego unice diligo.

Esse gratum necesse est) *Hittorp.* gratum esse necesse est.

Cum mihi pro conjunctione nostra) *Sic Vict. & al.* quando mihi pro conjunctione nostra.

Negavi mihi facienda esse) *Palat. prim. & sext. Hittorp.* negavi mihi faciunda esse.

Ex nostro amore) *Stevvech.* ex meo amore.

EPIST. XIX.

Sed ea causa etiam cum aliis compluribus) *Al.* sed ea causa communis ei est cum aliis compluribus.

Fortunas absentis) *Pal. quint. & sext.* fortunas præsentis.

Effectum tamen est & ipsius) *Hittorp.* effectum tamen & ipsius.

Omnia a te studia summa cura peto) *Hittorp. & Pal. sext.* omnia a te summo studio & cura peto. *Stevv. Palat. prim. Amstelod.* omnia a te studio summo cura peto. *Mentel. & Graev. sec.* omnia a te summo studio curaque peto.

C. Memmius) *Amstelodam. Hittorp. Pal. prim. & sext. Amstelod. Mentel. & Graev. secund.* C. Menius. *sed Stevvech.* C. Memmius. *Vatic. & Vict. ed.* C. Mænius.

In calamitate exsilii sui) *Al.* exulii sui.

Vt Lysonem) *Hittorp. & Pal. sext.* & Lysonem.

Quod si feceris) *Hittorp. & Pal. sext. ad marg.* quod si legeris.

Quod eum fieri vehementer studeo) *Palat. sext.* quod tum fieri vehementer studeo.

Minus cumulate videbere fecisse) *Sic Stevvech. Amstelodam. & Vict. ed. Palat. prim.* minus cumulate videre effecisse. *Hittorp.* minus cumulate videre fecisse. *Mentel.* si minimus cumulato jubere fecisse. *vulg.* si minus cumulate videberis fecisse.

Negligenter scripsisse) *Al.* neglegenter scripsisse.

Scripsisse putet) *Sic MSs. omnes & Vict. ed. vulgo*, scripsisse de se putet.

Quanti tamen me faceres) *Sic Vatic. alii*, quanti enim me faceres. *Amstel.* quanti enim me feceris.

EPIST. XX.

Ejusque cum consuetudo). *Sic Hittorp. Palat. sext. & Vict. ed. vulg.* ejusque tum consuetudo.

Tum ars etiam) *Sic MSs. & Victor. ed. vulg.* tum etiam ars.

Cum ipsa scientia) *Sic Victor. ed. & MSs. vulg.* tum ipsa scientia.

Scripsisse de se se) *Hittorp. & Stevvech.* scripsisse de se.

EPIST. XXI.

M. Æmilius) *V. c.* M. Aimilius. *al.* M. Emilius.

Avianus) *Hittorp. & Palat. sext.* Avirianus.

Et omni genere officii diligendus) *Sic Hittorp. Palat. prim. Amstelod. vulg.* & in omni genere officii diligendus.

Cibyræ commorari) *Stevvech.* Tibur. *al.* Tibure commorari.

In majorem modum) *Sic MSs. & Victor. ed. vulg.* majorem in modum.

C. Avianium Hammonium) *Sic Palat. sext. Hittorp. & Vict. ed. al.* C. Avianum Hammonium. *L.* Ammonium. *Lambin.*

Tum etiam in me ipsum) *Sic Pal. pr. & sext. & duo Guilielm. & Vict. ed. vulg.* tum etiam quod in me ipsum.

Vt eum Hammonium & in) *Al.* ut eum & in.

Hominem pudentem) *Sic Amstelod. Palat prim. & Vict. ed. vulg.* hominem prudentem.

EPIST. XXII.

T. Manlium) *Vnus Guilielm.* T. Aulium. *Græv. sec.* T. Manilium.
Qui ita existimavit) *Pal. prim. sext. Hittorp. Stevvech. Victor. ed.* qui tamen existimavit.
Ex ipsiusque præterea) *Sic Hittorp. Stevvech. Pal. prim. & sext. Amstelodam. Victor. ed. vulgg.* ex ipsius præterea.
Te eum quem soles) *Sic Amstelodam. Pal. prim. & sext. Vict. ed. vulg.* eum te quem soles.

EPIST. XXIII.

L. Cossinio) *Stevvech.* L. Cosinio. *Hittorp.* L. Cospinio.
Tribuli tuo) *Palat. prim. & sext. Hittorp. Vict. ed.* tribuli meo.
L. Cossinius Anchialus) *Sic Palat. pr. & sext. Vatic. Victor. ed. al.* Anchilaus. *unde Guilielm.* Archilaus.
Quo est apud patronum suum) *Sic pr. & sext. Palat. & Vict. ed. vulg.* quo is est apud patronum suum.

EPIST. XXIV.

Ex officio meo voluptatem) *Pal. sext.* ex officio voluptatem.
Quod meminerim) *Sic MSs. & Vict. ed. vulg.* quod memineram.
Ex litteris ejus cognovi) *Stevvech.* ex litteris tuis.
Tibi gratias ago) *Al. t.* maximas g. a.
In majorem modum) *Hittorp. & Stevvech.* majorem in modum.
Tibi satis esse notum) *Sic Pal. pr. & sext. Hittorp. Stevvech. Amstelod. Vict. ed. vulgo*, satis tibi esse notum.

EPIST. XXV.

Vt & hospitem meum & familiarem) *Sic Palat. prim. & sext. & Vict. vulg.* ut & hospitem & familiarem meum. *Amstelod.* ut & hospitem meum & familiarem meum.

EPIST. XXVI.

L. Mescinius) *Sic Hittorp. Pal. pr. & sext. & Vict. ed. Amstelodam.* L. Mescennius. *vulg.* L. Messinius.
Et sua causa) *Sic Hittorp. Stevvech. Amstelod. Vict. ed. vulgg.* te sua causa.
Libenter esse facturum) *Sic MSs. vulgati nonnulli cum uno MS.* libenter te esse facturum.
Magnum tamen esse speravit apud te meas quoque litteras) *Sic omnes MSs. vulgati*, magnum tamen esse speravit te meas quoque litteras.
Id cum ipse ita judicabat) *Pal. pr.* id tum ipse ita judicabat. *Hittorp.* id cum ipse judicabat.
Sæpe ex me audierat) *Stevvech.* ex me sæpe aud.
Pro homine tam mihi necessario) *Stevvech.* pro homine tam necessario.
Qui Eli negotiatus est) *Sic Hittorp. Pal. prim. & sext. Amstelodam. Stevvech.* Helii. *vulgg.* Elide.
Tum jure & potestate) *Hittorp.* cum jure & potestate.
Quod commodo tuo fieri posset) *Sic vett. codd.*
Si non alienum tua dignitate) *Sic MSS. & Vict. vulgo*, si non alienum a tua dignitate.
Cum cum senatore res est) *Sic Palat. sext. & Victor. ed. al.* quando cum senatore res est.
Neque enim id tuæ dignitatis esse arbitramur) *Sic Hittorp. Stevvech. Palat. sext. & prim. Vict. ed. vulg.* neque enim id tuæ dignitatis esse arbitrabamur.
Quasi commendatitias) *Fort.* & quasi commendatitias. *Lambin.*

EPIST. XXVII.

Tam diligenter observes) *Victor.* diligentes.
Sæpius: sed tamen) *Al.* sæpius tamen.
Vt vos soletis in formulis) *Stevvech. Palat. prim. & sext. Amstelodam. Medic.* ut volet is in formulis. *al.* & volet is in f. *Hittorp.* ut videtis in formulis. *vulgg.* ut vos in vestris formulis soletis.
C. Avianus igitur) *Hittorp. & Stevvech.* Cavinius igitur.
Incredibilis mihi) *Sic Hittorp. al.* incredibiles mihi.
Æmilii Aviani) *Hittorp. & Stevvech.* Æmiliani. *v. c.* Aimilii Aviani.
Potuisse tractari) *Sic MSs. & Vict. ed. al.* tractari potuisse.

Quo

Quos tibi ego) *Sic MSs. & Victor. ed. vulg.* quos ego tibi.
Atque intimis) *Hittorp. Stevvech.* atque intumis.
Qui mihi debere aliquid videntur) *Sic Palat. sext. & Vict. ed. al.* qui mihi aliquid debere videntur.
Iucundissime conjunctissime vivo) *Sic Stevvech. & Vict. ed. vulgo*, jucundissime conjunctissimeque vivo. *al. MSS.* jucundissime & conjunctissime vivo. *Amstelod.* jucundissimo conjunctissime vivo.

EPIST. XXVIII.

Quæ mihi omnia grata) *Sic Pal. prim. Amstelod. vulgo*, quæ omnia mihi grata.
Studia illa nostra) *Vict. ed.* studia nostra.
Sed duo sunt, quæ te nominatim rogo) *Pal. prim. Stevvech. Amstelod. plurimique alii MSS. Vict. ed.* duo quidem te nominatim rogo.
Illud quod supra scripsi, id tibi confirmo in meque recipio) *Vid. Not.*
Homini gratissimo jucundissimo benigne fecisse) *Sic Amstelod. Pal. prim. & sext. Vict. ed. al.* gratissimo jucundissimoque benigne fecisse. *al.* gratissimo & jucundissimo benigne fecisse.
Quod his tu præsis) *Sic MSS. & Vict. ed. vulg.* quod tu his præsis.
Ut his, si tibi videbitur, significes) *Sic Vatic. Pal. prim. & sext. Amstelod. Victor. ed. Hittorp. & Stevvech.* ut is si tibi videbitur. *forte*, uti si tibi videbitur; *vulgo*, his sic tibi videbitur; *sine* ut.

EPIST. XXIX.

L. PLANCO) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* Cn. Planco.
Non his modo caussis) *Al.* n. iis m. c.
Quæ speciem habeant magnæ conjunctionis) *Sic Vatic. Palat. prim. sext. Amstelod. Vict. ed. vulgg.* quæ speciem habent magnæ conjunctionis.
Quæ per se ipsæ eos, qui voluntate eadem sunt) *Hittorp. & Palat. sext.* quæ per se ipsas eos.
In omni genere & honorum & laborum meorum) *Hittorp.* in omni genere honorum & laborum.

Præsto fuit & patuit) *MSS.* paruit.
Quam ad Capitonem, quem ut parentem diligebat) *Palat. prim. & sext.* quam ut Capitonem *al. v. e.* quam ut ad Capitonem, quem ut parentem diligebat, reverteretur.
Præsertim cum sciret) *Palat. pr. & sext.* præsertim sciret.
Tantum attigit negotii) *Hittorp.* tantum attigit negotium.
Non possum dicere eum præfuisse) *Hittorp.* possum dicere eum non præfuisse.
Neque possum negare adfuisse) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* neque possum negare eum adfuisse.
Duobus an tribus mensibus) *Sic Vatic. Palat. prim. Amstelod. Stevvech. Vict. ed. vulgo*, duobus aut tribus mensibus.
Absuit a castris) *Hittorp.* afuit castris.
A. Plautium) *Al.* A. Plancium. *Vid. Not.*
Ad HS XXX) *Sic MSS. & Vict. ed. al.* ad XXX LIS. *Stevvech. & Amstelod.* ad XXX. *Hittorp.* enim HS. XXX.
Pro studiis) *Stevvech.* pro studio.
Omni cursu nostro) *Lambin.* nostræ.
Majore studio nullo possim) *Sic Amstelod. Stevvech. Vict. ed. Hittorp. & duo Pall.* majore studio nullam possim. *unde conjicit Guilielm.* majore studio nullus possim. *vulg.* majore studio non possim.
Meam putes esse) *Nonnulli MSS. non habent* esse.
In hac summa tua gratia) *Al.* in hac summa gratia tua.
Si petiissem) *Hittorp. Palat. prim. & sext.* si potuissem.
Cæsarem coluit & dilexit) *Sic MSS. & Victor. ed. vulgg.* Cæsarem & dilexit & coluit.
Itaque nihil te doceo) *Sic Vict. & MSS. vulgg.* itaque te nihil doceo.
Quantum ipsum meminisse senties) *Pal. sext.* quantum ipse m. s.
Quod intellexerim) *Al.* q. intellexi.
Quod fuerim moderatior) *Tres MSS.* quo fuerim moderatior. *al.* quod fui m.
Cujus similis) *Sic Hittorp. vulgo* similes.
Hanc rem, mi Plance, si effeceris)

ris) *Hittorp.* hanc mi rem Plance, si exieteris.

Ipsum Capitonem) *Sic Victor. ed. & Pall. duo. Hittorp. Amsteludam. vulgo*, ipsumque Capitonem.

EPIST. XXX.

Est Sosis) *Sic Pal. prim. Ven. Amstel. Vict. ed al.* est Susis.

Sed cum habet praeterea) *Sic Hittorp Pal. sext. Vict. ed. vulgo*, sed quando habet praeterea.

His studiis litterarum) *Al.* iis st. l.

Doctrinaeque praeditum) *Palat. sext.* doctrinisque. *al.* doctrinaeque deditum.

Sive aberit) *Sic Vatic. & Vict. ed. al.* sive aderit. *Hittorp. & sext. Palat.* sive abierit.

Meam commendationem sibi) *Hittorp.* meam sibi commendationem.

EPIST. XXXI.

Honesto & ornato equite) *Al.* ornato & honesto equite.

Ut gratias esse nihil possit) *Hittorp.* u. g. nihil esse possit.

Neque id ambitione adductus) *Hittorp.* neque id ambitione ductus.

Sed tum familiaritate) *Hittorp.* sed eum familiaritate.

EPIST. XXXII.

Tam lauta) *Duo MSS.* tam laudata.

Quam nobili) *MSS. & Victor. ed.* tamque nobili.

M. & C. Clodios) *Palat sext.* & Gajum Clodium. *Amstelud.* M & Clodium. *Mentel.* M. & C. Clodium.

Hos mihi maxime esse conjunctos) *Al.* & hos homines mihi maxime esse conjunctos.

Peto a te in majorem modum) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgo*, peto a te majorem in modum.

Ut his omnibus in rebus) *In multis MSS. deest* ut.

Tua fides dignitasque) *Sic MSS. & Vict. ed.* tua dignitas fidesque.

EPIST. XXXIII.

Ut illius ordinis) *Stevvech.* ut alli ordinis.

Quo sic utar) *Sic MSS. vulgo*, quo sic utor.

Hilarus) *Sic MSS. & Vict. ed vulgo*, Hilarius.

Demostratus) *Quatt. MSS.* Demonstratus.

Quos tibi negotiaque omnia Nasonis) *Stevvech.* quos tibi omnes n. o. N.

EPIST. XXXIV.

Lilybetano) *Sic MSS. & Vict. ed. vulg.* Lilybaetano. *Hittorp.* Lilibitoni. *alii tres libri*, Libitoni. *al.* Lylibaetano.

Majorem in modum) *Hittorp.* in majorem modum.

Cures ut is intelligat) is *deest in Pal. sext. & Stevvech. in aliquibus desideratur* cures.

Maximo sibi apud te & adjumento & ornamento) *In Hittorp. desunt haec verba*, maximo sibi ornamento fuisse.

EPIST. XXXV.

Antiquus est hospes meus) *Stevvech.* antiquus hospes meus.

In Novocomenses) *Hittorp.* Novocomensis.

Nomen autem Aviani secutus est). *Sic duo Guilielm. prim. Pal. Amstelod. Vict. ed. Hittorp.* nomen autem Aviani hic secutus est. *Vatic.* nomen autem Avianii consecutus est.

Flacco Aviano) *Vict.* Flacco Avianio.

EPIST. XXXVI.

Mihi vetustum hospitium est) *Palat. sext.* mihi vetus hospitium est. *Stevvech.* mihi vetustissimum hospitium est.

Quod de Mega vereretur) *Hittorp. & Palat. sext.* quod Demetrio gravaretur.

Magno sibi ornamento fuisse) *Vatic. prim. Pal. Amstelod. Vict. ed.* magno ornamento fuisse.

EPIST. XXXVII.

Philoxeni filium) *Hittorp.* Philaxeni filium.

Calactinum hospitem) *Sic Amstelod. & Vict. ac. Lamb. edd. vulgo*, Calatinum

num hospitem. *Hittorp. & Palat. sext.* Calastineum hospitem.

In majorem modum) *Sic Hittorp. Amstelod. ut sæpe alibi. vulgo*, majorem in modum.

Ad me delata res est) *Stevvech.* delata ad me res est.

Leges Calastinorum) *Pal. sext.* Calastianorum, *vulgo*, Calatinorum.

Autem se res habet) *Stevvech.* autem res se habet.

EPIST. XXXVIII.

L. Bruttius) *Sic Vatic. & Vict. ed. Amstelod. & Hittorp.* L. Brutius. *Stevvech.* L. Brutus. *& sic postea.*

EPIST. XXXIX.

Ex qua reliquus est) *Hittorp. & Pal. sext.* in qua reliquus est.

M. Titurnius Rufus) *Hittorp.* M. Tyburnius Rufus.

In majorem modum) *Sic Hittorp. Palat. prim. & sext. vulgo*, majorem in modum.

Hanc intelligat sibi) *Stevvech.* intelligat hanc sibi.

EPIST. XL.

Q. Anchario) *Hittorp.* Q. Achario *Stevvech.* Q. Areario. *al.* Q. Archario. *al.* Q. Acilio. *Amstelod.* Q. Ancario.

Faliarissime utor) *Hittorp.* familiarissimo utor.

Hæc ut valeat, rogo) *Hittorp. & Pal. sext.* hæc valeat rogo.

EPIST. XLI.

CULLEOLO) *Hittorp. & Pal.* Culiolo.

L. Lucceii causa) *Al.* L. Luceii.

Video autem sæpe) *Sic Vatic. Hittorp. Stevvech. Amstel. Vict. ed. vulgo*, videt autem sæpissime

Deinceps fecisti, etiam) *Vatic. Hittorp. Stevvech. Amstel.* deinceps fecisti, *omisso* etiam. *Amstelod. aliique libri veteres*, deincepsque fecisti. *non male.*

EPIST. XLII.

L. Lucceius meus, homo omnium gratissimus) *Sic MSS. vulg.* L. Lucceius meus familiarissimus, h. o. g. *Vid. Not.*

Ostenderunt Bulliones) *Sic Vatic. Pal. prim. & sext. Amstelod. quatuor. Guilielm. vulgo* Byliones. *al.* Buliones.

Ita sciunt Lucceii procuratores) *Duo MSS.* ita faciunt Lucceii procuratores.

Ex litteris tuis, quas ad eum misisti) *v. e.* ex litteris quas ad eum misisti.

EPIST. XLIII.

Q. GALLIO) *MSS.* Quintio Gallio. *duo Guilielm.* Q. Gallo. Gallo *habet etiam. Amstelod. & Pal. prim.*

Philomeli negotiatur) *Hittorp.* Philomeni negotiatur.

Quod cum ipsum diligo) *Lambin.* quod cum per se ipsum diligo.

Tum quod negotia procurat) *Stevvech.* tum quo negotia procurat.

Et qui consuetudine quotidiana) *Sic Palat. prim. Amstelodam. & Vict. ed. vulgg.* & qui cum consuetudine quotidiana.

EPIST. XLIV.

Et ex L. Oppii) *Sic Pal. prim. & sext. Hittorp. Victor. ed. vulg.* & *deest nonnulli MSS.* ex L. Opii.

Familiarissimi mei) *Deest in Pal. sext. & Vict. ed.* mei.

Gratissimum mihi feceris) *Pal. prim. & sext. Vict. ed.* mihi gratissimum feceris.

EPIST. XLV.

PROQUÆSTORI) *Al.* Pro quæstore.

Ejus Anchialum) *Stevvech.* Anchillaum. *al.* Anchilaum.

Non minore studio) *Hittorp.* minori.

Rem meam commendarem) *Hittorp.* commendarem meam.

Ut intelligat) *Sic Vatic. & alii MSS. & Vict. ed. vulgo*, ut is intelligat.

Non

Non dubitabat) *Duo MSS.* non dubitat.

EPIST. XLVI.

Nostius Zoilus) *Quatuor MSS.* Nostius Zoilus. *Stevvech.* Nostius Coilus. *al.* Nostius Etrilius.

Hanc commendationem) *Sic MSS. al.* hanc meam commendationem.

EPIST. XLVII.

SILIO S. P. D.) *Palat. sext.* Sillio S. P. D.

Tibi hæc scribo) *Stevvech.* hæc tibi scribo.

Hoc te vehementer) *V. c.* vementer.

Quid si hoc melius) *Hittorp. & Stevvech.* quid si melius hoc.

EPIST. XLVIII.

C. SEXTILIO RVFO) *In Hittorp. & Stevvech. & nonnullis editis deest* C.

Omnis tibi commendo) *Sic Hittorp. Amstelod. aliique. vulgo*, omnes t. c.

Quæcumque commodaris) *Hittorp.* commodaveris.

Eoque facio libentius) *Hittorp.* facio libentius.

Quod & tuæ laudi) *Stevvech.* quo & tuæ laudi. *alii MSS.* quod tuæ laudi, *sine copula*.

Cum primus in eam insulam Quæstor veneris) *Sic MSS. vulgg.* cum primum in eam insulam Quæstor veneris.

Ea te instituere) *Hittorp.* ea tibi instituere.

Quæ a me constituta sunt) *Hittorp.* quæ a me instituta sunt.

EPIST. XLIX.

CVRIO PROCONS. S.) *Pal. sext.* Curioni Proc. S.

EPIST. L.

M. T. C. AVETO) *Sic Pal. prim. sext. Hittorp. Victor. ed. vulg.* M. T. C. Aristo. *Amstelodam.* Cicero S. D. Achico. *Mmed.* Aveto.

Si quæ res esset) *Vatic. & Vict. ed.* si qua res esset.

M' Curius) *Al.* M. Curius.

Multa in illum mea quoque, maximum est) *Sic Amstelod. Pal. prim. ed. Venet. & Vict. vulgg.* multa in illum mea, quodque maximum est. *Amstelod.* multa in illum mea quoque. Maximus est.

EPIST. LI.

P. Messienum) *Vid. Not.*

Meumque persamiliarem) *Stevvech.* meumque familiarem.

EPIST. LII.

Et præterea conjunctus) *Lamb.* & præterea mihi conjunctus.

Atque etiam diutius) etiam *deest in MSS.*

Quam nos commoratus) *Hittorp. Pal. sext.* qua nos commoratus. *Stevv.* qua vos commoratus.

EPIST. LIII.

L. Genucilio Curvo jam pridem) *Hittorp.* L. Genucio Sal. jampridem. *al.* L. Gemicilio Curvo. *al.* A. Gemicilio.

Jam pridem) *Vetus MSS.* pridem.

Vtor familiarissime) *Sic MSS. & Vict. vulg.* familiarissime utor.

EPIST. LIV.

Cum mihi multa grata sunt) *Pal. prim.* tum mihi multa grata sunt. *al. MSS. & Vict.* cum multa mihi grata sunt.

M. Marcilium) *Hittorp.* M. Marcellium. *Pal. sext.* M. Marcellum.

Gratias maximas egit) *V. c.* maximas gratias egit.

Cum apud gratos homines) *Vict. ed.* quando apud gratos homines.

In longa apparitione) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* apparatione.

EPIST. LV.

De re M. Anneii) *Amstelodam.* de re M. Annei. *al.* de re M. Anicii.

Cum multis petentibus denegassem) *Lamb.*

Lamb. quam multis petentibus denegassem.

Tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem) *V. c.* tantam in eo prudentiam, virtutem, fidem. *al.* tantam in eo fidem, virtutem, prudentiam.

Mihi mehercule) *V. c.* mihi hercule.

Peto abs te) *MSS. duo* peto a te.

Pro nostra conjunctissima necessitudine) *Hittorp. & Pal. sext.* pro nostra conjunctissima necessitate.

Plurimisque officiis) *Pal. sext.* plurimisimisque officiis.

Locutus est mecum) *Sic Stewech. al.* mecum locutus est. mecum *deest in tribus MSS.*

Atque provincia, nihil est) *Hittorp.* atque provincia & nihil est.

EPIST. LVI.

Cluvius Puteolanus) *Sic Pal. prim. & Vict. ed. al.* C. Livius, *ubique vulg.* C. Cluvius Puteolanus.

Valdeque est mihi familiaris) *Hittorp.* valdeque mihi est familiaris.

Negotii habeat) *Pal. prim.* negotia habet.

Nunc cum mihi) *Sic Hittorp. Pal. sext. & Victor. ed. vulg.* nunc quando mihi.

Milaseis & Alabandeis) *Vid. Not.*

Ecdici Mylasii) *Hittorp. & Pal. sext.* ecdici a Mylasinis.

Legatos audio missos) *Hittorp.* legatos missos audio esse.

Peto a te, ut & eos, & Alabandes) *Sic Pal. prim. & sext. Hittorp. Amstel. Victor. ed vulgg.* ut & eos & Alabandenses.

Philotes Alabandensis) *Hittorp.* Philocles. *Pal. prim. & sext.* Philoties. *Amstelod.* Phylotius.

Velim cures ut) *Sic MS. & Victor. ed. vulg.* cures velim.

EPIST. LVII.

Circiter Kalendas Mai.) *Al.* circiter Kalendas Maias.

Id & nunc etiam atque etiam rogo) *Sic Pal. Hittorp. Amstelod. Vict. ed. vulgg.* id te nunc etiam rogo.

Curae tibi sit) *Sic Pal. prim. & Victor. al.* curae sit tibi.

EPIST. LVIII.

L. Custidius) *Hittorp. & Pal. sext.* L. Custodius.

Vt facilis aditus habeat) *Sic. Hittorp. vulgo* faciles.

Vt libente te) *Al.* ut jubente te. *Vid. Not.*

EPIST. LIX.

Quid decernas) *Fort.* ut aliquid decernas. *Lamb.*

Vt tua fides & dignitas postulat) *V. c.* ut tua dignitas & fides postulat.

Vt libente te) *Al.* jubente te. *Vid. Not. ad praeced. ep.*

Etiam cum procul absim) *V. c.* & cum procul absim.

Hoc te vehementer) *Sic MSS. & Vict. vulgg.* hoc vehementer.

EPIST. LX.

Bonam benevolentiam hominum, & fidem perspicere potui) *Forte*, benevolentiam hominum & bonam fidem perspicere potui.

Hieme summa navigarit) *Hittorp.* hieme summa navigaverit.

EPIST. LXI.

SILIO PROPR.) *Pal. sext.* Sillio propr.

T. Pinnio) *Al.* C. Pinnio.

Qui me cum tutorem) *Sic Vict. ed. Hittorp. & Pal. sext.* cum me cum tutorem. *vulg.* qui me tum tutorem.

Instituerit) *Stewech.* instituit.

Nicaeenses) *Hittorp.* Nicenses.

Quando non modo) *Vict. ed.* cum non modo.

Vt quam primum pecunia) *Vatic. tres Guilielm. Pal. prim. Amstelod. Victor. ed.* ut quam plurimum pecuniae.

EPIST. LXII.

Et in Atilii negotio) *Vet. add.* & si in Atilii negotio.

Te in meo aere esse) *Stewech.* te in meo here esse.

Te enim semper sic colam) *Hittorp.* te enim mihi semper sic colam.

Ve-

Vt quem diligentissime) *Pal. sext.* ut quam diligentissime.

Epist. LXIII.

In C. Lænio) *Al.* C. Lenio.

Sed tamen, ut plane perspicere possis) *Forte*, sed ita tamen ut plane perspicere possis.

M. Lænium) *Sic Palat. prim. & sext. Vat. Amstelodam. Vict. ed. vulgg.* C. Lænium.

Tum summa probitate) *Sic MSS. & Vict. ed vulgg* tum summa ejus probitate.

Cum propter familiaritatem) *Pal. sext. & Vict. ed.* tum propter familiaritatem.

Consilio ejus fideli ac etiam bono) *Lamb.* atque etiam bono. *al.* e. e. f. ac bono.

Ne jam mihi superesse) *Hittorp.* ne jam superesse mihi.

Me, de quo ea supra scripserim) *Palat. prim. & sext. Hittorp. Stewech. Amstelod.* me quo ea supra scripserim. supra *quoque abest a y. v. e.*

Solutum liberum) *Q. V. C.* solutum liberumque.

Epist. LXIV.

Nihil est enim) *Stewech.* nihil enim est.

De Pausania Alabandensi) *Hittorp. & Pal. sext.* de Pausania Alabadesi.

Vehementer enim ejus causa) *Pal. prim. sext. Hittorp. Stewech. Vict.* vehementer ejus causa.

Quod ejus causam Nero suscepit) *Stewech.* quo ejus causam N. s.

Ne relinquas) *Sic Pal. prim. Hittorp. Stewech. Amstelod. Vict. ed. vulg.* nec relinquas.

Id cum gratum mihi erit) *Hittorp. Palat. sext. Vict.* id tum gratum mihi erit.

Summa hujus epistolæ hæc est) *Vict. ed.* summa ejus epistolæ hæc est.

Sicut instituisti) *Stewech.* sicuti instituisti.

Sicuti profecto & utetur) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* sicut & profecto utetur.

Et usus est, amplissimas clientelas) *Sic Vatic. Pal. prim. & sext. Amstelodam. Vict. ed. vulg.* & usus est amplissime, clientelas. *al.* usus est, amplissime cl.

Vale) *Abest in MSS.*

Epist. LXV.

Sed cum) *Sic Hittorp. Pal. sext. vulgo*, sed quando.

Tua cum summa integritate) *Hittorp.* tum cum summa integritate.

Peto a te in majorem modum) *Sic Pal. prim. sext. Amstelod. Stewech. Hitt. nisi quod in hoc etiam* a te *abest. vulg.* peto a te majorem in modum.

Et ex ejus observantia) *Hittorp. Stewech. Pal. prim. & sext. Vict. ed.* & ex hujus observantia.

Et tota tua provincia) *Hittorp.* ex tua tota provincia.

Omnique isto imperio) *Hittorp.* omnique imperio isto.

Epist. LXVI.

Familiæ vestræ) *Hittorp.* vestræ familiæ.

Movere debebat) *Sic MSS. & Vict. ed. vulg.* debeat.

Calamitosum) *Fort.* & calamitosum. *Lamb.*

Cum tuam justitiam secutus) *Sic Hittorp. Pal. prim. & sext. Victor. ed. vulg.* quando justitiam tuam secutus.

Tutissimum sibi portum) *Al.* portum sibi tutissimum.

Etiam atque etiam te rogo) Te *deest in Hittorp.*

In reliquiis veteris negotiationis) *V. c.* in reliquiis negotiationis veteris.

Et ceteris rebus tegas) *Forte*, & in ceteris rebus tegas. *Lamb.*

Epist. LXVII.

Τρεῖς διοικήσεις) *V. c.* treis diœceses.

Cum hospitem, tum vehementer) *Sic Hittorp. Pal. sext. Vict. ed. vulgo*, tum hospitem tum vehementer. *V. c.* vementer.

Non enim te fugit) *Sic Hittorp. & al. v. c. al.* non te enim fugit.

Quam multi grati reperiantur) *Hit-*

Hittorp. quam non multi grati reperiantur.

Vt & me non sine causa) *Sic Vatic. Amstelod. Hittorp. Pall. Vict. ed. vulgg.* ut me non sine causa.

Et tu ipse) *Sic MSS. & Vict. ed. vulg.* & ut tu ipse.

Mihi erit vehementer gratum) *Sic Pal. prim. & sext. Vict. ed al.* hoc mihi vehementer erit gratum.

EPIST. LXVIII.

Gratæ mihi vehementer) *V. c.* gratæ mihi vementer. *Pal. prim.* gratæ vehementer mihi.

Multo etiam erit gratius) Etiam *deest in Hittorp.*

Id est de statu provinciæ) *Hoc totum* id est *abest a Q. V. C. Amstelod. & Stewech. Mentel. Græv. sec.* & de statu provinciæ.

De reip. summa) *Hittorp.* de r. p. summa. *Pal. sext.* de rep. summa. *& sic malebat Lambinus.*

Quid agatur autem) *Hittorp.* quid autem agatur. *in aliis codicibus abest* autem.

Scribam sæpius) *Hittorp.* sæpius scribam.

EPIST. LXIX.

C. Curtius) *Palat. prim. & Amstelod.* Gaius Curtius. *Mentel.* C. Curcius.

Mithres) *Mentel.* Michares.

Ille quidem, ut scis, libertus) *Hittorp.* est ille libertus.

Postumi) *Sic MSS. & Victor. ed. vulg.* Postumii.

Atque illum ipsum patronum suum) *Hittorp.* atque patronum ipsum suum. *Pal.prim.* atque ipsum illum patronum suum.

Erga me experirer) *Hittorp.* erga me expertus sum.

Cuipiam opus est in Asia) *Sic Vict. ed. al.* cuipiam in Asia opus est.

Me non vulgariter) *Hittorp. Stew. Pal. prim. & sext. Amstelodam.* me non vulgare.

Sed ut pro homine intimo) *Stewech.* sed pro homine intimo.

Tantum & honoris mei causa commodes) *Sic Pal. prim. & Vict. ed. vulg.* tantum ei honoris mei causa commodes.

Omnia se adeptum arbitrabitur) *Hittorp.* omnia se adeptum arbitratur. *Pal. prim.* omnia se ademtum arbitrabitur.

Recipias in fidem) *Forte*, fidem tuam. *Lamb.*

EPIST. LXX.

P. SERVILIO COLLEGÆ) *Amstelod. & vulgg* P. Servilio Sulpicio Collegæ.

In hoc tempore) *Sic Pall. Stewech. Hittorp. Amstelod. Vict. ed. Q. V. C.* ut in hoc tempore. *vulgg.* ut hoc tempore.

Cum T. Ampio Balbo) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* cum T. Appio Balbo.

Te vehementer etiam) *Sic Amstelod. & Vict. ed. vulgo*, vehementer etiam *sine* te.

EPIST. LXXI.

Cum omnibus nota) *Sic Vict. ed. Hittorp. & alii quidam vet. cod.* quoniam omnibus nota. *vulgo*, quando omnibus nota. *sic Amstelod.*

Tuaque erga me benevolentia) *Sic Vatic. aliique MSS. & Vict. ed. vulgo*, tuaque in me benev.

Sed tamen etsi omnium causa) *Sic Palat. prim. sext. Hittorp. tres Guilielm. Amstelod. vulgo*, sed tametsi omnium causa.

T. Agusius) *Hittorp.* L. Augusius. *alii tres*, T. Augusius.

Sic tibi eum commendo) *Sic Vict. ed. & Q. V. C. vulgg.* sic eum tibi commendo.

Sibi magno usui, atque adjumento fuisse) *Vatic. & Vict. ed.* sibi magno usu atque adjumento fuisse. *Hittorp. & Pal. sext.* sibi usu magno atque ad f.

EPIST. LXXII.

Pro tuis in me perpetuis) *MSS. & Vict. ed.* proque tuis in me perpetuis.

Omnia te facturum) *Hittorp.* omnia te esse facturum.

Memi-

Meminisse te id) *Hittorp. Pal. sext.* meminisse id te.

Habere te magnam facultatem) *Sic Pal. pr. sext. Vict. ed. vulgg.* te habere magnam facultatem.

In Heredes C. Vennonii) *Hittorp.* in heredes Venoni. *Pal. prim. Mentel.* in heredes C. Vennonii. *Amstelod.* in heredes C. Vnonii. *Vatic.* in heredes C Venovii. *Grev. sec.* in heredes Caii Venonii.

Id senatusconsultum) *Hittorp.* idem senatusconsultum.

Tu interpretabere) *Pal. prim.* tu inpetrabere.

Cerelliæ benigne feceris) *Hittorp. & Pal. sext.* Cerelliæ benefeceris.

EPIST. LXXIII.

Quod si Romæ te vidissem, coram gratias egissem) *Sic Amstelod. & vulgg. Hittorp. & Palat. sext.* quod si Romæ fuissem, te vidissem, coramque gratias egissem. *Pal. sext. & Vict. ed.* quod si Romæ; te vidissem, coramque gratias egissem.

Succensuisse audivi) *Q. V. C.* suscensuisse audivi.

Quod si fieri possit) *Victor.* quid fieri posset. *Gebhard. ed.* quid fieri, & quid mea causa facere possis.

EPIST. LXXIV.

Tanta mihi cum eo) *Hittorp.* tanta enim mihi cum eo.

EPIST. LXXV.

Apud te mea commendatio) *Pal. prim.* apud te mea observantia commendatio.

C. Aviano Flacco) *Pal. prim. sext. Vict. ed.* C. Avianio Flacco.

Cum cupio, tum) *Sic Hittorp. Palat. sext. & Victor. ed.* cujus causa omnia tum cupio, tum mehercule etiam debeo.

A te idem illud peto) *Q. V. C.* a te illud idem peto.

De loco, quo deportet frumentum) *Pal. sext.* de loco quoque deportet frumentum. *al.* de loco, quid. d. f.

Aviano commodes) *Pal. sext.* Avianio commodes.

Cum se a me amari) *Sic Hittorp. Pal. sext. & Vict. vulg.* quando se a me amari.

EPIST. LXXVI.

Numquam me tamen gravem) *Stewech.* numquam me tam gravem.

Causa liberalissime) *Hittorp.* causa quam liberalissime.

C. Valgium Hippianum) *Duo MSS. Guilielm.* C. Valigium. *Hittorp. & Pal. sext.* C. Vallium. *duo alii MSS. Guilielm. Amstelod. Mentel. & Grev. sec.* C. Valignium. *Pal. prim.* C. Valignum.

EPIST. LXXVII.

Supplicationemque tibi libenter decrevi) *V. c.* supplicationemque libenter tibi decrevi.

Hoc ut tui) *Victor. ed. & Palat. prim. vulgg.* ut hoc tui.

M. Bolanum) *Sic MSS. & Victor. ed vulg.* M. Bollanum. *Amstelod.* M. Bellanum.

Ipsumque virum optimum) *Leg.* ipsum virum optimum. *Lamb.*

In majorem modum) *Sic Amstelod. Pal. sext. Victor. ed. vulgg.* majorem in modum.

Meam bibliothecen) *Sic Vatic. & Vict. ed. vulg* meam bibliothecam.

Naronæ) *Al.* Narone. *Vid. not.*

EPIST. LXXVIII.

ALLIENO) *Al.* Alieno.

Meque præter ceteros) *Sic Hittorp. Pall. Vatic. alii & Victor. ed. & Amstelod. vulgg.* meque præ ceteris.

Verum pæne Achaiæ principem) *Sic Pal. prim. & sext. Vatic. Vict. ed. vulgg.* verum etiam pæne Achaiæ principem.

Aditum ad) *Pal. sext.* aditu ad.

Patefacio & munio) *Sic Vatic. Palat. prim. sext. Amstelod. Vict. ed. vulgg.* patefacio & innuo. *Vid. Not.*

EPIST. LXXIX.

C. Avianum Flaccum) *Pal. prim. & sext. Hittorp. & Vict. ed.* C. Avianium. *al.* C. Avinium,

LI-

LIBER QVARTVS DECIMVS

EPISTOLA I.

TVLLIVS TERENTIÆ SVÆ, TVLLIOLÆ SVÆ, CICERONI SVO S. D.) *Sic Vatican. Amstelod. Hittorp. Stevvech. Pal. prim. & sext. Vict. ed. vulg.* Tullius Terentiæ. *al.* M. T. C. Terentiæ, & Tulliæ, & Ciceroni suis.

Qui ab iis me amari putabam) *MS.* qui ab his me amari putabam.

Cum sperare nos amici jubent) *Sic Hittorp. Pal. sext. Vict. ed. vulgo*, quando sperare amici nos jubent.

Scribis, faciemus) *Al.* scribis, faciendum.

Nunc quidem jam abiit) *Q. V. C. non habent adverbium temporis* nunc.

Me cupit esse secum) *Pal. sext.* secum me cupit esse. *Hittorp.* mecum cupit esse secum.

Quo neque Hispo veniret) *Hittorp.* quo nec ipso veniret. *duo Guilielm.* quo ne Hypso veniret. *Amstelod.* quo neque ipso veniret. *Palat. sext.* quo nec ipse veniret.

Plancius me retinet) *Pal. sext.* retinet me Plancius.

Vt nihil supra possit) *Sic Amstelod. Pal. sext. Vict. ed. vulg.* ut nihil supra possit esse.

Cum tam pauci sitis) *Q. V. C. non habent particulam* tam.

Certiorem factum esse) *Victor. ed.* certiorem esse factum.

Te vicum venditurum) *Al.* venditurum. *Vid. Not.*

Ne te in eumdem fletum adducam) *Pall. prim. & Vict. ed.* neque te in eumdem fletum adducam.

Salutem dic) *Q. V. C.* dicito. *al.* dices. *al.* S. D.

D. a. d. VI Kal.) *Al.* D. ante diem VI. *al.* D. ad diem VI.

Si me offendet) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* si offendet me.

Ad te scribam) *Sic Hittorp. Stevvech. Pal. sext. Amstelod. Vict. ed. vulgo*, & ad te scribam.

EPIST. II.

TVLLIVS TERENTIÆ SVÆ, ET TVLLIOLÆ, ET CICERONI SVIS S. P. D.) *Amstelodam.* Tullius salutem dicit Terentiæ suæ, & Tulliolæ, & Ciceroni suis. *Hittorp. & Stevvech.* Tullius Terentiæ S. & Tulliolæ, & Ciceroni. *ed. Gebh.* Tull. Ter. suæ, Tull. & C. suis S. D.

Me ad quemquam longiores epistolas scribere) *Vulgo*, ad quemquam me longiores epistolas.

Quidquam difficilius facio) *Palat. sext.* factu. *Hittorp.* facto.

Nisi tam timidi fuissemus) *Hittorp. & Pal. sext.* nisi tam timidi essemus.

Merito ejus amo) *Stevvech.* merito amo.

Si Pompeii voluntas erit) *Forte* accesserit. *Lamb.*

Sed Crassum tamen metuo) *Q. V. C.* sed tamen Crassum metuo.

Meæ miseriæ subleventur) *Pal. pr. Mentel. Grev. sec. Vatic. Amstelod.* meæ miseriæ sublevantur. *probat Gebhardus.*

A Vestæ ad tabulam Valeriam) *Pal. prim. & Stevvech. Amstelod. Victor. ed.* a Vesta ad tabulam Valeriam.

Vnde omnes opem petere) *Stevvech.* unde omnes petere opem.

Si illa erit nobis restituta) *MSS. & Vict. ed.* si illa nobis erit restituta. *quidam ex conjectura*, si villa nobis erit restituta. *male*.

In nostra manu) *Hittorp.* in manu nostra.

Miseram & spoliatam) *Sic MSS. Pal. sext. cum vulgg.* te miseram & spoliatam.

Eadem nos fortuna premet) *Stevv.* eadem vos fortuna premet.

Etiam ne reliquias tuas miseras projicias?) *Al.* etiamne reliquias tuas misera projicies. *al.* etiam reliquias tuas misera. *Amstelod.* etiamne reliquias tuas miseras projiceres.

Obse-

Obſecro te, mea vita) *Q. V. C.* vita mea.

Sine alios qui poſſunt) *Al.* & ſine alios qui poſſunt.

Timeo ut ſuſtineas) *Al.* timeo ne ſuſtineas.

Vt id quod ſperas) *Q. V. C.* ut & id quod ſperas.

Niſi ad eos) *Sic Hittorp. Peck. Palat. prim. & ſext. Vict. ed. vulgg.* niſi aut ad eos.

Vos aliquid ſcribitis) *Hittorp.* aliquid vos ſcribitis.

Cum ita vobis placet) *Sic Vict. ed. vulgg.* quoniam vobis ita placet. *Hittorp.* qm v. i. p.

Theſſalonica) *Sic Pal. prim. ſext. & Vict. ed. vulgg.* Theſſalonicæ. *Amſtelod.* Theſſalonice.

E P I S T. III.

Tris epiſtolas) *Sic Amſtelod. Pal. pr. & ſext. Hittorp. & alius Guilielmii vulgo*, tres epiſtolas.

Nec meæ me miſeriæ) *Sic MSS. al.* nec me meæ miſeriæ.

Magis excruciant) *Palat ſext.* plus excruciant. *in Vict. ed. deeſt* magis.

Mea propria eſt) *Forte*, mea proprie eſt. *Lamb.*

Nobis mihi fuit) Nobis *abeſt in v. q. c.*

Cum dolore conficiar) *Sic Vatic. Palat. ſext. Victor. ed. vulgo*, cum dolore conficior.

Virtutem & diligentiam præſtitiſſe) *Hittorp.* virtutem & indulgentiam præſtitiſſe.

Mi ante oculos) *Sic Pall. & Victor. vulgo*, nam mihi ante oculos.

In tantis miſeriis) *Vatic. & Vict. ed.* in his tantis miſeriis.

Deſippo dedi) *Sic MSS. vulgo*, Dexippo dedi. *& ſic poſtea.*

Statim Ariſtocritum miſi) *Deeſt in Stevvech.* ſtatim.

Poſſes ſcribere) *Hittorp.* poſſet ſcribere. *forte*, poſſetis ſcribere. *Guilielm.*

Ita imperavi, ſtatim ut recurreret) *Hittorp. & Pal. ſext.* ita ſtatim ut recurreret imperavi.

Et ſum tuto) *Sic Vatic. Pall. tres Guilielm. Amſtelod. vulgo*, & ſim tuto.

Civitas enim hæc ſemper) *Sic Pall. Amſtelod. Vict. ed. vulgg.* civitas enim ſemper.

Te, ſi velim) Te *in Stevvech. deeſt*.

Sed nihil opus eſt) *Sic MSS. al.* ſed nihil eſt opus.

At ſummum ſecundis litteris tuis) *Sic Pall. Hittorp. Stevvech. Vict. ed. vulg.* aut ad ſummum ſecundis litteris. *Amſtelod.* ut ſummum ſecundis litteris. tuis *abeſt in Hittorp.*

Magis jam rem) *V. c. non habent particulam* jam.

Debeo ſpectare) *Sic Palat. prim. duo Guilielm. Amſtelod. vulgg.* debeo exſpectare. *Pal. ſext.* debeo ſperare.

Debilitor lacrymis) *Stevvech.* delibitor lacrymis.

Decembr. Dyrrachii) *In MSS. & Victor. ed. non legitur* Dyrrachii.

E P I S T. IV.

Aut veſtras lego) *Al.* aut veſtras litteras lego.

Vitæ cupidi fuiſſemus) *Sic Vatic. Hittorp. Pal. ſext. Amſtelod. Vict. ed. vulgg.* vitæ cupidus fuiſſem.

Si hæc mala fixa ſunt) *Sic Pal. prim. ſext. Amſtelod. Vict. ed. vulgg.* ſin hæc mala fixa ſunt.

Quando neque dii) *Vict. ed.* cum neque dii. *Hittorp.* qm neque dii.

Quibus ego ſemper ſervivi) *Al.* quos ego ſervavi ſemper. *Vid. Not.*

Apud M. Lenium Flaccum) *Sic Vatic. & plures alii MSS. & Victor. ed. vulg.* M. Lemnium Flaccum.

Præ mea ſalute) *Sic Vatic. & Vict. ed. Pal. prim. & ſext.* pre mea ſalute. *Amſtelod. & vulgg.* pro mea ſalute.

Profecti ſumus a. d. v. Kal. Mai.) *Al.* p. ſ. ad v. *al.* ad II. Cal. Maias.

O me perditum! o afflictum) *Al.* o me afflictum. *Vid. Not.*

Et corpore & animo confectam) *Pal. ſext.* affectam. *q. v. c.* & animo & corpore confectam.

Et rem adjuves) *Sic Pall. Hittorp. Peck. Vict. ed. vulg.* & re adjuves.

Plane periiſſe) *Sic Pal. prim. & ſext. vulgo*, periiſſe.

Quid

Quid de Tulliola mea fiet) *Stewech.* quid Tulliola mea fiet.

Mihi deest consilium) *Peck.* mihi non est consilium.

Se res habebit) *Sic MSS. & Vict. vulgg.* res se habebit.

Quid ? Cicero meus quid aget ?) *Al.* quid Cic. meus, quid aget ?

Non queo plura jam scribere) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* jam plura scribere.

Ita promissum est) Est *abest in MS.*

Quisque esset meritus) *Palat.* quisque esset maritus.

Id velim sit ejusmodi) *Hittorp.* id velim ut sit ejusmodi.

Nunc miser) *Hittorp.* & nunc miser. *leg.* sed nunc miser.

Atque ego) *Al.* itaque ego.

Philetærum) *Hittorp.* Philotærum. *al.* Philaterum.

Hominem fidelem remisi) *Sic MSS. al.* fidelem hominem remisi.

Sallustius officio vincit omnes. Pescennius.) *MSS.* Sallustius officio vincit omnes spes. Cennius. *sic & Pall. & Amstelod. Vid. Not.*

Me vehementius tua miseria) *Pal. prim. & sext. & Victor. ed. vulgg.* vehementius me tua miseria.

Kalendas Maji) *Abest in duobus MSS.* Maji.

Epist. V.

De nave exeuntibus) *Sic Amstelod. Pal. prim. & sext. Hittorp. Stewech. vulgg.* de navi exeuntibus.

Quibus intellexi) *Al.* ex quibus intellexi.

Neque sum admiratus) *Hittorp.* neque enim sum admiratus. *Al.* neque sum miratus.

Venire cupimus) *Amstelodam. Pal. prim. & sext. Hittorp. Stewech. Mentel. Græv. sec.* venire cupiamus.

In quam remp. venimus) *V. c.* in quam remp. veniamus.

Ex multorum litteris) *Q. v. c. non habent præpositionem* ex.

Sed cum subeunda fortuna est) *Sic Hittorp. & Pal. sext. Vict. vulgg.* sed quando subeunda fortuna est.

De hereditate Preciana --- sed hoc velim cures) *Al.* d. h. Prætiana --- hoc v. c. *omisso* sed.

Epist. VI.

M. T. C. TERENTIÆ ET TVLLIÆ S. P. D.) *Al.* Cic. S. D. Ter. suæ. *Amstelod. & plures alii veteres libri*, suis S. D. *Vid. Not. Manut. Palat. prim. & sext.* M. T. C. suis S. D. *Hittorp.* M. Cicero S. D. suis. *al.* Tullius Ter. suæ S. *al.* Tullius suis S.

Prædium nullum venire potuisse) *Hittorp.* prædium venire potuisse.

Videatis velim) *Sic Vatic. Pal. pr. & sext. Amstelod. Vict. ed. vulgg.* videatis velim.

Cui scitis me satisfieri velle) *Sic MSS. omnes vulgg.* cui scis me satisfieri velle.

Pellicem) *Sic MSS. vulgg.* Pollucem.

Vale) *Deest in Hittorp. Stewech. Amstelod. aliisque vett. codd.*

Epist. VII.

ET TVLL.) *Absunt in quatuor Guilielmii, Amstelod. Mentel.*

Omnis molestias) *Sic Pal. prim. & sext. vulgo*, omnes mol.

Quibus & te miserrimam habui) *Vict.* quibus & te miserrimam habuit. *Stewech.* quibus te miserrimam habui.

Tulliolamque, quæ nobis) *Pal. sext. & Victor. ed.* Tulliolam, quæ nobis. *Amstelod.* Tulliolam quæque nobis. *Hittorp.* & Tulliolam. *recte*.

Quam a vobis discessi) *Hittorp.* quam a nobis discessi.

Vt mihi Deus aliquis medicinam) *Stewech.* ut Deus mihi aliquis.

Satisfacias) *Lamb.* satisfacias velim. *al.* velim facias.

Navem spero) *Sic MSS. vulgg.* navim spero.

Simul atque conscendi) *Venet.* simul ac conscendi. *Mentel.* in eam simul conscendi.

Quo animo fortiore) *Pal. prim. & Vict. ed.* quod animo fortiore essetis. *Amstelod.* & quod animo fortissimo essetis. *supra scriptum erat*, quod animo fortiores essetis. *& sic Mentel. & Græv. sec.*

Fortiores cognossem) *Pal. sext. & Vat.* fortiores cognoscerem.

Sperem esse) *V. c.* sperem fore.

Remp. defensurum) *Hittorp. Pall.* duo.

duo Vat. Vict. ed. remp. defensuros. *sed Amstelod. Mentel. & Grav. sec. stant pro vulgati*.

Villis iis utere) *Sic Amstelod. & tres Guilielm. Victor. ed. vulgg.* villis ỉis utare.

Bene poteris uti) *Hittorp.* uti bene poteris. *Pal. sext.* uti poteris, *sine* bene.

Dat. III. Idus) *Hittorp.* Dat. VII. Idus.

EPIST. VIII.

Ego valeo) *Sic Pal. prim. sext. Amstelodam. Hittorp. vulgg.* ego quidem valeo.

Me fecisti de Cæsaris litteris) *Q. V. C.* me fecisti de litteris Cæsaris.

EPIST. IX.

Dolor Dolabellæ valetudine) *Amstelod. Pal. prim. Stevvech. Mentel. Grav. sec.* accessit dolor, & Dolabellæ valetudine. *Hittorp. & Palat. sext.* & de Dolabellæ.

Et Tulliæ) *Hittorp.* & de Tulliæ.

EPIST. X.

Cum eo si locuta eris) *Stewech.* cui si locuta eris.

Cum ad illum scripseram) *Sic Vict. ed. vulgg.* quando ad illum scripseram.

De ea re) *In Hittorp. abest* re.

EPIST. XI.

XVII. Kalend. Quintil.) *Sic Amstelod. & Vict. ed. vulg.* XIV. Kal. Quintil.

EPIST. XII.

Hoc tempore nihil est) *Hittorp.* hoc tempore nihili est.

Non video) *Hittorp.* non videbo.

EPIST. XIII.

Ignoro. Si metuendus) *Sic Amstelod. Pal. prim. Vict. ed. vulgo*, non ignoro. Si metuendus, *Hittorp.* ignoro. sed si metuendus.

Si metuendus iratus est, quies tamen ab illo fortasse nascetur. Totum judicabis quale sit) *Hittorp.* sed metuendus iratus est, quiesce tamen ab illo. *Palat. sext.* si metuendus iratus est, quiesces tamen ab illo: fortasse nascetur totum: judicabis quale sit.

EPIST. XIV.

Quid sit vobis faciendum) *Hittorp.* quid sit nobis faciendum.

Satis vobis prodesse) *Vatic. Pal. pr. & sext. Amstelodam. Vict. ed.* satis nobis prodesse.

Ne jam intercludamini) *Palat. pr. & sext. & Mentel.* ne jam intercludamur, *Vatic.* ne jam intercludamus. *Amstelod.* ne jam intercludam. *Grav. sec. stat pro vulgata*.

Quomodo quidem nunc se res habet) *Sic Palat. prim. duo Guilielm. Amstelod. Vict. ed. vulgg.* quomodocumque nunc res se habet. *al.* quoquo modo quidem nunc.

Esse poteritis) *Peck.* esse poteris.

Animo forti sitis) *Q. V. C.* forti animo sitis.

Ab urbe discedit) *Hittorp.* ab urbe discessit.

Quintus pater) *Al.* Quintus frater.

Menturnis) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgo* Minturnis.

EPIST. XV.

Etsi nihil erat novi) *Hittorp.* nihil erit novi.

EPIST. XVI.

Tamen nescio quomodo & ipse vestras litt. exspecto, & scribo ad vos) *Al.* t. n. q. & vestr. l. e. & s. ipse a. v.

Ut ii voluerunt) *Hittorp.* ut ei voluerunt.

Qui me de mea sententia) *Hittorp. Stewech. Palat. sext.* qui me de sua sententia.

Pridie Kal. Ianuar.) *Hæc verba in Amstelodam. absunt & in Peck.*

EPIST. XVII.

Nunc quæ sunt negotia vides) *Lambin.*

lin. nunc quæ sint negotia vides.

Quomodo sim affectus) *Peck.* quomodo sim afflictus.

EPIST. XVIII.

Considerandum vobis) *Hittorp.* nobis.

An mecum) *Vatic.* aut mecum.

Posse nobis adjumento) *Al.* posse vobis adjumento.

Si quæ vis) *Sic Vict. ed. vulg.* si qua vis.

Rursus illud) *Hittorp.* rursum illud.

In qua ego sum) *V. p.* in qua sum ego.

Cum oppidorum) *Sic MSS. & Vict. ed. vulg.* tum oppidorum.

Commode & in nostris esse possitis) *Sic Palat. prim. & Victor. ed. vulgo,* commode & in nostris prædiis esse possitis. *al.* c. e. i. n. possitis esse.

Mihi plane non satis constat) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgo,* mihi non plane satis constat.

VIIII. Formiis) *Sic Pal. prim. & sext. & Vict. ed. vulgo,* octavo Kalendas Febr. *in Hittorp. & Stewech. hæc verba desiderantur. Amstelodam.* XIIII. K. Formiis. *Mentel.* VIII. Kal. Formiis. *Grævii secundus* octavo Kalendas Formiis.

EPIST. XIX.

Video ita esse faciendum) *Stewech.* video ita faciendum.

Etiam ante fecissem) *Q. V. C.* & jam ita fec.

EPIST. XX.

Nos venturos) *al.* n. futuros.

Ibi ut sint omnia parata) *Sic Pal. sext. & Vict. ed. vulg.* ubi fac ut sint omnia parata.

In balineo) *Sic Vatic. Vulg.* in balneo.

Fac ut sit) *Vatic. Palat. prim. & sext. Vict. ed. non habent* fac.

Et ad valetudinem) *Sic MSS. & Vict. ed. vulg.* & valetudinem.

Kal. Octobres) *Sic Amstelod. Pal. pr. & sext. Victor. ed. vulgo,* IIII. K. Octobres. *al.* V. Kal. O.

De Venusino) *Quatuor Guiliem.* de Venusio. *Pal. sext.* Devenusine.

EPIST. XXII.

Nos quotidie) *Hittorp. Stewech.* nos tota die.

Tabellarios vestros) *Victor. ed. Hittorp. Stew. Amstel.* tabellarios nostros.

Kalendis Septembribus) *Stewech.* Kalendis Septembris.

EPIST. XXIII.

Redditæ mihi tandem) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgo,* redditæ mihi jam tandem.

Opinione celerius) Opinione *non est in Hittorp.*

Pridie Idus Sext.) *Peck.* Pridie Kl. Sext. *Hittorp.* Prid. Sex. *Amstelod.* D. pr. K. Sextiles.

LIBER QVINTVS DECIMVS

EPISTOLA I.

M. TULLIUS M. F. CICERO) *Sic MSS. vulgo,* M. T. C. M. F.

SENATUI P. Q. R.) *Hæ notæ* P. Q. R. *absunt a MSS.*

Si vos B. V. B. E. E. Q. V.) *Stewech.* Si vobis bene est ego quoque valeo.

Cum omnibus fere suis copiis) Fere *abest a quibusdam v. c.*

Qui ei regi minorem fidem) *Hittorp. & Palat. sext.* qui ei rei minorem fidem. *Amstelod.* qui eo regi minorem fidem.

In finibus Lycaoniæ & Cappadociæ) *Palat. prim. Amstelod. Stewech. Mentel. Græv. sec.* in finibus Lycaoniæ e Cappadocia.

Tarcondimoto) *Codex Guiliem.* Tharchondimoto. *duo alii Guilielm.* Tarcendimoto. *al.* Tarchond.

Pacorum Orodis, regis Parthorum) *Hittorp. Pal. sext Amstelod. Vict. ed.* Pacorem Orodi Regis Parthorum.

Ab Iamblicho) Iamblico *Victor. & Gebh. edit. Peck.* ab Lamblicho. *Hittorp* abi amphico. *Palat. sext.* Abiamplicho.

Arabum phylarcha) *Pal. prim.* Arabum philarcho.

De eisdem rebus) *Hittorp. & Pal. sext.* de hisdem rebus.

Si æquitatis nostræ) *Sic Vatic. Peck. Hittorp. Stewech. Vict. ed. sed Amstelod. cum vulgatis*, si equitatus nostri particeps.

Magno opere vos hortor) *Sic MSS. vulgo*, magnopere vos hortor.

Nos quemadmodum instructos) *Peck. Palat. sext. Stewech.* vos quemadmodum instructos,

Non stultitia obcæcatus) *Palat. sext.* obsecatus.

Res sese sic habet) *Vict. ed.* res se sic habet.

Quamobrem autem in hoc) *Peck. Stewech. Palat. prim.* quamobrem ut, in hoc.

Et diffugiunt) *Q. V. C.* & diffugerunt.

Quod genus hoc militum sit) *Q. V. C.* quod genus militum hoc sit.

Iudicavit vir fortissimus) *Sic Palat. sext. & Vict. ed. vulgg.* indicavit vir fortissimus.

Cum vos ei permisistis) *Sic Vaticane Palat. prim. & sext. Victor. ed. vulg.* cum ei permisissetis.

Aut ita imbecilla sunt) *Hittorp.* aut ita imbella sunt.

Nos juvare possint) *Hittorp. & Pal. sext.* nos tutare possint.

Nec voluntate sunt) *Sic MSS, edd. nonnullæ*, neque voluntate sunt.

Animus certe non deerit) *Q. V. C.* certe animus non deerit.

EPIST. II.

SENAT. P. Q. R.) *Absunt in MSS.* P. Q. R.

In meam provinciam) *Vatic. Hittorp. Victor. ed.* in eam provinciam.

Conjunctum haberem, cu us) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* conjunctum haberem hominem, cujus.

Adjuvari posset respublica) *Q. V. C.* juvari p. r.

Firmiores animos omnium faceret) *Sic Hittorp. Stewech. Vatic. Pall. prim. & sext. Victor. ed. vulg.* firmiores animos hominum faceret.

Philorhomæum) *Al.* Philoromæum.

Incolumitatem regnumque def.) *Lamb.* & incolumitatem. *al.* & incolumitatem regni defenderem.

Regi regnoque præsidio essem) *Stewech.* regno regique præsidio essem.

Salutem ejus regis) *Vatic.* salutem ejusque regis.

Populo, senatuique magnæ curæ esse) *Sic Pall. & Vict. ed. vulgo*, populo senatuique R. m. c. e.

A nostro ordine) *Al.* a vestro ordine.

Cum salus ipsius, incolumitas regni mihi commendata esset) *Sic Hittorp. Pal. sext. & prim. Amstelod. Victor. ed. vulgo*, quando salus ipsius & incolumitas regni. *in Pal. sext. abest* ipsius, *& in Amstelodam.* quando ... cum.

Quod ei permagnum) *Hittorp. & Pal. sext.* quod & permagnum *Stewech.* quod & ei permagnum.

Permagnum & perhonorificum) *Amstelodam. & Mentel.* permagnum & honorificum.

Atque illo primo) *Sic Vatic. Pal. sext. Hittorp. Stewech. Amstelod. vulgg.* ille primo.

Quod mihi maximæ lætitiæ fuit) *Sic Hittorp. Stewech. Palat. sext. Victor. ed. vulgo*, quod mihi maxime lætitiæ fuit.

Cum ego ei gratulatus essem) *Sic Pal. prim. & sext. Vict. ed. vulg.* cum ei ego gratul. es.

Idque me gaudere dixissem, cohortatus) *Pal. sext. & Hittorp.* idque me gaudere dixissem: & tamen adolescentem esse cohortatus.

Atque admonitu senatus) *Amstelod. & Stewech.* atque admoniti. *Guiliel.* atque admonitum.

Postero autem die) *Stewech.* postremo autem die.

Cum Ariarate fratre) *Sic Vict. edd. vulgo*, cum Ariarathe fratre.

Et cum paternis amicis) *Al.* & paternis amicis.

Vestram commendationem) *Al.* vestramque commendationem.

Occultata) *Hittorp.* ocultata.

Propter metum reticuissent) *Q. V. C.* pro-

C. propter metum obticuissent. *Palat. sext.* tacuissent. *Stevvech.* renunciassent.

Compluris ea) *Sic Peck. vulgo*, complures ea.

Audacter ad se detulisse) *In Hittorp. abest* audacter. *Stevvech.* audacte.

Amantissimum sui) *Hittorp.* amantissimum sibi. *Stevvech.* amantissimum suum.

Dicere ea, quæ is me quoque) *Stevvech.* dicere ea, quæ me is quoque. *Lamb.* dicere ea, quæ is me quoque.

Amicosque patris ejus avique judicio probatos) *Vid. Not.*

Docti casu acerbissimo) *Hittorp.* edocti casu acerbissimo.

Cohortesque de exercitu) *Hittorp.* cohortisque de exercitu.

Vestro senatusconsulto) *Palat. prim. & sext.* vestro senatus consilio.

Posse me id facere) *Hittorp.* posse id me facere.

Propter quotidianos) *Hittorp. & Stevvech.* propter cotidianos.

Cumque mihi rex) *Q. V. C.* cumque rex mihi.

Pœna afficeret eos, quos necesse esset) *Sic Hittorp. Stevvech. Pal. sext. vulgg.* pœna afficeret, quos necesse esset.

Cum senatusconsultum nossent) *Sic Vict. ed. vulgg.* quando senatusconsultum nossent. *Hittorp.* cum SC. novissent.

Præsidio esse futurum) Esse *abest a v. c. & Pal. sext. ac Vict. ed.*

Iter in Ciliciam facere institui) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* & iter in Cil. f. i.

Quemque meæ fidei commendassetis) *Hittorp.* quem & meæ fidei mandassetis.

Magnæ vobis curæ esse) *Q. V. C.* magnæ curæ vobis esse.

Præsentibus insidiis liberaret) *Sic Pal. prim. & sext. Victor. ed. vulgg.* præsentibus insidiis liberasset.

Tantam curam in ejus vos salutem videamini contulisse) *Sic Pal. prim. & sext. & Vict. ed. sed Amstelod.* tantam curam in ejus vos salutem diligentiamque videamini contulisse. *Mentel.* tantam curam in ejus nos salute diligentiaque videamini contulisse. *vulgati*, tantam curam benevolentiamque in ejus vos salutem videamini contulisse. *al.* t. c. dilig. q. i. e. v. s. v. c.

EPIST. III.

MARCVS CICERO M. CATONI S. D.) *Sic MSS. vulg.* M. T. C. Procos. Imp. M. Catoni S. D. *Vid. Not.*

Ad Euphratem) *Hittorp.* Euphraten. *Pal. sext.* Eufraten. *& sic post.*

Magna manu venisse) *Hittorp.* magna venisse manu.

Circiter Idus Sextilis) *Sic Hittorp. & Pal. sext. vulgg.* circiter Idus Sextiles.

Omnia certiora sperlatum iri) *In Peck. deest* certiora.

Maximæ curæ est) *Sic Vict. ed. vulgo*, maxime curæ est.

Tenere vix possumus) *V. c.* vix tenere possumus.

Defendas. Vale) Vale *in MSS. abest.*

EPIST. IV.

Esse eundum) *Vatic.* esse eundem.

Triduum Synnadis) *Al.* Synade. *Lamb.* Synadæ.

Denique etiam fine) *Hittorp. & Pal. sext.* denique sine centurione.

Apud Philomelum consedissent) *Amstelod.* apud Philomeleum. *Hittorp. & Pal. sext.* apud Philomeneum.

M. Anneio legato) *Pal. prim. & sext.* Manneio legato. *al.* Maneio l.

Diligenter esset actum) *Hittorp. & Pal. sext.* diligenter esset factum.

Equitatum satis idoneum) *Pal. pr. sext. Hittorp. Stevvech.* equitatum sane idoneum.

Et populorum liberorum) *Amstelod.* & populum liberorum.

Regumque sociorum) *Al.* Regumque & sociorum.

Cum de Syria) *Al.* tum de Syria.

Quinque dies essem commoratus) *Vatic. Hittorp. Q. V. C. Victor. ed.* quinque dies essem meratus.

Metram & eum) *Peck.* & Metram & eum.

Et toto iis) *Al.* & sociis iis. *al.* & tuto *al.* & iis. *Vid. Not.*

Antiochiam) *Palat. prim. & Amstelod.* Antiocheam.

Quo ut veni) *Al.* quo cum veni.

Si quid forte novi accidisset) *Q. V. C.* si quid novi forte accidisset.

Vtrique provinciæ) *Al.* utrinque provinciæ.

Si ita tempus ferret) *Duo Memm.* si ita opus foret.

Tum id, quod jam ante statuetam) *Sic Vatic. Pal. pr. Vict. ed. vulgo*, tamen id, quod jam ante constitueram. *Q. V. C.* tamen id quod jam ante statueram.

Abessemque ab Amano) *Al.* abessemque Amano.

A. d. IIII. Id. Octob.) *Al.* ante diem Idibus Octob.

M. Anneius) *Al.* Manneius.

Interclusi fuga. Eranam) *Amstelod.* interclusi fugerunt; amavi autem. *al.* reliqui interclusi fuga. Eranam autem. *vulgg.* interclusi reliqui. Fugeranam autem.

Sepyram & Commorin) *Sic Vatic. Pal. sext. Vict. ed. Pal. prim.* Sepyram & Comminorim. *Amstelod.* Sepiram & Commori. *al.* Sepyram & Commori. *vulgg.* Sepyram & Ceminorim. *Manut.* S. & Commorim.

Pontinio illam partem) *Hittorp.* Pomtinio illam partem. *Amstelod.* Pomitinio illam partem. *al.* Pontino, *etiam paullo ante*.

Magna multitudine hostium occisa) *Peck.* magna multitudine hominum excisa.

His rebus ita gestis) *Hittorp.* his ita rebus gestis.

In reliquiis Amani) *Pal. sext.* in reliquis Amani.

Eleutherocilicum) *Hittorp.* Eleutherorum Cilicum.

Vsusque tormentis multis) *Pal. prim. & sext.* usufque multis tormentis.

Tibarani) *Sic Victor. ed. tres Guilielm.* Tiburani. *Peck.* Thebani. *Palat. sext.* Toberani. *Pal. prim.* Thebarani. *Amstelod. & Grev. sec.* Tebarani. *al.* Tabarani. *Mentel.* Treba.

Tu enim is) is *deest in MSS.*

Omnia consequi me arbitraret) *Vatic. Pal. prim. & sext. Amstelod.* omnia adsequi me arbitrarer. *Q. V. C.* omnia me assequi arbitrarer.

Quas is consul) *Sic Hittorp. & Vict. ed. vulgg.* quas consul in urbe gessisset.

Et multo etiam magis si) *Tres Guilielm. & Palat. sext.* & multo magis etiam, si. *Q. V. C.* & multo magis, si.

Vt præstantissimas tuas virtutes non tacitus admirarer) *Sic MSS. & Victor. ed. vulgg.* non ut præstantissimas tuas virtutes tacitus admirarer.

Vt mihi quidem sentire videor) *Vict. ed.* ut sentire quidem mihi videor.

Non modo non calamitatem) *Palat. sext.* meam non modo calamitatem.

In qua inest aliqua vis desiderii) *Hittorp. & Palat. sext.* in qua inest aliquid vis desiderii.

Sed tale) *Hittorp.* si tale.

Paribus rebus) *Palat. sext.* partibus rebus.

A senatu consecuti sint. Equidem) *Palat. sext.* a senatu consecuti. In te quidem. *si. & Hittorp.*

Etiam mihi illud animum advertisse videor) *Sic Hittorp. Palat. prim. & sext. Vict. ed. vulgg.* etiam mihi illud animadvertisse videor.

Aut non habendis honoribus) aut non habendis *desunt in Hittorp. & Palat. sext.*

Exercitu imbecillo) *Hittorp.* imbello. *Pall. sext.* in bello.

Duæ maximæ clientelæ) *Al.* duæ maxime clientelæ.

Pauciores viri reperti sunt) *Vox* viri *abest ab aliquot v. c.*

In forum atque in rempublicam) *Sic Hittorp. Pal. prim. & sext. Vict. ed. vulg.* in forum atque rempublicam.

Quamobrem tibi sic persuadeas) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* quamobrem sic tibi persuadeas.

Me sic existimaturum) *Sic duo Guilielm. Pall. Vat. Amstelod. Vict. ed. vulg.* me existimaturum.

Vale) *Deest in MSS.*

EPIST. V.

M. CATO M. T. C. IMP. S. P. D.) *Hittorp.* M. Cato C. Imp. S. D.

Pari industria administrari) *Sic Vatic. Palat. sext. Victor. & Manut. edd. vulgg. Amstelod. Mentel. & Grev. sec.* administrare.

Sed summa tua ratione) *Hittorp.* summa tua ratione.

Et continentia) *Hittorp.* & conscientia.

Si

Si triumphi prærogativam putas) *Al.* si triumphi prærogativam putas esse.

Idcirco casum potius, quam te laudari) *In Hittorpiano deest* potius.

Quam te laudari mavis) *Lamb.* vis.

Quod amplissimum sim arbitratus) *Sic Hittorp. & Vict. ed. al.* quod amplissimum sum arbitratus.

Severitatem diligentiamque) *Sic Vatic. Pall. Peck. Stewech Hittorp. Amstelod. Victor. ed. vulgg.* securitatem indulgentiamque.

EPIST. VI.

Abs te pater, laudato viro) *Vatic. Palat. sext. prim. Peck. Vict. ed.* abs te pater, a laudato viro.

Idque mihi cum amplissimum) *Sic Pal. prim. & sext. & Vict. ed. vulg.* tum amplissimum.

Et si non modo omnes, verum etiam multi Catones essent) *Vid. Not.*

Quam ea tua oratio) *Palat. sext.* quam ea tua æstimatio.

Non ut nimis concupiscendus homos) *Sic Palat. prim. sext. & Victor. ed. vulg.* ut non nimis c. h.

Spero autem illum ordinem) *Ad marg. Pal. prim.* spero autem illum honorem.

Sic enim fecisse te, & sensisse, & verius scripsisse video) *Sic Vat. Pall. & alii MSS. & Victor. ed. vulg.* sic enim fecisse te, & scripsisse, & verius sensisse video.

Iucundum fuisse) *Al.* fuisse jucundum.

Cujus de honore agitur) *Hittorp. Peck Pal. prim. & sext. Amstelod.* cujus honore agitur.

EPIST. VII.

C. MARCELLO) *Al.* M. Marcello.

Atque a te pro tua) *Al.* atque a te peto pro tua.

Cum te semper amavi dilexique) *Sic Palat. prim. & sext. & Vict. ed. vulgg.* cum te semper dilexi amavique.

Tum mei amantissimum cognovi) *Sic Pall. prim. sext. Vict. ed. Hittorp.* tum te mei amantissimum cognovi. *al.* cum mei jam amantiss. cognovi, *vulgg.* quod mei amantissimum cognovi.

Secundis, & sum totus vester, & esse debeo) *Al.* secundis: & necesse est ut sim totus vester, & esse debeam. *Vid. Not.*

Peto in majorem modum) *Sic MSS. & Vict. ed. ut supra sæpe. vulgo,* peto majorem in modum.

EPIST. VIII.

C. MARCELLO) *Al.* M. Marcello.

Mirandum in modum) *Sic MSS. al.* mirum in modum. *Vid. Not.*

Vel in labore meo, vel in honore) *Q. V. C.* vel in honore meo, vel in labore.

EPIST. IX.

Hæc epistola hunc locum tenet in Gebhardi & Lambini editione, in MSS. tamen & aliis edd. numero est VII.

Non dubito quid præsentes sentiant) *Hittorp.* & non dubito quid præsentes sentiant.

Nos quidem longinqui) *Deest in Hittorp. & Pal. sext.* longinqui.

Ad cælum mehercule tollimus) *Sic Hittorp. Amstelodam. Mentel. Græv. sec. Vict. ed. vulgg.* ad cælum mehercule te tollimus.

In omni genere semper) *Hittorp. Pal. sext.* omni in genere.

EPIST. X.

MARCELLO C. F. CONSVLI DESIGN.) *Al.* Marc. C. F. Consuli. *etiam seq. ep.*

Quando id accidit) *Hittorp. & Pal. sext.* quoniam id accidit. *Vict. ed.* cum id accidit. *& sic statim.*

Et honos earum) *Sic Hittorp. Palat. sext. & prim. Victor. ed. vulgg.* & honor earum.

Id quod facillimum factu est) *Sic Vict. ed. vulg.* quod facillimum factu sit.

Vt quam honorificentissimum) ut *abest a q. v. c.*

Faciundum cures) *Sic Hittorp. vulgo,* faciendum.

Neque honori amicior) *Hittorp. Pal. sext.* honoris.

Cuiquam concessisti) *Hittorp.* cui num-

numquam concessisti.

In majorem modum) *Sic Pal. sext. & Victor. ed. vulgo*, majorem in modum.

Commendatam putes) *Hittorp.* commendata putes.

EPIST. XI.

Quantæ curæ tibi meus honos fuerit) *Sic MSS. & Vict. ed. vulg.* quantæ tibi curæ meus honor fuerit.

Consul in me ornando) *Hittorp. & Pal. sext.* in me Consul ornando.

Cum studiose ac libenter) *Sic Vatic. Pall. prim. sext. Amstelod. Vict. ed. vulg.* cum studiose tum libenter.

Iam ante conjunxerant) ante *deest in Peck.*

Ego unus debeam) *Palat. sext.* ego solus debeam. *Hittorp.* ego debeam.

Vale) *Deest in Hittorp.*

EPIST. XII.

Etsi mihi numquam fuit dubium, quin te) *Q. V. C.* etsi mihi numquam dubium fuit, quin te.

A teque ex tua) *Peck.* atque ex tua.

Quando hic nec opinatus) *Pal. sext.* quoniam hic nec opinatus. *al.* cum h. n. o.

Et improvisus) *Palat. sext.* est improvisus.

Vt operam des, efficias) *Palat. prim. & sext.* ut operam des, efficiasque.

EPIST. XIII.

Sed tamen navare operam volebam) *Palat. sext.* sed tamen eo navare operam volebam. *Lamb. forte*, tibi navare operam.

Studium tuum adolescentis) *Sic Victor. ed. vulgo*, tuum studium adolescentis.

Sed ita fato nescio quo contigisse) *Vict. ed.* sed id fato nescio quo contigisse.

Honorificentissimum senatusconsultum) *Peck.* honorificentissime senatusconsultum.

Notaque omnibus sit nostra necessitudo) *Q. V. C.* notaque sit omnibus nostra necessitudo.

Vt & quam honorificentissime) quam *abest in Peck.*

Dignas res esse honore) *Sic Hittorp. Palat. sext. quidam alii vett. codd. Vict. ed. vulgg.* dignas res esse & honore, & gratulatione.

Omniaque spero) *Sic Vict. ed. vulgo*, omniaque quæ spero.

EPIST. XIV.

M. T. C. Cassio) *Hittorp.* M. T. C. Imp. Cassio.

Proquæst.) *Abest in MSS.*

Sed tamen quod ab eo egregie diligi sensi, multo) *Sic Pal. sext. & Victor. ed. vulgg.* sed tamen quod te ab eo egregie diligi sensi, multo. *Pal. prim. & Amstelod. Mentel. Grev. sec.* sed tamen quod egregie ab eo diligeris, multo.

Quamquam profecerunt tuæ litteræ) *Sic Vatic. aliique MSS. & Vict. vulg.* profecerint.

Quem jam diu facio plurimi) *Sic Victor. ed. vulg.* quem jam diu plurimi facio.

Id eum non accidit) *Sic Hittorp. Palat. sext. Victor. ed. vulgg.* id quando non accidit.

Et feci ante) *Al.* & feci antea.

Quod te de provincia) *In Hittorp. abest* te.

Si tanta sunt) *MS.* si tanta sint.

Propera. nihil tibi erit lautius) *MSS.* prope nihil tibi erit lautius. *Vid. Not.*

Tu enim scis) *Sic Pal. prim. sext. aliique MSS. & Victor. ed. vulgo*, tu enim sentis.

Quid sustinere possis) *Pal: sext.* quod sustinere possis.

Annuam esse voluit) *Palat. prim.* annuam esse volunt.

Hoc a te ita contendo) *Q. V. C.* hoc ita a te contendo.

Me appetiisti) *Palat. sext.* me petiisti.

Semper ornamento te mihi fore) *Pal. sext.* semper te ornamento mihi fore.

Litterasque ad me) *Peck.* litteras ad me.

Cum Romam veneris) *Palat. sext.* Roma veneris.

EPI-

EPIST. XV.

A belli pertinacia voluit) *Sic Hittorp. Palat. sext. Medic. Victor. ed. vulg.* a belli necessaria pertinacia voluit. *Amstelodam.* a belli necessarii pertinacia. *in Mentel. & Grav. secundo est* necessaria.

Quando ejus consilii princeps) *Victor. ed.* cum ejus consilii princeps.

Tibi præstare ipse debeo) *Q. V. C.* tibi ipse præstare debeo.

Definiri convenire) *Hittorp. & Stewech.* diffiniri convenire.

Reprehendit, præter eos) *Ven. Palat. prim. & sext. Amstelodam.* reprehendit. Prætereo.

Homines cum essemus) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* cum homines essemus.

Quasi quodam fatali prælio) *Hittorp.* quase quodam fatali prælio. *Vid. Quintil.*

Victores communi saluti) *Pal. sext.* victores & omnium communi saluti..

Consuli vellent) *Sic Vatic. & Vict. ed. Pal. prim.* consulere.

Vtrumque autem positum esse arbitrabar in celeritate victoris) *Pal. prim. duo Guilielm. Medic. Amstelodam.* utrumque autem propositum esse arbitrari in celeritate victoria.

Ipsum vinci contemnerent) *Al.* ipsum vinci contenderent.

Horum malorum omnium) *Q. V. C.* malorum horum omnium.

Vt Cæsarem in Italia viderem) *Hittorp.* qui Cæsarem in Italia viderem. *Stewech.* ut Cæsarem in Italiam viderem.

Et absum, & afui) *Sic Hittorp. Palat. sext. alii. vulgo*, & absum, & absui.

Et in urbis miserrimis) *Al.* & urbis miserrimis.

Si auctor affuisset) *Hittorp. & Pal. sext.* si auctor affuisset.

Pro tua perpetua erga me benevolentia) *Sic v. c. & Stewech. al.* pro tua erga me perpetua benevol.

Quas Luceria miseras) *Sic tres Guilielm. Vict. & aliæ edd. Pal. prim. Mentel. Grav. sec. & Stewech.* Niceria. *al.* Nicerria: *Amstelod.* Nuceria.

Sine ulla molestia dignitatem meam retinuissem) *Hittorp. f. u. m. d. m.* retinuissemus.

EPIST. XVI.

Puto te jam suppudere) *MS.* puto jam suppudere.

Cum hæc te tertia jam epistola ante oppressit) *Sic Ricc. & Pal. sext. Manut. & vulgg. ed. Pall. aliique libri cum Vict. & Gebhard. edd.* cum hæc tertia jam epistola ante operis sit. *Vid. Not. unus Guilielm.* cum hæc tertia jam epistola ante te oppressit.

Quam tu schedulam) *Victor.* scidulam. *Amstelod. Hittorp. Stewech.* quam tu scedam aut litteram. *Mentel. & Peck.* quam tu secundam aut litteram. *Grav. sec.* quam tu Zetam aut litteram. *Manut.* quam tu syllabam aut litteram.

Longiores enim exspectabo) *Hittorp.* longiores enim spectabo.

Fit enim nescio quid) *Forte*, nescio quomodo. *Lambin.*

Catius Insuber) *Vatic. Pal. prim. & sext. Amstelod. Vict. ed.* Catius insuper.

Ille Garget tius) *Hittorp.* Gargetius *Stewech. Peck.* Gargatius. *Amstel.* Gargacius.

Quod vel iis ipsa occurrunt) *Vid. Not. vulg.* quod velis ipsa currunt. *Hittorp. & Pal. sext.* quod velis ipsa incurrunt.

In mea ne potestate ut sit spectrum) *Sic Pal. prim. & sec. Hittorp. Stewech. Vatic. Amstelod. al.* in mea potestate ut sit. sp. *vulgg.* in mea ne potestate sit spectrum.

Illud occurrat) *Lamb.* accurrat.

Ejus εἴδωλον mihi advolabit) *Sic Pal. prim. sext. unus Guilielm. Victor. ed. Amstelod. Hittorp. Stewech.* advolabat. *vulgg.* advolet.

Si jam biennium) *Al.* etiamsi biennium.

Postea quam) *Palat. sext.* possessa quam.

Libet scribere) *Alii malunt* licet scribere.

EPIST. XVII.

Sed petasati veniunt) *Hittorp. Palat.*

Lat. sext. sed petunt statim ut veniunt.

Comites ad portam exspectare) *Hittorp & Stewech.* comites ad portas exspectare.

Alteras habebis has breves) *Pal. sext.* alteras habebis jam has breves.

Cum tui ad me inanes veniant) *Hittorp* veniunt.

Cum epistolis revertantur) *Hittorp.* revertuntur.

Nos hic (tamen ad te scribam aliquid) D. Sullam patrem) *Sic Hittorp. Stewech. Vat. & Vict. ed. al.* tamen ad te scribam aliquid. Nos hic D. Syllam patrem.

D. Sullam) *Al.* P. Syllam.

Alii a latronibus, alii cruditate dicebant) *Q. V. C.* alii a latronibus interfectum, alii.

Alii cruditate) *Hittorp. & Peck.* alii crudelitate.

Enim esse constabat) *Al.* tamen esse constabat.

Hoc tu pro sapientia tua feres) *Q. V. C.* hoc tu pro tua sapientia feres.

Quamquam προσωπον πολεως amisimus) *Pal. primus*; quamquam προσωπον καλον και αυτο αἱρετον, *al.* προσωπον καλον και αυτον αἱρετον (*faciem pulcram & ipsam optabilem*, *Corrad.*) *Al. legunt*, προσωπον καλυ (*faciem pulcri sive honesti*, *Corr.*)

Ne hasta refrixisset) *Hittorp.* ne hasta refrixeret.

A. d. III. Kalend. Ian.) *Sic Hittorp. Pal. prim. & sext. vulgo*, ad III. Kalend. Ian.

Si ακενοσπυδος fueris) *Sic MSs. al.* si αχρειος πιλος fueris. *Vid. Not.*

Epist. XVIII.

Si φλυαρον aliquem habuisset) *Al.* φαιδρον aliquem. *Vid. Not. pro* habuisset *Lambinus conjicit scribendum* habuissem.

Vbi igitur, inquies, philosophia tua? quidem in culina mea) *Sic MSs. Vid. Not.*

Itaque facio) *Al.* itaque scito *legunt*.

Epist. XIX.

Paludatum ex urbe exisse) *Pal. pr. Stewech Vatic. alii*, paludatum exurrexisse.

Persuadere hominibus) *Sic MSs. & Vict. ed. al.* hominibus persuadere.

Ἡδονην vero & ατεραξιαν) *Al.* ἡδονην vero & αναλγησιαν (*voluptatem - - indolentiam*, *Corr.*) *al.* δι' αξιαν (*propter dignitatem*, *Corr.*) *Vid. Not.*

Et verum & probabile est) *Sic MSs. & Vict. ed. vulg.* & verum & praeterea probabile est.

Omnes Catii & Amafinii) *Vid. Not.*

Iis qui a nobis φιλυδονοι) *Hittorp. & Man. ed.* qui a vobis φιληδονοι.

Φιλοκαλοι και) *Hac verba desiderantur in Hittorp. Pal. sext. & prim. Vict. ed.*

Non quaesiit) *Sic Vatic. & Victor. ed. al.* non quaesivit.

Omnia bona coemit) *Sic MSs. vulgg.* & omnia bona coemit.

Forti mehercules) *Sic MSs. al.* forti mehercule,

Habet damnatos) *Al.* domi natos.

Sectorem desiderabit) *Hittorp.* sectatorem desiderabit.

Nunc ut ad rempublicam) *Stewech.* nunc ad remp. redeam.

Ac malo veterem) *Stewech.* aut malo veterem.

Epist. XX.

Cum ad amorem meum aliquantum olim discedens addidisti) *Sic Pall. prim. & sext. Hittorp. Stewech. unus Guilielm. Amstel. Vict. ed. vulgo*, quando ad amorem eum aliquantulum olim discedens addidisti. *Vid. Not. Man.*

Quo tolerabilius) *Forte* tolerantius, *Lambin.*

Nunc tu nobis scribas oportet) *Peck.* nunc te nobis scribere oportet.

Nunc haec primo capio cognoscere) *Hittorp. & Pal. sext.* nunc haec prima cupio cognoscere.

Iter tuum cujusmodi sit) *Q. V. C.* tuum iter c. s. *Stewech. & nonnulli editi*, iter tuum cujusmodi sit ad nos.

Vbi

Vbi Brutum nostrum videris) *Hittorp.* utrum Brutum nostrum videris.

EPIST. XXI.

Hunc accepi dolorem) *Lambin.* hunc cepi dolorem.

Cum incendisses cupiditatem) *Hittorp.* cum accendisses cupiditatem meam.

Inimicitias communicasti) *Pal. pr. & sext. Hittorp.* inimicitias communicavisti.

In mea atque in publica causa) *Hittorp.* in m. atque publ. c.

Consulum partes suscepisti) *Stew.* consilium partes suscepisti.

Cum ad te curae) *Pal. sext.* quam ad te curae.

Quae mihi tanti aestimanda sunt) *Pal. sext.* quae mihi tanta aestimanda sunt.

Quanti vitam aestimo) *Palat. sext.* quantam vitam aestimo.

Quod aliis fortasse non item) *Stew. & Pal. sext.* quod alii fortasse non item.

Sive faceta sunt) *Q. V. C.* sive faceta sint.

Sive sic fiunt) *Sic Pal. sext. Hittorp. Stewech. Amstelod. Vict. ed. vulgg.* sive secus fiunt.

De me tamdiu cogitasses) *Sic Hittorp. al.* cogitavisses.

Quae scriptura persecutus es) *Stew.* quae scripta persecutus es.

Quod ita judicabam) *Al. legunt*, ita judicabam quod.

Quo valebat) *Stewech.* quod valebat.

Tamen assequebatur) *Peck.* tamen exsequebatur.

Ad eam igitur adhortabar) *Al.* ad eam igitur hortabar.

Quem cohortere) *Hittorp.* quem cohortare.

Tuam professionem) *Peck.* ut tuam professionem.

Cotam, omne desid.) *Al.* c. commune desiderium.

Multum tecum recordere) *Pal. pr. & sext.* multum tecum recordare.

Mihi nefas sit oblivisci) *Q. V. C.* mihi sit nefas oblivisci.

		Manut. & Paris. editt.
1	Paullo facilius.	Vide quanta sit in te.
2	Non queo ad te.	Septimum jam diem.
3	Nos apud Alyziam.	Paullo facilius.
4	Varie sum affectus.	Non queo ad te.
5	Vide quanta sit in te.	Nos apud Alyziam.
6	Tertiam ad te sane.	Varie sum affectus.
7	Septimum jam diem.	Tertiam ad te hanc.
8	Magnae nobis est sollic.	Magnae n. e. s.
9	Nos a te, ut scis.	Nos a te, u. s.
10	Ego vero cupio.	Etsi opportunit.
11	Etsi opportunitatem.	Quo in discrim.
12	Quo in discrimine.	Ego vero cupio.
13	Omnia a te data.	Ægypta ad me v.
14	Andricus postridie.	Menandrus postrid.
15	Ægypta ad me venit.	Omnia a te.
16	De Tirone mi Marce.	De Tir. mi M.
17	Video quid agas.	Video quid a.
18	Quid igitur?	Quid igitur?

LI-

EPISTOLA I.

M. T. C. ET CICERO MEVS) *Al.* Tull. & Cic. meus, *omissis* M. C.

Qui a te discesserim) *Lamb.* qui abs te disc.

Neque nunc muto) *Palat.* neque hunc mitto.

Sin autem postea) *Sic Pal. prim. & sext. & Vict. ed. vulg.* sin postea.

Videris tibi me posse consequi) *Pal. prim. sext. Vict. ed.* videris tibi posse me consequi.

Si tu morarere) *Hittorp. Pal. sext.* si tu morareris.

Si autem intelliges opus esse) *Sic Pal. sext. Amstelod. Victor. ed. vulgg.* sin intelliges opus esse.

Paullum commorari) *Peck.* pullum commorari.

Leucade consequere) *Q. V. C. ut & Pal. sext.* Leucade consequeris.

Hæ litteræ) *Pal. sext*, hæc litteræ.

Maxime obtemperari) maxime *deest in Hittorp. & Pal. sext.*

EPIST. II.

TIRONI SVO) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgo*, Tironi, *omisso* suo.

Apud Alyziam) *Pal. sext.* apud Aliziam. *Peck.* apud Aluciam, *& sic semper.*

EPIST. III.

TVLL. ET CIC. TIRONI SVO S. D. ET Q. PATER, ET Q. FIL.) *Al.* Tull. & Cic. & Q. pat. & fil. S. D. Tir. suo.

Vnum diem commorati sumus) *Hitt.* ut unum diem commorati sumus.

Is dies fuit Nonæ Novemb.) *Q. V. C.* is enim dies fuit.

Tua causa primum volo) *Peck.* tua causa volo primum.

EPIST. IV.

M. T. C. ET Q. FR. ET Q. FIL. TIRONI S.) *Al.* Tull. Tironi suo S. D. & Cic. & Q. Pat. & Q. F.

Varie sum affectus) *Pal. sext.* valde sum affectus.

Pagina perturbatus) *Pal. sext.* priore pagina deturbatus.

Quoad plane valeas) *Pal. pr.* quod plane valeas.

Satis te mature videro) *Al.* satis enim te mature videro.

Cum κακοστόμαχος) *Pal. sext.* quem κακοστόμαχος. *Pal. prim.* cum κακοστόμαχος.

Sed eum tu laudas) *Hittorp. & Pal. sext.* sed eum tu laudasti.

Tu igitur quid faciendum) *Pal. pr. & sext.* igitur quid faciendum.

Sumtui ne parcas) *Hittorp. Pal. sext. Vatic.* sumtu ne parcas.

Qua ad valetudinem) *Palat. prim. sext. Vict. ed.* quod ad valetudinem. *Al.* quæ ad valetudinem.

Quod dixisses, daret medico) *Pal. sext.* quod dixisses dare medico. *Lambin. conjicit*, quod dixisses daret, medico ipsi.

Aliquid dandum esse) *Hittorp. & Pal. sext.* dandum aliquid esse.

Mescinio) *Pal. sext.* Messinio.

Iam festinare volo) *Pal. sext.* tam te festinare volo. *Lambin.* jam te festinare volo.

Adhuc, dum mihi nullo loco) *unus Guilielm.* adhuc cum mihi.

Corpori servi) *Vat.* corpori servire.

Vale, vale, & salve) *Pal. sext.* vale & salve.

EPIST. V.

TVLL. ET CIC. ET Q. Q. TIRONI HVM. ET OPT. S. P. D.) *Al.* Tull. & Cic. F. & Q. S. D. Tir. hu. & opt. *al.* M. T. C. & Cic. F. Tir. hu. & opt. S. P. D. *al.* M. T. C. & Cic. F. & Q. fr.

Vide quanta sit in te suavitas) *Sic MSS. & Vict. ed. vulgg.* quanta in te sit suavitas.

Quam si vixerit tecum) *Hittorp. & Pal. sext.* quasi vixerit tecum. *Q. V. C.* quam vixerit tecum.

Vt te Leucadem deportares) *Venet. Vatic. Pal. prim. & sext. Victor. ed.* ut te Leucadem deportaret. *Hittorp.* ut te

te Leucadem adportaret.

Marionem remittere) *Hittorp.* volebam ad te Marionem mittere.

Ad me mitteres) *Hittorp. & Palat. sext.* ad me remitteres.

Ut quotidie sit Acastus) *Hittorp.* ut quod eottidie sit Acastus.

Leucade proficiscens) *Pal. sext.* Leucadem proficiscens.

VII. Idus Novemb.) *Hae verba desunt in Hittorp. & Pal. sext.*

EPIST. VI.

M. TULL. CIC. PAT. ET FIL. ET Q. Q. TIRONI S.D.) *Al.* Tull. & Cic. & Q.Q. S.D. Tir. *al.* Tull. & Cic. & Q. & Q.F. Tir. S.P.D.

Eodem die) *Sic Hittorp. Peck. Amstelod. Vict. ed. vulgg.* eadem die.

Quam quo haberem quid scriberem) *Sic Hittorp. & Victor. ed. al. Guilielm.* quam quo haberem quod scriberem. *vulgg.* quam quod haberem, quid scriberem.

Cum non contigit) *Sic Pal. sext. & Victor. ed. vulgg.* quando non contigit.

EPIST. VII.

M. T. CICERO TIRONI S. P. D.) *Al.* Tull. & Cic. S.D. Tir. S. *al.* M.T. & Cicero F.

Quintus autem pater & filius) *Pal. prim. & sext. & Victor. ed.* Quintus autem frater & filius.

Nihil a te litterarum iis) *Al.* n. a te litt. his. *al.* n. a te litt. dari his.

Qui si essent) *Quaedam edd.* qui si non essent.

Qui te non diligat) *Hittorp.* qui te non diligit.

Tiro noster) *Hae verba desunt in Hittorpiano.*

XV. Kalend. Nov.) *Hittorp.* A. V. K. Novemb. *al.* XV. Cal. Dec.

Corcyrae) *Hitt. & Pal. sext.* Corcyra.

EPIST. VIII.

Q. CICERO TIRONI S.) *Al.* S. D. *al.* M.T.C. Tironi.

Magnae nobis est sollicitudini) *Peck.* magnae est nobis sollicitudini.

Ingens inest sollicitudo) *Peck.* ingens est sollicitudo.

Si diutius a nobis afuturus est is) *Sic MSs. vulgo*, abfuturus. *Amstelod. & Peck.* si diutius nobis futurus es is. *Hittorp. & Pal. sext Peck.* si diutius a nobis futurus est is.

Videre te tota cogitatione) *Hittorp.* videre de tota cogitatione.

Cupio) *Pal. prim.* percupio.

Ne te tam longae navigationi) *Q. V.C.* ne tam longae navigationi.

Λεπτῷ χρωτί) *Pal. pr.* λεπτοχρωτί.

Singula testimonia puto) *Q. V. C.* singula ejus testimonia puto. *sic & Palat. prim. Peck. Vict. ed.*

Q.F.) *Al.* Q. Frater.

Tibi salutem dicit) *Sic MSs. & Victor. ed. vulgg.* tibi salutem plurimam dicit.

EPIST. IX.

A. d. IIII. Non.) *Sic Hitt. vulgg.* ad IIII. Non. *& sic semper in hac epistola.*

Usque ad XVI. Kal. Decembr.) *Lambin.* usque ad XV. Kal. Decemb.

A portu Corcyraeorum) *Hitt. Pal. sext. Amstel. Mentel. Grav. sec. Vict. ed.* in portum Corcyraeorum.

Ad Cassiopen) *Al.* ad Cassiodem, *al.* ad Cassiopem.

Retenti ventis sumus) *Palat. prim.* retenti venissemus.

Usque ad IX. Kalend.) *Lamb.* usque ad a. d. IX. Kal.

Multi naufragia fecerunt) *Hittorp.* multa naufragia fecerunt.

Nocte illa) *Hittorp.* nocte ex die illa.

Et die postero) *Hittorp.* & die postera.

Molestia valde levarunt) *Hittorp.* molestia valde levaverunt.

Plane confirmat) *Al.* sane confirmat.

Nunc quid ego te horter) *Vid. Not.*

Scio te omnia facturum) *Q. V. C.* scio omnia te facturum.

Ne in quartam hebdomadam incideres) *Vict. ed.* hebdomada. *al.* hebdomadem. *Amstelodam.* ne in quartam edomadam incederes.

Sed cum pudori tuo maluisti obsequi) *Sic Victor. ed. vulgg.* quando pudo-

pudori tuo maluisti obsequi.

Equum & mulum) *Palat. sext.* metum & mulum. *Hittorp.* medicum & mulum.

Vt te hoc rogem) *Hittorp.* ut hoc te rogem. *Pal.* ut te rogem.

Incolumem præstiteris) *Palat. sext.* incolumem steteris. *Peck. & Ven.* incolumem feceris.

Noster Tiro, vale) *Hittorp.* noster Tiro salve. *Peck.* noster Tiro vale salve.

EPIST. X.

Ex gravibus morbis) *Q. V. C. non habent hæc verba.*

Si quæ culpa commissa est) *Sic Hittorp. Pal. sext. & Vict. ed. vulgg.* si qua culpa commissa est.

Iam ad id biduum) *Hittorp.* jam ad illud biduum.

Dum in Cumanum veneris) *Palat. prim. & sext. & Victor. ed.* dum in Cumanum venis.

Para ut operas reddas) *Hittorp. & Pal. sext.* ut operas nostras reddas.

Ad diem dictam fient) *Hittorp. Peck. Pal. prim. & sext.* ad diem dicta fieut.

Nos adsumus) *Al.* ad summum.

XIIII. Kal.) *Al.* XIV. Kal. Ian. *al.* IX. Kal. Ian. *Pal. sext.* XIV. Kal. Febr.

EPIST. XI.

M. T. ET C. TERENT. ET TVLLIA, QV. FR. ET QV. F. TIRONI S.P.D.) *Al.* Tull. & Cic. Ter. & Tull. Q. Q. S.D. Tir. *al.* M.Tull. & Cic. & Terentia, Tull. Q. & Q. F. Tir. S.D.

Cum in quartanam conversa vis est morbi) *Sic Vict. ed. vulgg.* quando in q. c. v. e. m. *Hittorp.* quando i. q. conversa est vis morbi.

Sic enim scribit Curius) *Hittorp.* sic enim scripsit Curius.

Vt nihil possit fieri ornatius) *Vid. Notas.*

Impedimento mihi fuerunt. Omnino & ipse Cæsar) *Pal. sext. & prim. Amstelod. Hitt. & Victor. ed.* impedimento mihi fuerunt omnino. Et ipse Cæsar.

Qui Proconsules sumus) *Al.* qui Proconss. sumus.

Ne quid resp. detrimenti) *V.C.* ne quid detrim: resp.

Majori in periculo) *Lamb.* majore in periculo.

Paratiorem ducem. Omnino ex hac quoque parte) *Sic Pal. pr. sext. Vict. ed. vulgg.* paratiorem ducem omnino. Ex hac q. p.

Diligentissime comparatur) *Sic Pall. Hittorp. Peck. Amstelod. Vict. ed. vulgg.* diligentissime bellum comparatur.

EPIST. XII.

Atque universæ reip. ex eo scire potes) *Hittorp.* atque universæ reip. & senatus ex eo scire potes.

Vt nisi qui Deus) *Sic Vatic. Pal. sext. Vict. ed. vulgg.* ut nisi quis Deus.

Vel casus aliquis) *Q.V.C.* aut casus aliquis.

Equidem ut veni ad urbem) *Hittorp.* & quidem ut veni ad urbem.

Invaserat furor non solum improbis, sed etiam his) *Sic MSs. nisi quod nonnulli iis. vulgg.* invaserat furor non solum improbos, sed etiam hos. *Vid. Not.*

Qui boni habentur) *Hittorp.* qui boni habebantur.

Arretium occupavisset) *Hittorp.* Arritium. *Lamb.* occupasset.

Oblitus nominis, atque honorum suorum) *Al.* o. n. a. honorum f.

Quo quidem in casu simus, vides. Feruntur omnino conditiones ab illo) *Lamb.* quo in casu simus vides. Feruntur omnino quidem condit.

Confidio Noniano) *Al.* Confidio Noviano.

Neque se jam velle absente se rationem haberi sui) *Sic Amstelod. Pal. pr & sext. Vict. ed. vulgg.* neque jam velle, absente se, rationem h. sui. *Pal. sext.* haberi suam.

Se præsentem trinundinum) *Hitt.* se præsente trinundinum.

Accepimus conditiones) *Hittorp.* accipimus conditiones.

Spes est pacis non honestæ, leges) *Al.* f. e. p. non enim honestæ leges.

Sin autem ille suis conditionibus stare noluerit) *Sic Pal. prim. sext. Hittorp. Vict. ed. al.* instare nol. *vulgg.* sin autem ille conditionibus stare voluerit.

Quod

Quod sustinere ille non possit) *Sic MSs. & Vict. ed. vulgg.* quod ille sustinere non possit.

Vt eum includamus) *Hittorp.* ut eum intercludamus.

Sperabamus fieri posse) *Hittorp.* sperabamus posse fieri.

Dilectus enim magnos) *Al.* delectus enim magnos.

Ex Hispaniaque sex legiones) *Hitt.* ex Hispania tres legiones.

Habet a tergo) *Hittorp.* habemus a tergo.

Posse opprimi) *Hittorp.* posse obrui.

Modo ut urbe salva) *Deest in Hittorp.* modo urbe salva.

In illius exercitu habebat) *S. c.* in ejus exercitu habebat.

Socius sceleris esse noluit) *Hittorp.* ejus socius sceleris esse noluit. *alius v. c.* socius ejus sceleris e. n. *Pal. sext.* socius sceleris esse nolebat.

Cave ne te perturbent) *Sic Hittorp. Pal. pr. & sext. Vatic. Vict. ed. Amstel.* quæ cave te ne perturbent. *vulgg.* cave te perturbent.

Quem cum amantissimum mei) *Sic Vict. ed. vulgg.* quem tum amantissimum mei.

Cum eo tempore) *Sic Vict. ed. Pal. sext. vulgg.* quando eo tempore.

Quo ego maxime operam) *Forte*, quo ego tempore maxime operam, *Lambin.*

Ad te litteras tanta hieme) Litteras *deest. in Peck.*

Tum naviges) *Q. V. C. non habent* tum.

EPIST. XIII.

Vale IIII. Idus April.) *Hittorp.* Vale VII. Idus April. *in Pal. sexto hæc verba non reperiuntur, nec in Mentel.*

EPIST. XIV.

Andricus) *Palat. tert.* Menandrius, *al.* Menander. *Amstelod.* Nandricus: *Mentel.* Ænandrius. *al.* Menandrus. *vide Manut.*

Plenam timoris ac miseriæ) *Sic Hittorp. al.* plenam timoris, ac miserius. *al.* plenam timoris ac miseriis. *al.* plenam timoribus ac miseriis. *sic & Mentel. & Grev. sec. Amstelod.* plenam timoribus ac misteriis.

Tuis litteris nihilo certior factus sum) *Hittorp.* tuis litteris nullo modo certior factus sum. *Palat. tert.* tuis litteris nullo certior factus sum.

Ad Vmmium) *Sic MSs. Pal. prim.* ad Mummium. *Pal. sext.* ad Numium.

IV. Idus hora sexta) *Pal. sext.* VII. Idus April. hora sexta. *Amstelod.* III. Id. h. III. *vulg.* IIII. Idus Apriles hora tertia. *in Hittorp.* hora III. *abest.*

EPIST. XV.

Tibique conservandum) *Al.* confirmandum.

Scripta jam epistola) *Pal. sext. & Hittorp.* scripsi jam epistolam.

Ægyptam misi) *Lamb.* Ægyptam remisi.

EPIST. XVI.

Cum eum indignum illa fortuna, ac nobis amicum) *Al.* quod cum ind. i. f. *Amstelod.* cum eum ind. f. hac. *al.* cum e. i. illa fortuna, nobis am. *al.* cum e. i. illa fortuna, hac nobis am.

Ac nobis amicum, quam servum esse maluisti) *Sic Hittorp. Pal. sext. Satis vulgg.* nobis amicum, quam servum esse maluisti.

Illius litteris perlectis) *Palat. sext.* perlatis.

Tibi & ago gratias & gratulor.) *Sic Hittorp. Amstelod.* & tibi ago gratias, & gratulor. *vulgg.* & tibi & ago gratias & gratulor.

Statii fidelitas est tantæ voluptati) *Al.* Statii fidelitas & frugalitas est tantæ voluptati.

Quanti esse in isto hæc) *Hittorp.* quanti est in isto hæc.

Additis litteris, sermonibus) *Pal. prim. & sext. Vat. Vict. ed.* additis litteris, & sermonibus.

Quæ sunt his ipsis commodis potiora) *Hittorp.* quæ sunt his ipsis potiora.

Equidem, de maximis caussis) *Sic Hittorp. Peck. Pal. prim. & sext. Vict. ed. vulgg.* equidem maximis de caussis.

Epi-

EPIST. XVII.

Video quid agas) *Amstelodam.* vide quid agas.

Tuas quoque epistolas vis referri) *Sic Hittorp. Pal. sext. Vatic. Victor. ed. al.* tuas quoque epistolas vis referam.

Αφωμιλωσα) *Paris. edit. margo*, αφωνυχησα.

Satis scis. Tu eum) *Hittorp. & Pal.* satis scire. tu eum. *Amstelod.* satis scis. & tu eum.

Tu eum videlicet non potuisti) *Pal. pr.* tu eum scilicet non potuisti.

Nam ego hinc perendie mane cogito) *Hittorp.* perendie manere cogito.

Sed inservi) *Lamb.* sed ei inservi.

Tum te mecum esse, tum mihi cumulatissime satisfacere putato) *Hittorp. & Pal. sext.* tum & mecum esse, tum & mihi cumulatissime satisfacere putato. *al. pro* putato *legunt* putabo.

EPIST. XVIII.

Dii boni) *Hittorp.* dei bonei.

Quanto mihi illud erit amabilius) *Q. V. C.* quanto illud mihi erit amabilius.

Quod tamen in modum procedit) *Mentel.* quod tamen in modum processit. *Lamb.* quod tamen mirum in modum procedit. *Guilielm.* quod talem in modum procedit.

Sed ut est) *Al.* sed ut ut est.

Αχεσιαν) *Al.* ακεσιαν.

Parrhedrum excita) *Hittorp.* Parhedrum excitavi.

Vt hortum ipse conducat) *Hittorp.* hortum ipse conducat.

Helico nequissimus) *Al.* Elico, *al.* Helluo, & Heluo nequissimus. *Lamb.* Salaco nequissimus. *al.* commovebis Helico n.

HS CIↃ) *Al.* sestertia ducenta.

Nulla casa) *Hitt.*) nulla causa.

Vt ego Mothonem) *Hittorp.* Mamentonem.

An pangis aliquid) *Hittorp.* an plangis aliquid.

Fac opus appareat) *Hittorp.* fac ut opus appareat.

EPIST. XIX.

Si quid potest boni) *Hittorp. Palat. prim. Vict. ed.* si quid potes boni.

Si te id non tenet) *MSs. & Vict. ed.* si id te non tenet.

EPIST. XX.

Indicem cum Metrodoro lubebit) *Sic Vatic. Pall. Vict. ed. vulgg.* videlicet cum Metrodoro lubebit.

Cum ejus arbitratu vivendum est) *Sic Vict. ed. vulgo*, quando ejus arbitratu vivendum est.

EPIST. XXI.

C. FIL. TIRONI) *Hittorp.* Tullius Tironi.

Quam a vobis discesserant) *Hittorp.* quam a nobis discesserant.

Adventus adoptatissimus) *Al.* optatissimus, *al.* exoptatissimus. *Vid. Not.*

Ex humanissimi & carissimi patris epistola) *Pal. prim. sext. Hittorp.* & humanissimi & carissimi patris epistolam.

Me jam non pœnitebat) *V. c.* me non jam pœnitebat.

Quare quod polliceris) *Hitt.* quare quod pollicetur iste.

Quando igitur tum ex me doluisti) *Pal. prim. & Vict. ed.* quod igitur tum ex me doluisti.

Cratippo me scito) *Hittorp.* Gratis me scito.

Nam cum & audio) *Forte* nam cum audio ill. *Lambin.*

Propriam ejus suavitatem) *Sic Hittorp. Pal. prim. & sext. Vict. ed. vulgg.* ejus propriam suavitatem.

Et cœnantibus obrepit) *Al.* & jocantibus obrepit.

Quid ego de Bruto dicam) *Hittorp. & Pal. sext.* quid ego de Brutio dicam.

Non est enim sejunctus jocus) *Hittorp. Pal. sext. Victor. ed.* non est enim sejunctus locus.

Apud Bruttium) *Sic Victor. ed. vulg.* apud Brutum.

Illi probatissimis) *Hittorp.* illis probatissimis.

Ne mea nimia σπουδη) *Al.* ne mei animi σπ.

Habes

Habes ubi deponendæ tibi sunt urbanitates) *Al.* Habes ubi sunt deponendæ urbanitates. *al.* Habes. deponendæ tibi sunt urbanitates. *vid. Not.*

Quomodo ego mihi nunc ante oculos) *Sic MSs. alii*, quum ego nunc ante oculos. *Pal. sext.* quomodo enim ego mihi nunc ante oculos. *al.* cum & quum ego m. n. a. o.

Videor enim videre ementem te rusticas res) *Sic Pall. Amstelod. Vict. ed. vulgg.* videor videre ementem te r. r. *Hittorp.* videor enim videre ementem te r. r.

Si fortuna me: præsertim) *aliqui*, si f. me juverit, præsert.

Quod tibi curæ fuit) *Lambin.* quod tibi curæ fuerunt.

Eripitur operæ) *Pal. sext.* eripitur ex opere.

Antherum tibi commendo) *Al.* Anterum t. c.

EPIST. XXII.

Cupio certe) *Sic Pall. duo Guilielm. Amstelod. Vict. ed. vulgg.* cupio equidem certe.

Cura ut inservias) *Hittorp.* cura ut servias.

Cave suspiceris) *Hittorp.* cave ut suspiceris.

Contra meam voluntatem te facere) *Sic MSs. & Vict. ed. al.* contra voluntatem meam te facere.

Si te curas) *Hittorp.* si te cures.

Et video libenter) *Hittorp.* & video te libenter. *Pal. sext.* & video lubenter.

De quadrimo Catone) *Pal. sext.* de quadrivio Catone. *Pal. prim. tert. Hittorp. ed. prim.* de qua primo Catone.

Billienus est) *Vid. Not. Manut.*

Si quem cum eo sermonem) *Hittorp.* siquidem cum eo sermonem.

EPIST. XXIII.

Præsidiis Philosophiæ septus) *Al.* præs. septus.

Et hercule, quod timidus ipse est) *Pal. prim. & sext. & Vict. ed.* & hercle quod timidus est.

Syngrapha, γενυ κνημης. Cras) *Al.* Syngr. cras.

Etenim ad cujus rutam pulegio) *Hittorp.* & ad cujus rutam puleio. puleio *exstat etiam in Pal. pr. & sext. Amstelod.* pleio. *Peck.* etenim ad euram plero.

EPIST. XXIV.

Harpalum miseram) *Hittorp.* Harpulum miseram.

Iisdem de rebus) *Hittorp.* his de rebus. *Peck.* iisdem rebus.

Volui ad te sæpius scribere) *Deest in Hittorp.* sæpius.

Non quin confiderem diligentiæ tuæ) *Vatic.* non quia confiderem diligentiæ tuæ.

Rei magnitudo me movebat) *V. e.* rei me magnitudo movebat.

Ofillio) *Al.* Offilio.

Si non potes omne) *Hittorp.* si non potes omnem.

De domesticis hactenus) *Sic Hittorp. & Pal. sext. vulgg.* de domesticis rebus. hactenus. *Pal. prim.* de domesticis ejus hactenus.

Quid Octavius, quid Antonius) *Hittorp.* quid Octavianus, quid Antonius.

Sed litteras tuas exspecto) *MSs.* sed si litteras tuas exspecto. *unus MS.* sed st! litteras tuas exspecto. *Vid. Not.*

Balbum tum fuisse Aquini.) *Alii*. B. tuum f. A.

Postridie Hirtium) Hirtium *deest in Hittorp.*

Puto utrumque ad aquas) Puto *abest in Pal. prim. Venet.* utrimque. *al.* puto utrumque ad aquas Semas quod egerint. *vid. de hoc loco Notas; varie enim legitur in MSs.*

Fac admoneantur) *Al.* f. ut a.

Papiam) *Al.* Appiam.

EPIST. XXV.

Excusatione intermissionis litterarum) *Vatic. Hittorp. Vict.* excusatione de intermissione litterarum.

De rep. rumoribus) *Al.* de reip. rumoribus.

Assiduitate epistolarum) *Sic MSs. fere omnes, & Vict. ed. vulgg.* assiduitate litterarum.

EPIST. XXVI.

Non potes effugere hujus culpæ pœnam. De patrono Marcus) *Sic Vatic.* &

& Victor. ed. Q. *V. C.* non potes effugere hujus culpæ pœnam. Tibi patronus Marcus. *vulgg.* non potes effugere hujus culpæ pœnam, te patrono. Marcus.

Sicut olim matrem nostram) *Peck.* ut sicut olim matrem nostram.

Lagenas etiam inanis) *Sic Hittorp. vullg.* inanes.

Valde enim mi semper) *Sic Pal. pr. & sext. & Victor. ed. vulgg.* valde enim mihi semper.

EPIST. XXVII.


Quæ ego illos scio) *In Hittorp. deest* scio.

Quibus alteri Cesenam) *Peck.* Cæsanam. *Pal. sext.* Cæsenam. *MS. Vincentii Riccii*, quibus gesa. *alius MS. Manut.* quibus alteri Censenam. *Gravii sec.* quibus Cesanam. *F. Vrsin. v. c.* quibus alteri Cunsanarum.

Alteri Cossutianarum tabernarum) *Vinc. Riccii MS.* vel quibus Sutianarum. *Mentel.* quibus alteri Coscitiarum.

A. d. III. Kalend.) *Si. Hittorp. & Mentel. sed Amstelod. & Grav. sec. cum vulgg.* ad IIII. Kal.

Dissaviabor) *Sic Hittorp. Peck. Palat. prim. & sext. Amstelod. Victor. ed. vulgg.* dissuaviabor. *Mentel.* dissaviabor.



DE-

DEDICATIO

ALDI MANVTII PAVLLI FILII

Illustrissimo atque Excellentissimo

D. IACOBO BONCOMPAGNO,

Vineolæ Marchioni, & generali S. R. E. Gubernatori.

VEllem, Illustrissime atque Excellentissime IACOBE BONCOMPAGNE, tantum in me esset ad dicendum facultatis, quantum eximiis tuis erga me meritis aliqua saltem ex parte respondere posset. Non ingratum profecto me, neque indignum, in quem beneficia conferrentur, experireris: efficeremque, si qua ratione possem, ut incitamento essem hominibus ad exercendam beneficentiam: cum ex beneficiis apud grates ac memores animos collocatis tantum percipi gloriæ fructum viderent. Ego, cum te multos abhinc annos ad summa omnia natum cognovissem, eximia naturæ tuæ ornamenta prædicare numquam destiti. Ad quæ cum postea (quæ summa est Dei providentia) accessisset maxima potestas, Tu, mores tuos veteres retinens, nihil umquam egisti, in quo summus splendor non elucesceret, nihilque prætermisisti, in quo solidæ laudis specimen non appareret. Quæque virtutes Principum propriæ esse debent, eas Tu, istam fortunam nactus, semper coluisti, & ita coluisti, ut, qui cæcam esse Fortunam & immerentibus semper favere solitam conqueruntur, eorum stultam opinionem re ac factis facile confutares. Facis enim, quod raro admodum contigit, eoque præclarius existimandum est, ut litterarum studia numquam in summis negotiis dimittas: ex quibus cum ea hauseris, quæ Te valde illustrant, vis eis gratiam referre, optimeque refers. Tu litteratos homines litterarumque studia cum perpetuo Tibi fovenda in animum induxeris, quid est, quod Tibi earum nomine a litteratis hominibus non debeatur? Si Tu de tuo detrahis, ut eorum commodis inservias, æquum est eos vicissim de suis commodis detrahere, nomini ut consulant tuo. Et quamvis non Tu id agis, ut aliquam Tibi laudem ex beneficiis compares, qui omnia in ipsa virtute fixa & locata habeas, nihilque aliud a solida virtutis laude quæras, est tamen, quod hoc ipso nomine majores quoque Tibi laudes debeantur. Ego certe & Venetiis, & ubicumque esse mihi contigit, & ex aliis audivi tuam eximiam prædicari humanitatem, & ipse aliis dicentibus silere tamen non poteram. Venetiis multi cum sint, Maphæus Venerius in primis est ex Patriciis, qui tua egregia facta dictaque in ore semper habeat, Tui recordatione mirum in modum moveatur, mirifico quodam

Tui amore ac studio flagret. Contigit mihi superiore anno, his propemodum diebus, Parentium adire, Civitatem in Istria portu celebrem, multisque de causis satis illustrem; grassabatur in iis locis tum temporis pestis; eo Marcus Venerius ex Veneta nobilitate, magni ingenii vir & summæ cujusdam prudentiæ, Xvirum decreto ad eam extinguendam publice missus fuit; cui adjunctus ego Secretarii munere sum. Credas affirmanti, nihil mihi magis placuit, nullave alia re magis sum affectus, quam Cæsaris Denores, illius Civitatis Episcopi, sanctissima consuetudine. Homo integerrimus, cui divina ita curæ sunt, ut, omnibus aliis posthabitis, nullam in aliam curam incumbat, quam ut suo muneri satisfaciat, quo tempore vel ab hujusmodi curis, in quibus totus est, vel a sacrorum librorum lectione, in qua ita horas locat, ut suorum studiorum fructum non vulgarem suis civibus, publice eos admonendo & cohortando, impertiat, Te ita semper decantabat, tuasque virtutes ita extollebat, ut ipsum me, qui Tibi plurimum debeo, Teque ita colo & observo, ut nihil ardentius fieri possit, vincere interdum videretur. Ita, quos dies pestilentiæ vis insuaves reddebat, ii Tui honestissima mentione hilariores accidebant, ad meumque singulare erga Episcopum studium tantum hoc nomine accessit, quantum accedere posse vix sperassem. Materiam habebamus tam amplam tamque uberem, dies potius ut ipsi horæque nos deficerent, quam tuarum laudum exitum nostra reperire oratio posset; cumque multi de Te iique perhonorifici sermones forent, numquam tamen mirum accidit nobis, Te Tui similem esse, in Teque, tamquam in speculo, GREGORIVM XIII. agnosci: qui cum omnes suas cogitationes ad summa quaque a prima ætate instituerit, beneficentiamque, unam inter virtutes Principe dignas præcellentem, semper adamaverit, jure nunc & merito anteactæ vitæ fructus fert, & in supremo dignitatis gradu positus, de hominibus benemereri non desistens, Te secundum se habet; qui eum imitans iisdem gradibus ad summam gloriam contendas, eamque Tibi unam ob oculos ponens jam adsecutus sis, ut omnes, qui aliquid sapere videntur, Te suspiciant, observent, tamquam alterum Mæcenatem in omni scripto prædicent. Me quidem tuarum laudum præconem numquam senties in iis celebrandis defessum, numquam defatigatum. Accidit quoque mihi mirabile admodum ac jucundissimum, ut, cum Romam venissem eo potissimum nomine, ut Te præsentem præsens viderem, Tibique gratias vultu saltem referrem, (qui index animi certus est) quando per tenuitatem meam aliud non licet, Romam pæne in ipsa urbe Roma quæsiverim. Ea enim se oculis obtulit meis, ut novæ Vrbis faciem ostenderet, ita publicorum ædificiorum splendore, viarum amplitudine, pontium magnificentia, incredibili fontium ubertate GREGORIVS Pont. quem omnis Christiana resp. sanctissimum colit, eam exornavit, ut ad publicam commoditatem ornamentumque permultum additum atque adjunctum esse videatur. Sed, cum quæ Pontifex Maximus peregit præclara considero, video difficilius ea a me posse recenseri, quam ab ipso fieri. Faciant id qui ingenio valent, quique Romanam civitatem sua præsentia honestant, Hippolytus Capilupus Episcopus, M. Antonius Muretus, Latinus

Lati-

Latinius, P. Angelius, Bargæus, Laurentius Gambara; ii sint, qui suis & sermonibus & scriptis præclara hæc, unaque virtutes tuas egregias, ad cælum suis laudibus ferant. Vt Iulium Iacobonium meum sileam, fide atque observantia in Te singulari: qui, quantum ei per fortunam licet, certare etiam vel cum summæ doctrinæ viris in tuæ amplitudinis laude videtur. Excepisti me igitur ex benignitate, quæ tua propria est, quæ Te & privatis hominibus, Regibus quoque ipsis carum reddit; qua Tu, præter ceteras virtutes, quibus excellis, ita hominum Tibi voluntates devinxisti, ita omnium in te studia convertisti, ut a Veneta rep. in Venetam nobilitatem jamdudum sis adlectus; qui honos cum iis tantum tribuatur, qui ipsum eximio aliquo merito promerentur, facis ut jure omnes optimo in te collatum existiment. Incredibile est, quantum omnes bonos, quantum omnes Italiæ populos ac longinquas nationes, tui amplissimi nominis ac famæ ornamenta in Tui amorem studiumque alliciant. Vt omittam, quanta sit eorum, qui Romæ adsunt, quibus in oculis es, quibus imperas, ad te diligendum propensio. Eæ me causæ impulerunt, ut Paulli patris mei Commentarium in Epistolas M. Tullii Ciceronis, quæ Familiares vocantur, tuo nomini dicarem. Quid est autem quod tuo maximo celeberrimoque nomini non maxime debeatur, vel Tibi propter eximiam istam tuam in me beneficentiam a me non vel maxime deberi homines intelligant? Vel quis non æquissimum arbitretur, ut qui parentis mei in omni vita amantissimus ac patronus semper extiteris, ejusdem quoque lucubrationes, quæ ad posterorum utilitatem proderentur, in tuam fidem ac patrocinium commendentur? in quas ipse universæ fere vitæ studium atque industriam contulit: quarum eam quam in eruditorum animis (ut, ni fallor, scis) exspectationem commovit, scriptorum præstantia facile, ut spero, sustinebit. Quæ si tibi, eruditissimo in primis ac celeberrimo Principi, probabuntur, una opera & Pater meus studiorum suorum fructum satis amplum accepisse nulli non videbitur, & mihi, qui pro virili parte in his ingenuis artibus paternæ laudis fieri æmulator studeo, ad non inferiora in dies animum addideris. Deus Opt. Max. dignitatem istam tuam perenni felicitate secundet. Romæ. Id. Ian. ∞ DLXXIX.

Amplitudini tuæ obsequentissimus, atque in perpetuum devinctissimus.

ALDVS MANVTIVS, PAVLLI F.
ALDI N.

PAVLLI MANVTII

ARGVMENTVM

Epiſtolæ primæ Ciceronis ad Lentulum.

P*Artes argumenti duæ ſunt, una & extrinſecus, & ſatis longe petita, quæ ad regem Ptolemæum proprie pertinet; altera, quæ ſumitur ex ipſa epiſtola, & regiæ cauſæ ſtatum explicat; prior non aliena, poſterior etiam neceſſaria. Rex Aegypti Ptolemæus, Auletes dictus, quia tibiis canere, præter dignitatem regiam, ſolitus eſſet, pater Cleopatræ, notiſſimæ feminæ, & ejus Ptolemæi, cujus eſt juſſu interfectus Pompeius Magnus, ſocietatem & amicitiam populi Romani diu expetitam impetravit aliquando, Cæſare & Bibulo Coſſ. qua de re ſic ipſe Cæſar lib. III. de Bell. Civ.* Controverſias regum ad populum Romanum, & ad ſe, quod eſſet Conſul, pertinere exiſtimans, atque eo magis officio ſuo convenire, quod ſuperiore conſulatu cum patre Ptolemæo & lege, & S. C. ſocietas erat facta. *Et in Oratione pro Poſtumo:* Non ei regi pecuniam credidit, qui alienus ab hoc imperio eſſet, ſed ei, quicum fœdus feriri in Capitolio viderat. *Eam autem ſocietatem diu exoptatam eſſe a Ptolemæo, nec niſi Cæſare Conſule obtineri potuiſſe, intelliget, opinor, qui perpendet illud in epiſt. 16. lib. II. ad Atticum:* De rege Alexandrino, placuiſſe ſibi, aliquando confici. *Nam verbum*, aliquando, *negatam antea Ptolemæo ſocietatem, ſatis, ut opinor, oſtendit. Nec vero minimam ejus impetrandi honoris difficultatem Suetonius demonſtrat, cum ait in Cæſaris vita:* Societates, ac Regna pretio dedit, ut qui uni Ptolemæo prope ſex millia talentorum ſuo Pompeiique nomine abſtulerit. *Porro cupiditas Ptolemæi tantæ ſocietatis & amicitiæ populi Romani non ſolum ex eo nata quia ſuperiores fere omnes Aegypti reges eumdem honorem adepti, præſidium adverſis temporibus in fide ac tutela Romanorum ſæpe maximum invenerant, verum etiam quod ipſe, niſi ſocius amicuſque populi Romani appellaretur, ſtabilem ſibi atque tutam regni poſſeſſionem non putabat: idque duabus cauſis, primum quod Alexandri regis, qui proximus regnaverat teſtamento Aegyptus Romanis relicta dicebatur itaque ait Cicero in Oratione prima in Rullum:* Dicent Decemviri, id quod dicitur a multis & ſæpe dictum eſt, regis Alexandrini teſtamento regnum illud populi Romani eſſe factum. *Et in ſecunda in eumdem:* Quis veſtrum ignorat, dici, illud regnum teſtamento regis Alexandrini populi Romani eſſe factum? *Et paulo poſt:* Video qui teſtamentum factum eſſe confirmat: auctoritatem ſenatus extare hereditatis aditæ ſentio, tum quando Alexandro mortuo legatos Tyrum miſimus, qui ab illo pecuniam depoſitam noſtris recuperarent. *Has igitur de cauſa, ne ſibi regnum populus Romanus adimeret, Ptolemæus timebat. Accedebat altera, quod ipſe, non modo Alexandri regis mortui filius, verum nec e regio eſſe genere putabatur; itaque ſubjungit ibidem Cicero:* Eum qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque animo regio eſſe, inter omnes fere vi-

deo

deo convenire. *Ptolemaum designat, de quo etiam paullo post:* Qui sunt, *inquit*, isti decemviri: quos perspiciamus regnum Alexandriæ Ptolemæo gratis adjudicaturos? *Honor igitur ille societatis & amicitiæ populi Romani, vehementer optatus confirmandi regni causa, magnoque emtus, necessitatem quandam Ptolemæo attulit Egyptios offendendi; nam, cum ab eis intolerabilia tributa exigeret, incurrit in eorum odia: ex quo multitudine concitata, vitæ suæ timens, e regno Romam profugit Lentulo Spinthere, Metello Nepote Cos. id est, biennio postquam in societatem amicitiamque populi Romani receptus erat. Questus injuriam petiit, ut restitueretur, impetravitque non magno negotio, vel Pompeii gratia, ejus causam adjuvantis ob amicitiam Mithridatico bello contractam, vel suffragante pecunia, clam multis data; vel etiam quod regis bene de rep. meriti, (nam, ut Plinio referente cognoscitur Pompeio circa Iudæam rem gerenti octo equitum millia Ptolemæus suo sumtu miserat) & ejus regis, quem senatus, populusque Romanus biennio ante, Cæsare & Bibulo Coss. socium atque amicum appellasset, injurias ulcisci, non modo justum, sed exemplo etiam utile, speciosumque videbatur. His causis factum est S.C. referente consule P. Lentulo, ut sortirentur Consules, uter eorum regem reduceret, id est, ut is reduceret cui Cilicia provincia obtigisset: quæ obtigit Lentulo; nam si Ciliciam Lentulus antea sortitus esset, conjici postea in sortem reductionem regis non oportuit; quippe cum ea Ciliciæ Proconsuli, cui prope in conspectu Aegyptus esset, ob facultatem rei perficiendæ prorsus deferenda videretur. Hispania vero, quæ obvenit Metello, ut in Appiano legimus, longissime ab Aegypto remota, omnino cum reductione regis Alexandrini conjungenda non fuit. Hujus & SC. & sortis in Oratione in Pisonem mentio fit his verbis:* Auderet Gabinius, si non acerrime fureret, quam provinciam P. Lentulus cum & auctoritate senatus, & sorte haberet, interposita religione, deposuisset, eam sibi tum adsciscere, cum, etiamsi religio non impediret, mos majorum tamen, & exempla, & gravissimæ legum pœnæ vetarent? *Et in ea pro Postumo:* Non latroni, sed regi credidit; nec regi inimico populi Romani, sed ei cujus reditum Consuli datum a senatu videbat. *Et in eadem:* Non ad Gabinii, cujus id negotium non erat, sed ad P. Lentuli, clarissimi viri, auctoritatem a senatu profectam, & consilio certo, & spe non dubia Romam contenderat. *Accedit hujus epistolæ testimonium satis apertum his verbis:* Hortensii, & mea, & Luculli sententia, ex illo SC. quod te referente factum est, tibi decernit, ut regem reducas. *Et in ep. 7.* Nullum exstat SC. quo reductio regis Alexandrini tibi ademta sit. *Quæ confirmat lib. XXXIX. historia Dionis:* Exeunte anno, cum Lentulus nondum in provinciam ivisset, per C. Catonem tribunum pl. objecta senatui religio est, prolato e Sibyllinis versibus oraculo, ne rex cum multitudine reduceretur; si fieret, malo publico futurum. *Tum factum est alterum SC. referente de religione Marcellino Consule, regem cum multitudine reduci periculosum reipublicæ videri. De hoc SC. sic in epist. 2. lib. II. ad Q. Fr.* De rege Alexandrino factum est SC. cum multitudine eum reduci periculosum reipublicæ videri. *Atque illam epistolam cum videam XIV. Kal. Febr. scriptam esse, facile possum suspicari hoc SC. antequam hæc ad Lentulum mitteretur, esse factum; nam neque Idibus, quo hæc die scripta est, neque postridie, id est, XVII. Kal.*

neque XVI. factum esse, ex duabus constat epistolis, secunda & quarta. Quod si quis XV. Kal. id est, pridie quam illam ad fratrem Cicero scripsit, decerni potuisse dixerit, antiqua consuetudine refelletur; senatum enim haberi per dies comitiales non licuit, comitialem autem fuisse diem XV. Kal. Jan. non solum Fasti dierum veteres, sed etiam Cicero ipse in quarta docet epistola. Nam, cum de senatu ad XVI. Kalend. habito locutus esset, subjunxit: Senatus haberi ante Kal. Febr. per legem Pupiam, id quod scis, non potest. *In ea etiam ad fratrem, cujus proxime sum usus exemplo, extractam ait rem obtrectatorum Lentuli calumnia, deinde comitiales dies esse consecutos: cum de senatu XVI. Kalend. habito loquatur, ut in quarta significat hujus libri: ubi, iisdem fere verbis utens:* Res, *inquit*, ab adversariis nostris extracta est variis calumniis. *Ergo, ut redeam unde diverti, SC. de religione ante hanc epistolam, id est, ante Idus Ian. factum erat. Tertium SC. cum fieret, ne quis omnino regem reduceret, id quod, ut hæc docet epistola, P. Servilius Isauricus censuerat, intercessum est. Senatus tamen voluntas perscripta, quod, impedito SC. fieri solitum est, ut memoria traderetur, atque exstaret in publicis tabulis, quid senatus, nisi obstitisset intercessio, fieri voluisset. Hac de re sic in epist. 7.* Nullum exstat SC. quo reductio regis Alexandrini tibi ademta sit, eaque, quæ de ea scripta est auctoritas, cui scis intercessum esse, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse videatur. *Sublato igitur a religione exercitu, cum de rege reducendo deliberaretur, & alii eum honorem Lentulo, quem jam antea & SC. & sortis beneficio acceperat, conservarent, alii Pompeio mandandum, alii aliter censerent, varietas opinionum rem extraxit; Catonis deinde tribuni pl. audacia disturbavit penitus atque pervertit: nam & ab initio tribunatus, ut Fenestella docet apud Nonium, concionibus assiduis invidiam regi, ac Lentulo concitavit; & mox, lege etiam de abrogando Lentulo Ciliciæ imperio promulgata, animos eorum, qui Lentulo favebant, a minore cura ad summum timorem traduxit: Pompeium vero in senatu aspere & acerbe accusatum eo redegit, ut consilium reducendi regis abjiceret: itaque rex, desperato senatus auxilio, confugit ad Gabinium Syriæ Proconsulem: a quo, promissis ei decem talentorum millibus, (ea sunt HS bis millies quadringenties, ut ostendit Cicero in Oratione pro Postumo) Pompeio etiam, qui cum Crasso tum consulatum gerebat, admodum pro eo contendente, facile impetravit, ut restitueretur. Ex eo postea Gabinius majestatis accusatus, quod provinciæ suæ finibus contra legem Corneliam excessisset, corruptis judicibus absolutus est; mox tamen de repetundis in judicium vocatus, defendente, Pompeii rogatu, Cicerone, qui priore judicio accusaverat, odio maxime prioris judicii damnatus, publicatis bonis, in exsilium abiit: quem postea dictator Cæsar restituit. Hinc illa in eum oblique conjecta in Oratione contra Pisonem:* Se ipsum, fasces suos, exercitum populi Romani, numen, interdictumque deorum immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem senatus, jussa populi, nomen ac dignitatem imperii regi Ægyptio vendidit: in Ægyptum venit: signa contulit cum Alexandrinis: cepit Alexandriam. *Atque hoc loco fœdam Appiani negligentiam dissimulare non possum, qui Gabinium, Pompeio tertium Consule, de majestate damnatum putat, in quo dupliciter peccat, primum*

mum temporis, deinde criminis inscientia; nam Gabinius biennio ante Pompeii tertium Consulatum, Domitio & Appio Coss. non de majestate, sed de repetundis damnatus est; utrumque docet Dionis historia: cui si fides abrogatur, ipse certe non refelletur Cicero, quo ego, præsertim in rebus illius ætate gestis, locupletiorem testem non quæro. Is in epist.16. ad Atticum lib.IV. in epist.4. ad Q. Fr. lib. III. prorsus patefacit ἀνιστορησίαν Appiani. Sed, ut redeam ad Auletem, pecuniæ tantam vim Cæsari primum ab eo datam, ut societatem populi Romani consequeretur, deinde Gabinio, ut ejectus restitueretur, forsitan mirari aliquis possit, qui si ejus regis annua vectigalia noverit, non dubito quin mirari desinat; capiebat enim, ex Aegypto, ut in quadam Oratione Ciceronem scripsisse gravis auctor Strabo libro XVII. memoriæ tradidit, talenta annua duodecim millia quingenta. In tantis opibus magni negotii non fuit, aut Cæsari sex millia talentorum, aut Gabinio decem millia largiri, aut etiam, id quod a Varrone proditum Plinius narrat, octona millia equitum, Pompeio circa Iudæam res gerente, sua pecunia tolerare, mille convivas, totidem aureis potoriis, mutantem vasa cum ferculis saginare. Hactenus de Ptolemæo. Nunc, quæ sit epistolæ sententia, quo principio inducta, quibus distincta partibus, quo fine conclusa, videamus. Ac primum, quod iis, qui aliena negotia curant, amovenda in primis negligentiæ suspicio est, orditur Cicero ab officio suo, operamque a se in regio negotio navatam ita significat, ut eximiam in Lentulum benevolentiam præ se ferat, mox regis & ejus amicorum studium, consulis & consularium sententias, Pompeii familiarium contentionem, perfidiam amicorum exponit, quæ qui attendat, rei difficultatem, ex Lentuli sententia conficiendæ, maximam videat; nam ad regis voluntatem, qui reduci a Pompeio, civitatis principe, cupiebat, Hammonius ejus legatus, clam pecunia data, senatorum animos traducere conabatur. Senatorum autem alii, illius largitionis invidia, regem oderant, reducendumque prorsus negabant, ut Marcellinus, Servilius, senatus major pars: alii Pompeio rem deferri malebant, ut Volcatius, Afranius, Lupus, Lybo, Hypsæus, omnes præterea Pompeii familiares, quos, pro summa ejus auctoritate & gratia, plurimos fuisse par est: nonnulli, ut Crassus, reducendum quidem regem, sed sine exercitu, Sibyllæ versibus admoniti, censebant. Horum tria video genera fuisse; nam, cum omnes in tuenda religione consentirent, non tamen omnium in ratione reducendi sensus idem erat. Placebat Crasso consulari, a tribus legatis, vel privatis, vel iis etiam qui cum imperio essent, regem restitui: ita neque Pompeius, neque Lentulus, qui cum imperio erant, excludebantur. Placebat Bibulo, item consulari, a tribus privatis: ita Pompeio, & Lentulo locus erat. Contra Hortensius, Lucullus, Cicero, ipsi quoque consulares, ab uno Lentulo, Ciliciam cum imperio administrante, reducendum censebant: quod anno superiore, ipso Lentulo Consule referente, senatus decreverat. Quæ si perpendantur singula, pæne res a Lentulo remota videbitur; nam, si Marcellini & Servilii de non reducendo rege valeat opinio, jacet negotium. Si Pompeii familiares vincunt, Lentulo rejecto Pompeius decernitur. Si de legatis privatis Bibuli sententia probatur, æque Lentulus, & Pompeius, qui cum imperio erant, rejiciuntur. Si Crassus auditur, ut inter legatos locum habeant ii, qui cum imperio sunt, oritur inter Lentulum & Pompeium de reductione contentio: nec dubium quin Pompeius obtineat, honoribus, & meritis in remp. civitatis facile prin-

princeps; unicum igitur in Hortensii, Luculli, Ciceronis sententia perfugium. Sed hic etiam adversantur multa: primum, senatus voluntas, a rege, propter apertam largitionem, alienior; deinde, corrupti ab Hammonio regis legato non pauci, qui rem ad Pompeium deferri omnes volebant; postremo, ipsius Pompeii familiares, & in iis tribuni pleb. aliquot, parati ad intercedendum, si pro Lentulo SC. fieret. Adde illud, quod Ciceronis, quia Lentuli beneficio obstrictus videbatur, in causa regia minor erat auctoritas; gratia vero ejus ut magna esset, majore tamen Pompeii gratia vincebatur. Nec vero, ademto exercitu, quod Cicero etiam, Hortensius, Lucullus religionis causa probare cogebantur, magnopere erat cur eam reductionem Lentulus expeteret, quippe qui vereretur ne respuentibus regem Alexandrinis, quos cogere sine armis nequiret, infecta re cum aliquo dedecore discederet. Quocirca praeclarum in hac epistola Ciceronis artificium licet animadvertere: qui neque sperare Lentulum jubet, cum desperandum potius intelligat; neque tamen prorsus eum abducit a spe, veritus ne hominis amicissimi optimeque de se meriti, fortasse etiam ipsius opera Ciceronis optatum rei exitum exspectantis, animum offendat; nam in eo loco: In senatu sic egit causam tuam, ut neque eloquentia majore quisquam, neque gravitate, nec studio, nec contentione agere potuerit: *Pompeium optime animatum erga Lentulum significat. Infra vero cum subjungit:* Quae res auget suspicionem Pompeii voluntatis. *Et paullo post:* In eam opinionem rem adduxerunt, ut Pompeius cupere videatur. *Et in eo:* Quod Pompeio se gratificari putant: *Idipsum, quod promiserat, in dubium revocat. Quod si qui erant qui Pompeii causae nollent, ii nec Lentulo, qui antea Pompeium ornaverat, favebant. Ita Lentulo spes omnis infirmatur: cum vel amicos Pompeii adversarios habeat: vel qui alieniores Pompeio sint, amicus ipse hab ere non possit. Callide autem, ne sua culpa res inclinasse videatur, induxit illa quasi excusationis loco:* Ut in rebus multo ante quam profectus es, ab ipso rege & ab intimis ac domesticis Pompeii clam exulceratis, dein de palam a consularibus exagitatis, & in summam invidiam adductis, ita versamur. *Scripta est epistola, Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo Coss.*

DE-


D E D I C A T I O

PETRI VICTORII

AD

BARTHOLOM. CAVALCANTEM.


Petrus Victorius Bartholomaeo Cavalcanti suo Sal.



Eram semper putavi nobilissimi tragici sententiam illam, πονος πονῳ πονον φερει, nunc vero etiam expertus sum. Postquam enim negare non potui rogantibus satis multis, ut quaedam, quae ex antiquissimis exemplaribus sincere, ut arbitror, restitueram in Epistolis Ciceronis, divulgarem: cupiens omni ratione, qua poteram, voluntati illorum morem gerere, & eruditis hominibus studium meum probare, in magnam turbam incidi molestiarum: nam & dum ea colligerem non parum laboravi, & cum mihi visus essem nonnihil utilitatis libris illis attulisse, me quasi teneri arbitratus sum, eos etiam, quibus idem auctor philosophiam explicavit, & quibus oratorum praecepta elegantissime persecutus est, si possent, meliores reddere. Quare multis priscis exemplaribus comparatis, id opus, magnum sane & arduum, aggressus sum, & quam accuratissime potui absolvi, atque ad exitum perduxi. Sed cum postea animadverterem multa esse loca, maxime in Epistolis, quae nisi aperirentur, obscura futura essent, cum aut historia illarum rerum a multis ignoratur, aut versus reconditi aliquorum poetarum citantur, nonnulla etiam parum certa, & in variis libris varie scripta, quaedam suspecta, alia autem prorsus mendosa, quae omnino oporteret indicare, necesse esse duxi quasdam adnotationes conficere, quae obscura illustrarent, incerta & suspecta ostenderent, depravata & manca, ne quempiam nulla utilitate exerceant, denotarent. Verum in prioribus adhuc negotiis implicatus, aliud commodius tempus exspectare cogitabam, cum statim quibusdam impressorum impedimentis hoc opere intermisso, satis idoneum tempus nactus sum, ut quaecumque mihi declaratione aliqua indigere viderentur, colligerem, & breviter explicata in parvum hoc volumen conferrem. Ea autem sine fucis (ut natura mea fert) exposui: nec enim meum consilium umquam fuit, hac occasione doctrinam aliquam (qua in me nulla est) aut mul-

multarum rerum scientiam ostentare: tantum conatus sum, quæ in his libris majoris alicujus momenti immutavi, tueri: rationes, quibus ductus id fecerim, afferendo, & testimonia priscorum codicum adducendo. Suspiciones etiam multas, quæ mihi occurrerunt, & aliquantulum visæ sunt posse studiosos adjuvare, libere protuli: nec in ulla re veritus sum simplicitatem mei ingenii aperire, dum quæcumque mihi in mentem veniunt, narro: tanta cupiditate exarsi clarissimum hunc scriptorem fœdissimis maculis inquinatum purgandi. Quantum autem in hoc profecerim, alii judicabunt: studium quidem certe & egregia quædam voluntas non defuit. Sed quia fieri potest, imo potius necesse est, ut in quibusdam decepti simus (cognoscimus enim ingenii nostri infirmitatem, & lubricam periculosamque harum rerum tractationem) petimus ab eruditis, ut errores nostros, si quos animadvertent, non paucorum locorum non ineleganter illustratorum meritis compensent, nec me arrogantiæ condemnent, quod hoc onus minime mearum virium in me receperim: nec enim id umquam expetivi, sed potius ab aliis mihi impositum, valde cupiens, subterfugere non potui; ut si quid in hoc a me peccatum sit, facilitate potius quadam & naturæ bonitate peccatum sit, quod ea quæ juste repudiare poteram, onera subierim; nam (ut supra a me expositum est) paullatim, & non uno consilio hoc munus suscepi: a primo enim ex occasione quadam tibi nota cœpi summo studio Epistolas ad Atticum scriptas ad meum & amicorum usum mendis purgare. Cum enim domi tuæ antiquum illud ab Angelo Politiano laudatum illarum epistolarum exemplar vidissem (quod disparem sortem ab ea, quam ille ei tributam dicit, multos sane annos expertum fuerat: eripueras enim tu illud e manibus ignobilis Grammatici, apud quem diu latuerat) a te sumsi illud, & summa cura, quæ in eo a vulgari lectione discrepabant, notavi: ex quo tempore eum eam jam, quæ a me capi poterat, utilitatem ab eo accepissem, & nonnihil quoque illud suæ dignitatis ac nominis per me recepisset, cito pristinam fortunam recuperavit: in manus enim clarissimorum & doctissimorum virorum, postquam a me exiit, pervenit. Cum igitur a te ortum sit hujus mei laboris initium, non vacare omnino culpa mihi visus essem, nisi parvo hoc munere tibi grati animi memoriam ostendissem: quare semper cogitavi ad te hunc libellum, quemadmodum nunc facio, mittere: quamvis (ut verum fatear) majora fuerint ea, quæ me ad hoc impulerunt. Cum enim a teneris (ut ajunt) unguiculis, ætatibus nostris non multum differentibus jucundissima familiaritate conjuncti inter nos fuerimus, nec umquam nostræ benevolentiæ iter interruptum sit, sed quotidie potius aliquid accesserit ad amorem, numquamque ego excellens ingenium tuum, incredibilem doctrinam, suavissimos mores, singularem probitatem admirari & amare destiterim, cur non debui primos tibi ingenii mei fructus largiri? simulque, cum nostra amicitia civibus nostris notissima, & (ut spero) probatissima sit, quantum per me fieri potest eniti, ut externis etiam gentibus non incognita esset? Quod si multi opibus potentiaque illustres personas quærunt,

vant, quibus labores suos commendant, rectius ego esse putavi, eum cum quo familiarissime vivo, cunctis animi & ingenii muneribus clarum non praeterire, & cui fortuna potius defuisse videatur, ad praeclaras & honestas res gerendas, quam aut ea quae ipsi sibi summo studio & diligentia homines ad laudem & gloriam nati parare solent, aut illis a natura, ut amplissimi viri evadant, tribui. Accipies igitur hoc, qualecumque est, laeto animo munusculum, & quae a te ingenii tui monumenta exspectantur, ne patiare diutius ea ingenuis artibus deditos desiderare. Vale.



AD-

ADLOCVTIO
PETRI VICTORII,
Quam calci suarum Notarum adjecit,
AD LECTOREM.

HÆc sunt, quæ in meis castigationibus mihi aliqua explicatione egere visa sunt: reliqua vero haud his sane pauciora, per se patebunt, ac, nisi fallor, eruditis probabuntur. Hæc autem ipsa pæne, ut nunc edidi, olim in marginibus mei libri cum attentius illum legerem, adnotaram. Cum enim nunc longius mihi tempus dari non posse scirem, quomodo satis spatii habuissem ad tot Ciceronis volumina relegenda, nedum accurate considerandа? Accedebat eo, quod aliis postea litteris deditus, hæc ex animo dimiseram: ut satius fuisse putarim ad eas me cogitationes & judicia referre, quæ tunc, cum hæc acriore studio & diligentia pertractabam, de his locis feceram, quam nunc post tot annos pæne in his studiis novus, aliquid non satis mature cogitatum adferre. Eo autem sermone hæc exposui, qui mihi ex ore fluxit, quod quidem facile me omnibus probaturum puto. Nihil enim minus mihi elaborandum esse existimavi, quam quibus verbis hæc enarrarem, dummodo illis quod vellem complecterer: quæ tantisper in vita permansura putarim (atque ita velim) donec fidem meam liberaverint, ac (si modo id facere potuerint) lectionem a me inductam comprobarint. Nec enim ullam ea reconditam eruditionem continent, aut alia quapiam re commendantur, ut valde amari caraque haberi debeant, ob idque etiam cum suum munus peregerint, longius detineri. Propter hoc autem scripta sunt, quia neminem volui in hoc meo negotio falli, qui aut nimis crederet, aut magis quam oporteat, contra veritatem pugnax esset: & hæc causa fuit, quod semper testimonia veterum codicum produxi, exempla quæ castigationes confirmare viderentur protuli, atque omnes denique rationes & argumenta in medium attuli, ut aut illis crederetur, aut qui eis non moveretur, minimeque ea digna existimaret, quibus fides haberetur, posset aliam quæ magis idonea visa esset lectionem sequi. Nonnulla sane ex his, ac multa fortasse, ab aliis quoque animadversa esse potuisse non nego: nec enim occultis quibusdam auxiliis usus sum, sed vetera exemplaria quæ mihi præcipue adjumento fuerunt, semper omnibus in promtu fuere. Quædam enim eorum sunt in nobili illa & numquam satis laudata Medicææ familiæ bibliotheca, quam amplissimi illi ac sapientissimi viri Cosmus & Laurentius

Me-

Medices, plurimis e Graeciæ ruinis, Italiæque latebris, non sine ingenti labore & sumtu erutis libris; confecerunt: quæ etsi nondum explicata est, studiosorum tamen commodis privatim servit. Reliqua vero in Divi Marci altera, non minus priscis voluminibus referta, quæ omnibus omni tempore patet: uno tantum ex privata domo usi sumus: quod tamen & ipsum eruditissimi & accuratissimi quidam viri habuerunt, quantumque sibi commodum fuit tractaverunt. Ceteris vero quæ in hujuscemodi negotio necessaria sunt, quemlibet paratiorem esse puto. Vtinam autem qui ea quæ me præterierunt, præstantibus suis ingeniis investigarint (si ulli sunt, quemadmodum ego suspicor) velint ea ceteris impertire: sic enim suus huic scriptori splendor quandoque reddetur; & cum a multis nunc cupide legatur, majore adhuc voluptate in eo undique purgato & nitido studiosi omnes commorabuntur. Nam ego tantum abest ut offendar si aliquis plura & meliora attulerit, & me quoque ubi opus fuerit, refellerit; ut tum denique labores, quos in hac re suscepi, large compensatos putem, si quemadmodum ego nonnullos studio & opera mea ex erroribus in quibus erant eripui: sic ipse in quibus deceptus sim, quæque non viderim, amice & benevole docear: scire enim cupio; nec res ulla est in qua, si juver, tantopere gaudeam. In collatione autem veterum librorum usus valde sum fideli diligentique Ludovici Bonaccursii opera, eruditi sane juvenis, & in arte grammatica, quam publice hic Florentiæ maxima cum laude profitetur, acutissimi. Cum igitur ipsum hujus mei negotii socium habuerim nec insuavem nec inertem, multaque ille, ut mihi inserviret, incommoda in hoc perpessus sit, meas partes esse existimavi hoc testimonio studium, operamque ejus commendare, ut si qua ipsi laude ex nostro hoc labore digni sumus, ipse quoque debitam sibi inde partem auferat.

PRÆ-

PRÆFATIO EIUSDEM


Quam præmisit posterioribus Notis.

VICTORIUS CAMPANO Sal.

Hujusmodi est studium illud, cui nos quatuor ab hinc annos operam dedimus, Francisce Campane, ut finem nullum habeat, nec unquam ad certum aliquem terminum perduci possit. Et si id antea non ignorabam, multò tamen certius cognovi statim ut libri ipsi e manibus exierunt. Animadverti enim quædam a me relicta esse, quæ si adnotassem, non ingrata studiosis fuissent. Hoc autem facilius scire potui, quia ipse perspexi desideria plurimorum, nec non quia ad me multæ multorum voces ab amicis scriptæ sunt: qui quamvis labores meos non inutiles putarent, hoc tamen aut illud adjungi voluissent. Cum enim in primis laborassem, ut quæ a me immutata fuerant constituerem: non pauci voluissent etiam obscuriores aliquos locos illustrari, quamvis scripturæ immutatio facta esset nulla. Statui igitur horum studio quantum possem, ac cum primum possem, satisfacere: maxime cum ex assidua Ciceronis lectione cognossem, non sine causa id a me postulari. Quamvis autem mihi hoc perficiendi, totumque præstandi, facultatem deesse pulcre intelligerem: si tamen huic rei diligenter studuissem, sperravi me, si non desideria illorum extinguere, saltem lenire, & aliquantulum mitigare posse. Huic igitur studio intentus, seponebam quotidie aliquid, & eodem tempore omnibus Ciceronis libris operam aliquam afferebam: non enim uni aut alteri tantum operi addictus eram, & in eo totas cogitationes meas consumebam, intelligebamque quanto diutius in hoc instituto meo perseverassem, tanto plura ac meliora a me inventum iri. Verum cum semper in omni mea vita statuerim, aliorum potius amicorum ac prudentum hominum de me judiciis, quam meis stare: cum sæpe ab amicis poscerer ut, quæ ad eam diem animadvertissem, pervulgarem: non potui diutius has ipsorum flagitationes sustinere, decrevique cupiditati eorum morem gerere. Nactus autem tempus a quotidianis meis laboribus vacuum, quo etiam ab illis magis premebar, & ad hoc nunc agendum impellebar, accurate Epistolas Ciceronis relegi: & quæcumque jam in illis adnotaram, & nonnulla quoque quæ nunc mihi succurrerant, collegi, ex iisque parvum quoddam volumen confeci. Additus etiam est labor, nonnulla quæ olim a me animadversa erant confirmandi: quæ res majus volumen ipsum effecit; nam ad me perlatus est liber, nuper Venetiis impressus, Epistolarum, quas Familiares vocant: in quo scholia quædam sunt doctorum & ingeniosorum virorum: quorum nonnulla contra me, ac judicium meum studiose facta videntur. Commodum igitur visum est, de illis rebus, in quibus reprehendebar, iterum disserere. Non minus enim utile esse puto, vetera

vetera confirmare quam nova conterere. Non quo sententiam meam, si forte falsa est, tueri ac pertinaciter defendere velim: (numquam enim hoc sciens faciam; nam quamvis rebus meis, quemadmodum natura cogit, amicus sim, magis tamen veritatem ipsam amo) sed ne forte si quando obscurior, aut brevior in illis explicandis, quam oportebat, fui, culpa ingenii mei vera ac bona causa periret, eodemque tempore de opinionibus ac judiciis aliorum disputavi, quemadmodum mihi visus sum, modeste ac temperanter: numquam enim alicujus injuria naturam consuetudinemque meam oblivisear. Eruditi nunc ac sapientes viri, quid rectum sit, videbunt: quibus ego, quemadmodum æquum est, totam rem permitto: & a quorum judicio auctoritateque numquam declinabo. Quod si potuissem ullo pacto sine existimationis meæ jactura, aut, quod majus est, sine optimi scriptoris detrimento opiniones nonnullorum tacitus præterire, libenter fecissem: ne viderer ex aliorum erratis, laudem mihi velle comparare, aut concertandi cupiditate teneri, a qua re natura [illegible] abhorreo: quod prioribus meis scriptis, & plurimorum clarorum ac prudentium virorum, qui me bene cognitum habent, testimonio cognosci potest. Quemadmodum autem nunc in Epistolis Ciceronis laboravi, ac non pauca in illis animadverti: ita cogito, atque id Diis adjuvantibus præstabo, reliqua ejusdem scripta eodem studio atque diligentia perlegere: ut Orationes etiam, de quibus olim nullas curas ac cogitationes suscepi, non relinquam: sed quidquid in illis aut ope vetustorum codicum, aut accurata ipsarum lectione animadvertero, omne perscribam. Et quamvis putem alios doctos & acutos viros, huic quoque studio navare operam: quod tamen a diligentia & mediocri eruditione mea exspectari potest, non patiar id magnopere desiderari. Sed hæc erunt cum per molestas occupationes licebit: e quibus tamen quodcumque vacuum tempus eripere potero, perire non patiar. Statui enim omne reliquum tempus ætatis meæ, quod cursu sane naturæ non parvum est, nec culpa aut vitio meo minus aut deterius fiet, in communibus utilitatibus collocare: ut quandoque etiam majora gravioraque, quam hæc sunt, in manus eruditorum meo studio ac diligentia elaborata ventura sperem. Sed hæc etiam, ut antea diximus, alias erunt. Nunc autem hujus mei laboris, qui pene absolutus est, primam partem, Campane, ad te mitto: & eo potissimum ad te mitto, quia tu præcipue me ad hoc nunc agendum incitasti: æstimans non esse has illius generis litteras, quæ diu multumque in manibus haberi ac premi debeant: nec etiam me impediri dixeris, si quid postea, quod lucem aliquam Ciceronis scriptis adferat, in mentem venerit, quin tertio, & quarto quoque idem opus aggredi possim: præsertim cum paucis diebus quidquid est, quod in his rebus fieri possit, absolvatur. Quemadmodum igitur tuam in primis auctoritatem secutus, hoc aggressus sum: ita nunc ad eamdem tuam auctoritatem confugio, ac volo hoc quidquid est libelli tuo nomine commendari, si tu edendum id statueris, nam de hoc quoque a te deliberari volo. Postquam enim ego impositum a te mihi hoc onus non recusavi, ita nunc tu hoc non parum oneris ac molestiarum impositi tibi a me æquo animo patiere; & ut meus in his colligendis & explicandis labor fuit, ita nunc tuus erit in statuendo, quid illis faciendum sit. Quod si tu hanc curam suscipere volueris, quemadmodum cupio & opto: confido te id consilii capturum esse, quod mihi semper ac tibi honestum futurum sit. (nam tua quoque in hoc negotio non mediocris res

agitur) Cognovi enim aciem ingenii tui: & cum aliis omnibus in rebus libenter judicium tuum sequar, in hac ne digitum quidem ab eo decedere rectum esse non putarem. Scio enim in hoc litterarum genere quantum valeas, & quantam etiam laudem apud omnes merito consecutus sis, qui doctissimos & acutissimos viros imitatus multas subtiles & eruditas quaestiones in Vergilii poema confeceris: & non pauciora, quam Graeci homines in suo poeta fecerant, quem omnibus ingenii viribus ornarunt, in Latino, qui turpiter pene ab omnibus destitutus erat, adnotaris. In eodem igitur stadio, sed majore cum laude versatus, quid de meis his nugis faciendum sit, tecum ipse deliberabis. Et ut accuratius de tota re tecum ipse quaeras, cogita illas tibi quemadmodum divulgandas, ita etiam defendendas esse. Quod si tanta praelia pro me aut subire non vis, aut sustinere te non posse putas, sapientius facies, ac mihi quidem gratius, si aut eas supprimes, aut ne umquam emanare possint, conscindes igneve combures. Vale VI. ID. Septemb. M. D. XL.



INDEX PRIMVS

Eorum ad quos scribit Cicero, & qui ad Ciceronem scribunt, aut ad alios in libris epistolarum XVI.

INDEX SECVNDVS

Qui docet quo circiter tempore epistolæ Ciceronis scriptæ sint.

Epistolæ ad familiares scriptæ sunt omnes post Consulatum, ante exsilium, in exsilio, post exsilium. Ante exsilium quinque; prima omnium, quæ Pompeio Magno inscribitur: altera Quinti Metelli Celeris ad Ciceronem: tertia Ciceronis ad eum: quarta ad Caium Antonium: quinta ad Publium Sestium: quæ libro quinto omnes continentur. In exsilio ad Terentiam uxorem quinque libri decimi quarti. Post exsilium reliquæ omnes. Ad Lentulum lib. I. diversis temporibus, id est, toto triennio scriptæ sunt: sex quidem primæ, gerentibus Consulatum Marcello & Philippo: septima & octava, Pompeio & Crasso: nona, Domitio & Appio: quod ex earum argumentis, & observatione cognoscitur historiæ. Hæc Manutius.

Anno ab Vrbe condita

DCXCI.

Coss. D. Iunio Silano
L. Licinio Murena.

Lib.	Epist.
V.	7.
V.	1.
V.	2.
V.	5.
V.	6.

DCXCV.

Coss. L. Calpurnio Pisone Cæsonino.
A. Gabinio.

Lib.	Epist.
XIV.	4.
XIV.	2.
XIV.	1.
XIV.	3.

DCXCVI.

Coss. P. Cornelio Lentulo Spinthere
C. Cæcilio Metello Nepote.

Lib.	Epist.
V.	4.

DCXCVII.

Coss. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino
L. Marcio Philippo.

Lib.	Epist.
I.	1. ad 6. incl.
V.	3.
V.	12.

DCXCVIII.

Coss. Cn. Pompeio Magno II.
M. Licinio Crasso II.

Lib.	Epist.
I.	7.
I.	8.
VII.	1.
XIII.	48.

DCXCIX.

Coss. L. Domitio Ahenobarbo
Ap. Claudio Pulcro.

Lib.	Epist.
V.	8.
VII.	5.
VII.	6.
VII.	7.
VII.	8.
VII.	17.
VII.	9.
VII.	10.
VII.	16.
I.	9.
I.	10.

DCC.

Interregnum VI. Mensium.

Coss. Cn Domitio Calvino.
M Valerio Messalla.

Durante Interregno.

Lib.	Epist.
VII.	11.
II.	1.
II.	2.
II.	3.
VII.	12.
VII.	13.
VII.	15.
VII.	18.
II.	4.
II.	5.
V.	17.

Sub Consulibus.

Lib.	Epist.
VII.	14.
II.	6.

DCCI.

Coss. Cn. Pompeio Magno III. primum sine Collega.
Ex Kal. Sext. Q. Caecilio Metello Collega.

Lib.	Epist.
V.	18.
XIII.	75.
VII.	2.

DCCII.

Coss. Ser. Sulpicio Rufo
M. Claudio Marcello.

III.	1.
III.	2.
III.	3.
VIII.	1.
III.	4.
XIII.	1.
XIII.	2.
II.	8.
VIII.	2.
VIII.	3.
III.	5.
VIII.	4.
VIII.	5.
VIII.	9.
XV.	9.
XV.	7.
XV.	8.
XV.	12.
XV.	2.
XV.	3.
XV.	1.
III.	6.
VIII.	8.
II.	9.
III.	8.
II.	10.
VIII.	10.
II.	7.
VII.	32.

Ragaz. Lib. XIII. *Epistolas sequentes, quibus mensibus scriptae sint non videns, hic subjecit.*

XIII.	53.
XIII.	56.
XIII.	55.
XIII.	61.
XIII.	62.
XIII.	63.
XIII.	64.
XIII.	65.
XIII.	47.
XIII.	9.

DCCIII.

Coss. L. Aemilio Paullo
C. Claudio Marcello.

Lib.	Epist.
XV.	4.
XV.	10.
XV.	11.
VIII.	6.
VIII.	7.
III.	7.
XV.	14.
II.	14.
XIII.	58.
XIII.	59.
III.	9.
II.	11.
XIII.	54.
XIII.	57.
II.	13.
II.	18.
III.	10.
IX.	25.
II.	19.
II.	12.
III.	11.
XV.	5.
VIII.	11.
II.	17.
VIII.	13.
III.	12.
XV.	6.
XV.	11.
III.	13.
II.	15.
VIII.	12.
VIII.	14.
XIV.	5.
XVI.	1.
XVI.	2.
XVI.	3.
XVI.	4.
XVI.	5.
XVI.	6.
XVI.	7.
XVI.	9.

DCCIV.

Coss. C. Claudio Marcello
L. Cornelio Lentulo Crure.

XVI.	11.
V.	20.
XIV.	14.
XIV.	18.
XVI.	12.
XVI.	8.
VIII.	15.
XVI.	13.

Lib.	Epist.
xvi.	14.
xvi.	15.
iv.	1.
viii.	16.
iv.	2.
ii.	16.
v.	19.
xiv.	7.

DCCV.

Coss. C. Iulio Cæsare II. P. Servilio Vatia Isaurico.

Lib.	Epist.
viii.	17.
ix.	9.
xiv.	8.
xiv.	21.
xiv.	6.
xiv.	12.
xiv.	19.
xiv.	9.
xiv.	17.

DCCVI.

Coss. Iulio Cæsare Dictatore II. M. Antonio Mag. Equit.

Lib.	Epist.
xiv.	16.
xiv.	11.
xiv.	15.
xiv.	10.
xiv.	13.
xiv.	24.
xiv.	23.
xiv.	22.
xiv.	20.
xv.	21.

Q. Fufius Calenus & P. Vatinius Coss. iii. ult. mensibus fuere.

DCCVII.

Coss. C. Iulio Cæsare III. M. Æmilio Lepido.

Lib.	Epist.
iv.	14.
ix.	1.
xv.	15.
vi.	22.
ix.	15.
xiii.	29.
vi.	1.
xiii.	78.
xiii.	79.
vi.	3.
v.	21.
vi.	21.
vi.	20.
vi.	4.
ix.	2.
ix.	3.
ix.	4.
ix.	5.
ix.	6.
ix.	7.
ix.	16.
vii.	33.
ix.	18.
vi.	2.
ix.	19.
vii.	3.
ix.	17.
ix.	20.
ix.	23.
vii.	4.
iv.	3.
xiii.	68.
iv.	13.
vi. Epistol. 10. pars ab *Antea missam*.	2.
iv.	7.
vi.	13.
vi.	10.
iv.	8.
vii.	27.
iv.	4.
iv.	9.
vi.	12.
vi.	11.
vi.	6.
iv.	11.
vii.	28.
ix.	15.
ix.	26.
vi.	14.
vi.	8.
vi.	9.
vi.	7.
vi.	5.

Regar. has Lib. XIII. Epistolas existimat hoc anno exaratas, ob difficultatem certi mensis & ne ordo præcedentium historicus infringeretur ad calcem rejecit.

Lib.	Epist.
xiii.	10.
xiii.	11.
xiii.	12.
xiii.	13.
xiii.	14.
xiii.	17.
xiii.	18.
xiii.	19.
xiii.	20.
xiii.	21.
xiii.	22.
xiii.	23.
xiii.	24.

Lib.

INDEX TERTIVS

Qui multiplex litterarum genus indicat.

Numeri majores sive Romani librum, minores epistolam notant.

FINIS TOMI IV. EPISTOLARUM AD FAMILIARES.